15.L.152

15 F. 4

Digitized by Google

[illegible] Google

IOANNIS VORSTII

CL. VIRI

DE

LATINITATE

SELECTA

ET VULGO FERE

NEGLECTA

LIBER

NVNC PRIMVM EDITVS.

ACCESSIT

ANDR. IVL. DORNMEIERI

DISSERTATIO

DE

STVDIOSO CICERONIS

IMITATORE

Cui ob materiæ cognationem & inſignem

raritatem junctus eſt Dialogus feſtivus

DE

CICERONE RELEGATO

ET REVOCATO.

ADDIDIT PRAEFATIONEM

CHRISTOPH. FRIDER. BODENBVRG

GYMN. BEROLINENS. RECTOR.

BEROLINI

APVD CHRIST. GOTTL. NICOLAI. M DCC XIIX.

Digitized by Google

Lectori Benevolo
S. P.

TRiſtia plerumque librorum poſthumorum fata eſſe, inter Doctos dudum exemplis compluribus eſt comprobatum. *Selectisſimi* perſæpe ſunt, quibus infelici ſidere immoriuntur Auctores, conatus imperfectique labores eruditorum, qui tamen vel in *neglectis* angulis poſtea latitantes cum tineis blattisque luctantur, vel plane inter ipſas inſtitorum manus indignisſimo modo pereunt. Neque raro vſu venire ſolet, vt ii quoque, qui obſtetricantes manus

poſthumis iſtis in lucem protrahendis commodare inſtituunt, eadem vi fati intercipiantur. Quo facto duriores aliquanto tenebras experiri poſtea ſolent, præſertim ſi vltima manus ac lima eis adhuc defuerit. Non probabo id aliorum doctorum commentationibus; abunde id *Selecta* hæc, *vulgo* autem *Neglecta*, IO. VORSTII Viri Cl. *Latinitas*, nec ſine omine docere poteſt. Non incognita ſunt VORSTIANA in rem literariam merita, tot induſtriæ doctrinæque monimentis dudum adprobata eruditis. Iungere eisdem, nec ſine ratione, conſtituit has *de latinitate vulgo neglecta* obſeruationes, quas & conſignaſſe, & edere etiam voluiſſe ante alios labores literarios videtur. Inter alia hoc ex iis quoque adparet, quæ ſub voc. *periculum* infra pag. 53. dicit: *In Notis ad*

Au-

Auctorem (Valerium Maximum) *demonſtrabimus.* Et ibidem; *vt ad eum locum itidem dicemus.* Vide ſis etiam ſub voc. *citerior* p. 86. cet. Sed licet prior conſpexerit lucem *Valerius Maximus*; non tamen putandum idcirco, VORSTIVM animum edendi hunc librum poſtea immutaſſe. Prouocat adhuc pasſim ad haſce obſeruationes in ipſis notis ad *Val. Maximum* & ad *Sulpicium Seuerum*, earundemque proxime edendarum ſpem diſerte facit, pag. 145. editi Val. Maximi. Quæ argumenta, ſi ſtilo Auctoris noſtri, cum in reliquis, tum in citatis hic ſaepius *de ſuſpecta latinitate* libris ſatis obuio, & autographo cognitæ hic loci ſatis VORSTIANAE manus iunxeris, hæc ipſa meletemata *neglectæ vulgo* at *ſelectæ Latinitatis* B. VORSTII eſſe, nullus dubitandi locus relinquitur. Quod au-

tem morte interuerſi ſunt conatus Philologi inſignis, inde non perfectum ſatis hunc laborem eſſe, multisque lacunis & ἕλκεσι quaſi ſcatere, non mirandum eſt. Quamuis enim in eo felix hoc ſcriptum omnino fuerit, quod in hæredum non imperitorum manibus obhæſerit, a quibus cum cura, ſartum & tectum, quod aiunt, tot annos eſt aſſeruatum: plurima tamen, quæ tractare cœpit Cl. Auctor inque iis integra ſæpe capita deficere re ipſa deprehendimus. Nusquam, vt exemplo id oſtendamus, Latinitatis neglectae genus illud apparet, quo, vt ait Auctor in Conſpectu generaliori, *certæ vocabulorum collocationes & poſitus fere negliguntur;* qui tamen defectus ex Rhetorica Marchica p. 109. ſqq. forte ſuppleri non male poteſt. Ita plura de ſingulis fere orationis partibus, earundem-

rundemque, vt Grammatici vocant, accidentibus moneri hac methodo; multa de vſu cumprimis particularum, epithetorum, vocum traiectione, dictione arguta, neglectaque variori conſtructione addi, & ordinatius non pauca limatiusque elaborari potuiſſent. Sed iſta vt inſtituta fere habuit Auctor, ita haud dubium eſt, ſi vitam porro largitus eſſet DEVS, quin accurate, vt omnia alia, & eleganter is perpoliuiſſet. Nunc primi duntaxat conatus, & inchoata quædam Operis quaſi Apellei lineamenta moriens reliquit, eaque multis adhuc hiatibus & lacunis deformata.

Optimo autem utilisſimi operis fato ad perficiendas vel perfectas nondum vel inchoatas libri partes ſuccesſit Vir Cl. ANDREAS IVLIVS DORNMEIERVS, Philologus excellens, & harum litera-

rum, ſi quis alius, apprime peritus, cuius amicisſimi nobis Viri obitum præmaturum acerbe, fateor, lugemus. Multum certe doctisſimo Viro debet opuſculum hoc VORSTIANVM. Excepit is lætisſimo animo has magni Viri a Bibliopola ſibi conceſſas curas, & ordine alphabetico curate diſtinctas, notisque ſuis interpolatas eo, quo nunc comparent, habitu, vſui publico ſtudioſe parauit. Præterea ſupplere paſſim imperfecta aut delineata, & adaugere quoque adgreſſus eſt multis *ſelectæ*, at vulgo *neglectæ*, Latinitatis opibus, quarum ſolertisſimus erat obſervator. Nihil tamen in ipſis Auctoris verbis immutauit, quod gratum credimus iis fore, qui incrementa huius philologiæ cupiunt cognoſcere. Quum iam prope eſſet, vt optabilem ex diutina orbitate, dicam an exilio, partus

hic

hic VORSTIANVS fortunam haberet; alter ei, ut ita dicam, Parens luctuoſius prope quam prior ereptus eſt. Quam aptus enim hic fuerit VORSTII in hac palæſtra ſucceſſor, priores ſeptem plagulæ eo adcurante adhuc impreſſæ arguunt. Probant etiam tot ab eodem iam edita, &, ſi quidem diuturnior huius vitæ vſura contigiſſet, edenda adhuc opera philologica: Ex quibus dolendum omnino eſſet, ſi, quod diu in Scholarum vſum enixe parturiuit, *Lexicon manuale* intercideret. Latent aliæ in ſcriniis B. Viri adfectæ, ſunt etiam perfectæ quædam operæ, in quibus *Emphaſiologia* ſacra ſyſtematice conſcripta præ ceteris eminent. Qui labores tam improbi in tenui licet & morbis conflictato identidem corpuſculo, indefeſſumque ad ornandas bonas literas conlatum ſtu-

dium mereri ſane videntur, ut Viri fama ad poſteritatem, ſi qua futura eſt, ſincera integraque transmittatur. Quo magis dolendum, quod nonnulli, qui inter doctos humanitatis cultores cenſeri cupiunt, manes jam defuncti ſollicitare temere auſi ſunt. Annus fere eſt, quod commentatiunculam aliquam beatus Vir *de Lexicis Latinis*, ſpeciatim *de Fabro, eiusque additamentis*, p. 254. ſqq. obſeruationibus eis inſeruerat, quæ de re Scholaſtica Berolini ſtatis temporibus prodeunt. Hic cum *Falſteriani* cuiusdam *Supplementi* mentio omnino iniicienda eſſet; non ſine laude, p. 269. & pasſim, induſtria docti Auctoris commemorata eſt, & modeſte ſatis monitum, ſi quid ſequius eſſe videbatur. Atque ipſe Cl. *Falſterus* in præfatione animaduerſionibus, quas vocat, epiſtolicis præpoſita,

poſita, (in qua leuioribus adductis graviora caute admodum disſimulat obiecta) ad Lectorem inficiari non poteſt, ſe *liberaliorem minusque inuidum* DORNMEIERVM expertum eſſe. Nihilo tamen minus Vir beatus eidem *præceps admodum, iudicii ſui prodigus,* & *cum vmbris tantum errorum* præcipiti ſatis & illiberali judicio *luctari* dicitur. Immo, ne quid deſit criminationi in defunctum, *petulantiam* quoque, cui a ſe ignoſcendum ſit, pueris certe, quam Viro erudito digniorem, illi affingit. Enimuero doctum in virum hæc nollem homini non indocto excidiſſe, a quo diffidere quidem, ſed candide, vt decet humanitatis ſtudioſos, & ſine acerbitate licet; idque hoc magis, ſi alter & ætate & meritis in rem literariam grauior, aut morte beata inuidorum *ὁμοτέχνον* æmulationi iam

iam ſubtractus ſit. Hac occaſione quoque nonnemo, isque ſatis hic notus, ex inueterata bonos criminandi intemperie, amice monendus eſt, ne in compitis, Bibliopoliis, & frequentatis muliercularum domiciliis B. DORNMEIERVM ordinis ſacri, cum viueret, oſorem fuiſſe, parumque iacturæ in eodem feciſſe orbem literarium, nugari pergat. Neque enim odio ſtatim in ordinem venerabilem fertur, qui alicuius ex eo ineptias & *ἀλλοτριοεπισκοπίαν* cordate, vt audio, & coram teſte aliquando *ὑπ᾽ ἀνάγκης* taxauit. Damnum vero, quod immaturo Viri obitu res literaria fecit, vere eruditorum, & quorum præcordia iuxta Poetam de meliore luto ſunt efficta, non Vitilitigatorum eſt æſtimare. Manebit, ſpero, laus ſua Noſtro apud æquiores rerum æſtimatores, quam

diu

diu bonis literis, quas ſubinde ornauit, ſuus conſtabit honos. Hanc nobis fiduciam faciunt præclara & peruagata dudum de meritis dotibusque beati Viri eruditorum iudicia, quæ certo ſcimus non imminutum iri his VORSTIANO libello commodatis, etſi fato quoque interruptis curis. Vt taceam, quæ propter materiæ adfinitatem eis ſubiecta eſt, *de Vitioſo Tullii Imitatore* diſſertationem pereruditam & elegantisſimam, incredibili plane induſtria, a Viro optimo concinnatam, id quod prudens & exercitatus lector facile obſeruabit. Quo vltimo & Auctore adhuc viuente typis jam fere exſcripto ſpecimine literario latinitatem non vulgo quidem neglectam, quod argumentum VORSTIVS occupauerat, ſed eruditis etiam philologis negligendam, non male videtur complexus eſſe.

eſſe. Atque hoc poſtremo ſuo quaſi Κυκνείῳ ᾄσματι teſtatum apud poſteros relinquere voluit, quid ſenſerit de philologiae cultura, in qua nonnullis, vt ineunte diſſertatione ipſe queritur, nimius quodammodo viſus eſt. Scilicet, vt regia incedatur via, nec quidquam respublica literaria detrimenti capiat, tantum a ſuperſtitione improuida abeſſe eam debere cenſet, quantum gliſcens hodie neglectus ab eadem omnino remouendus eſt. In quo non dubito, quin prudentiores omnes facile ſit habiturus conſentientes.

De ſubiecto tandem Dialogo, qui *Ciceronis relegati & revocati* titulum præfert, ipſa Diſſertatio DORNMEIERIANA §. *66.* agit. Addimus, inter cariora inſignis Bibliothecæ cimelia, Summum Virum,

rum, quem veneratur p. 79. diſſert. numeraſſe opuſculum, vt nec amicis, niſi per tantillum temporis ſpatium, concederet legendum, quod omnem deſcriptionis metum copiamque excluderet. Sed forte Bibliopolæ ob raritatem & argumentum diſſertationi conueniens Dialogum hunc conquirenti exemplar aliquod *Lipſiæ* 1534. apud *Michaelem Bluhm* excuſum ab exteris mittitur, antequam reliqua typis plane abſoluta eſſent. Proinde viſum eſt vitioſo Ciceronis imitatori eundem adiungere, ne vel prouocatum ad eum fruſtra ſit in diſſertatione, vel diutius is forte a doctis requiratur. Tibi vero, *Beneuole Lector*, ſi non improbabitur plane, quod ſperamus; hæc Bibliopolæ in iuuandis bonis literis prothymia, faciet Vir honeſtis-

neſtisſimus, vt plura in poſterum, doctorum ingeniorum monumenta ſumtibus ſuis ab interitu vindicentur. Dab. Berolini, XII. Calend. Martii A. R. S. M DCC XVIII.

DE

D E

LATINITATE SELECTA

E T

VULGO FERE NEGLECTA

L I B E R.

CONSPECTVS GENERALIS.

Multa cum Latina ſint, vulgo tamen fere negligi, nec vt alia vſurpari: & quibus de cauſis id fiat.

Eorum, quæ Latina ſunt, & ab optimis Latinitatis auctoribus vſurpata, plurima hodie fere negligi videas, nec perinde, vt cetera vſurpari. Idque duplici fere de cauſſa fieri videtur; vel, quod dubitent, an ſatis Latina hæc vel illa ſint, vtpote linguæ vernaculæ admodum affinia; vel, quod apud antiquos auctores non perinde, vt cetera obſeruentur. Cui rei, vt aliquo modo mederemur, aliquot ab hinc annos libellum edidimus, quo bonam partem illius Latinitatis, quæ Germanis ſuſpecta fere eſt, perſecuti ſumus, atque illis, qui Latine fari aut ſcribere ſtudent, inanem metum adimere conati ſumus. Quam operam noſtram viris doctis adeo non diſplicuiſſe intelleximus, vt

eorum nonnulli libellum noſtrum fere totum in ſuos transferre dignati ſint, aut exemplum ſecuti, id genus plura obſeruare atque congerere ſtuduerint. Sed nunc & de alio quodam Latinitatis genere aliquid commentandum videtur, & huius quidem Latinitatis, quæ non propter metum quendam, quodque linguæ vernaculæ nimis affinis videatur, negligitur; ſed quod legendis antiquis auctoribus non ad illam perinde, quam ad ceteram Latinitatem animus attenditur, quodque in vſu linguæ Latinæ, qui nunc eſt, eadem vix apparet. Plerique ſcilicet eorum, qui Latine hodie ſcribunt, Latinitatem non qua vtuntur, tam ex auctorum veterum, & quibus lingua Latina vernacula fuit, quam ex recentiorum ſcriptis hauriunt, quæque in his obſeruant, ea multo vſu ferunt; quæ vero non obſervant, iis nec vtuntur, neque, vt eorum ignari, vti adeo poſſunt. Quotusquisque eſt, qui, cum Latine ſcribit, non vtatur verbo *concernere*, & ea quidem notione, vt idem ſit, quod *ad aliquid pertinere?* Scribunt exempli gratia: *Quæ res ſupernaturales concernunt. Ornatum aut aliam qualitatem eius iſta concernunt.* Verum enim vero talis verbi ſignificatio in ſcriptis auctorum veterum, quæ iuuentuti in ſcholis commendari ac proponi ſolent, nusquam obſeruatur. Imo dubium adhuc eſt,

an

an omnino verbum Latinum ſit *concernere*, vt in cap. XXIII. libelli de Latinitate merito ſuſpecta monuimus. Quod igitur hi, qui hodie Latine ſcribunt, verbo iſto vtuntur, id non eo fit, quod in ſcriptis Ciceronis aliorumque veterum, quæ ipſis adoleſcentibus commendata fuerunt in ſcholis, quæque deinde viri facti ſua ſponte legerunt, id verbum, atque eam verbi ſignificationem obſeruarint, ſed, quod legendis ſcriptis recentiorum ſæpe id verbum ipſis occurrerit, atque ita in illorum animum ac memoriam quaſi irrepſerit. Nec aliter de verbo *collimare*, de ſignificatione verbi *ſeducere*, qua idem eſt, quod decipere, & in errorem inducere, deque multis aliis ſentiendum eſt, vt in prædicto libello demonſtrauimus. Ceterum vt plurima, cum in ſcriptis antiquiorum nulla obſeruentur, hodie tamen multo vſu feruntur: Ita ſunt e contrario, quæ, cum in ſcriptis antiquiorum paſſim obuia ſint, raro tamen, aut vix vnquam hodie vſurpantur. Neque vnius generis ſunt ea, ſed diuerſorum. Nam vel certæ vocabulorum ſignificationes negliguntur; vel vocabulorum cum vocabulis conſtructiones, vel vocabulorum poſitus & collocationes, vel denique vocabula ipſa. Atque, vt rem illico exemplis declaremus, quotusquiſque eſt, qui, ſi de copiis atque exercitu agendum ſit, voce *opes* vtatur, dicatque *ma-*

gnæ opes proſtratæ ſunt? Quotusquisque item eſt, qui *modum* pro *menſura* & *quantitate* dicat? Atqui apud veteres non minus iſtæ, quam nonnullæ aliæ, vocabulis notiones ſubiectæ fuerunt, dictumque omnino fuit, *magnæ opes proſtratæ ſunt*, ſi magnæ copiæ, magnus exercitus fuſus eſſet; itemque *ingens modus, aquæ, æqualis modus ſulphuris*, ſi ingentem aquæ vim, & æqualem ſulphuris menſuram notare vellent: vt infra pluribus oſtendetur. Quotusquisque rurſus eſt, qui verbis *ornare* & *adornare* ſic vtatur, vt idem ſint, quod inſtruere, dicatque: *Omni genere armorum ornatus ad prœlium?* Quis non vereatur dicere: *Priuare aliquem ægritudine, iniuria;* quod videlicet putet, tantum rebus bonis aliquem priuari dici poſſe? Atqui apud veteres non modo aliæ, ſed & ipſæ illæ iſtarum vocum ſignificationes obſeruantur, vt itidem infra demonſtrabitur. Nec modo dixerunt veteres, *ægritudine, iniuria, aliisque malis priuare aliquem, ſed & dolorem, errorem, ſeruilem conditionem*, id eſt, *ſeruitutem alicui eripere*. Ac pari modo non tantum de rebus bonis, ſed & malis, vt *febri, perturbatione animi, dolore, crimine, culpa, carere* dixerunt, vt in cap. VII. lib. de Latinitate falſo ſuſp. oſtendimus. Quotusquisque porro eſt, qui, ſi ad hoc vsque tempus aliquid factum ſignificare velit, voce *adbuc* vtatur,

tur, dicatque exempli gratia: *Non pro mea adhuc, ſed pro patria, libertate pugnaui;* & non potius: *Hactenus non pro mea, ſed pro patria, libertate pugnaui?* Atqui veteres cum ea, quæ dixi, exprimenda, & noſtræ voci *bisher*, reſpondens quippiam ponendum fuit, non voce *hactenus*, ſed voce *adhuc* vſi fuerunt, quod infra pluribus oſtendetur.

Alterum Latinitatis vulgo fere neglectæ genus fecimus, certas vocabulorum cum vocabulis compoſitiones & conſtructiones. Magna omnino tum Nominum, quæ Grammatici vocant, cum nominibus, tum eorundem cum verbis, aut aliis orationis partibus conſtructionis varietas eſt. Atque huius alia in vulgus ſatis nota eſt, ab omnibusque vſurpatur: alia vero abſtruſior, nec quibusuis cognita; aut certe minus, quam par eſt, frequentatur. Exempli gratia: *Imponere aliquid alicui*, & *includere aliquid alicui*. conſtructionem vulgo notam habent: Verum, quod etiam dicant, *imponere aliquid in aliquo*, non perinde notum eſt, aut certe negligitur. Quod autem auctores ita loquantur, id infra producendis ipſorum verbis apparebit. Neque vero conſtructio iſta poſterior ratione caret. Primo enim verbo ſimplici dicunt: *Ponere aliquid in aliquo*, deinde vero verbo compoſito, & præpoſitione *in* geminata, ipſique etiam verbo adiecta:

iecta: *Imponere aliquid in aliquo.* Ad quam formam & Iuſtinus dicit: *Infundere in ſtatuis;* & Columella: *Infundere in naribus.* Ceterum in talibus præpoſitio ſubinde ipſi verbo quidem adiicitur, ſeorſum poſita autem non apparet. Vt, quod Nepos dicit: *Implicari tyrannide*, pro *implicari in tyrannide;* & Cicero: *Implicare ſe ſocietate*, pro *implicare ſe in ſocietate.* Sic & alio caſu, & quarto quidem, dicunt: *Inbiare aliquam rem*, pro *inbiare in aliquam rem.* Item alia præpoſitione verbo addita, *aduolui genua*, pro *aduolui ad genua;* & *aduolare roſtra*, pro *aduolare ad roſtra;* & *adiacere mare*, pro *adiacere ad mare.* Eſt & vbi alia præpoſitio verbo, alia nomini adiecta apparet. Sic non modo dicunt: *Intueri aliquid, & intueri in aliquid*, ſed & *intueri ad aliquid:* nec modo *addere ad aliquid*, ſed & *addere in aliquid.* Quæ quidem omnia infra producendis auctoritatibus confirmabuntur. Porro *defendere a vi, ab iniuria, a bello aliquem* conſtructio verbi vulgaris & cunctis nota eſt: Verum, quod etiam dicant, *defendere vim, iniuriam, bellum ab aliquo*, id non perinde notum in vulgus eſt. Pari modo notiora in vulgus ſunt: *diſputare de aliqua re*, & *dubitare de aliqua re*, quam *diſputare aliquam rem*, & *dubitare aliquam rem.* Contra vero notiora in vulgus ſunt: *Exponere aliquam rem,*

deferre

deferre aliquam rem, & *obiicere aliquam rem*, quam *exponere de aliqua re*, *deferre de aliqua re*, *obiicere de aliqua re.* Ceterum, quia in optimis Latinitatis auctoribus conſtructiones non minus hæ, quam illæ, reperiuntur, & paſſim obuiæ ſunt, vſurpandæ item hodie non minus hæ, quam illæ, cumque vulgo fere negligantur, in vſum quaſi reuocandæ poſtliminio ſunt.

Tertium porro Latinitatis vulgo fere neglectæ genus fecimus illud, quod certæ vocabulorum collocationes & poſitus fere negliguntur. Exempli gratia, quod inter participium verbumque ſubſtantiuum eleganter aliquid interiiciunt, dicuntque: *Fructum eſt ampliſſimum conſecutus*, pro *fructum ampliſſimum eſt conſecutus*; & *neque mihi in omni vita res tam erit vlla propoſita*, pro *neque mihi in omni vita res vlla tam erit propoſita*; & *huius victoriæ callide diſſimulata lætitia eſt*, pro *huius victoriæ lætitia callide diſſimulata eſt*; & *vulgus omne hortatus pro tempore eſt*, pro *vulgus omne pro tempore hortatus eſt.* Huiusmodi plures quoque alii elegantes vocabulorum poſitus ſunt, de quibus infra paulo pluribus acturi ſumus.

Quartum, Latinitatis vulgo fere neglectæ genus fecimus illud, quod & vocabula ipſa non pauca negliguntur. Quotusquisque eſt,

qui dicat *abſcidere*, ac non potius *abſcindere?* Atqui *abſcidere* non minus Latinum eſt, quam *abſcindere.* Ac quis non vereatur dicere *inſcientia*, pro *inſcitia?* Atqui vtroque Cicero aliique vtuntur. Atque de his talibus, quæ ab his, qui Latine hodie ſcribunt, fere negliguntur, viri quidam docti elegantes libellos ſcripſerunt. Inter ceteros *Antonius Schorus* elegantem de hoc argumento librum edidit, qui propter Titulum nihil grande ſonantem illum vulgo fere negligitur. Habet quidem inſcriptio eius ita: *Phraſes linguæ Latinæ, ratioque obſeruandorum eorum in auctoribus legendis, quæ præcipuam ac ſingularem vim aut vſum habent.* Eum librum, cum *Iacobus Cellarius* denuo edendum curaret, inſcriptionem eius mutauit, ac *phraſeologiam Latinæ linguæ* librum nuncupauit. *Caſpar* autem *Scioppius* compendium eius fecit, quod ſub nomine *Obſeruationum Latinæ linguæ* editum videre meminimus. Pertinent huc item *Oberti Giſanii in linguam Latinam obſeruationes;* & varii id genus alii libelli. Quibus quod varia, quæ huc pertinent prætermiſſa, aut non ea, qua par erat, cura, expoſita videntur, nobis quoque conſilium eſt, nonnulla eius generis congerere, ſuperioribusque de Latinitate libellis aliquem adhuc ſuperaddere, quem *de Latinitate ſelecta & vulgo fere neglecta* librum inſcribere viſum eſt.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De quorundam Nominum Subſtantivorum ſignificationibus, quæ vulgo fere non obſervantur.

PRimo igitur de vocabulorum ſignificationibus videamus, quæ vulgo minus obſervantur, aut certe negliguntur. Et quia vocabula ipſa non unius generis ſunt, ſed in certas claſſes a Grammaticis diſtributa, primo de nominum quorundam ſubſtantivorum ſignificationibus diſpiciamus.

ADSPECTUM Latini vocant ipſam illam facultem naturalem, quam vulgo *viſum* dicunt; Sed &, quæ inde

provenit, actionem ſeu operationem. Cic. 3. de Or. *Omnes res quæ ſub aſpectum veniunt*. Item de univ. *Quæ ex conjunctione cœlum ita aptum eſt, ut ſub aſpectum & tactum cadat*. Auctor ad Her. 2. *Aut denique nunquid aliquo ſenſu perceptum ſit, aſpectu, auditu, tactu*. Cic. 2. N.D. *Oculi aſpectum, quo volunt, facile contorquent*. Item: *Pomorum jucundus non guſtatus ſolum, ſed odoratus etiam & aſpectus*. Videbis plura hujus generis in Theſ. Niz. Subinde & pro conſpectu & præſentia uſurpatur, ut idem Nizolius exemplis ex Cicerone productis docet.

AMBITIO non tantum idem eſt quod affectatio honorum & dignitatis, ſed & quodvis vehemens ſtudium & contentio aliquid faciendi aut impetrandi ita dicitur. Nepos 10. 2. 2. *Magna eum ambitione Syracuſas perduxit*. Cic. 1. 1. ad Att. *In quo uno maxime ambitio noſtra nititur*. Juſtin. 1. 3. *Quum admitti magna ambitione ægre obtinuiſſet*. Sed & AMBITUS ea notione reperitur, ut magnum ſtudium & contentionem ſignificet. Vide quæ de hac voce notata ſunt in Lexico Fabri. Quibus

adde

adde quod Sulp. Severus 2. Hiſt. S. 34. ſcribit. *Crux reperta & Digno ambitu conſecrata.* Notetur item quod *ambitioſus* non tantum dicatur is qui honores affectat, ſed & qui magno ſtudio & contentione aliquid facit Ovid. 3. de Ponto 1.

Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum
Pro noſtris ut ſit ambitioſa malis.
Ut minus infeſta jaceam regione, labora:
Clauda nec officii pars erit ulla tui.

Vult ille uxorem ſuam *ambitioſam* eſſe pro ſuis malis, id eſt, laborare, ut mala ab cervibus ſuis depellantur, nec apud Getas amplius degere neceſſe habeat. Cicero & adverbio *ambitioſius* ea notione utitur, ut 3.7. ad fam. *Cum in iſto genere multo etiam ambitioſius facere ſoleam, quam honos meus, & dignitas poſtulat.* Cicero l. 6. ep. 13. ad fam. *ambitioſas rogationes* vocat, quæ magno ſtudio & contentione fiunt. Qua notione & Sulp. ſeverus vocem uſurpavit, ut in Notis ad Dial. l. c. 5. monuimus. Notetur autem & propria vocabuli ſignificatio, quam in prædicto Lex. Buchne-

rus notavit; quod videlicet ſignificat eum qui ambit, amplectitur,& comprehendit. Ut quod Solinus dixit *ambitioſa opida*, pro his, quæ magno ſunt ambitu. Et Horatius lib. 1. Od. 36. *laſcivis hederis ambitioſior*, pro ea, quæ plura amplectitur & comprehendit, quam hedera.

ANFRACTUM. Latini non Locorum tantum & viarum dicunt, ſed & ſermonis. Cicero 2. Div. *Quid opus circuitione & anfractu?* Et Partit. *Oratio circumſcripta longo anfractu.*

Vocis CAUSSA ſignificatio,de qua modo dicebamus, & ipſa non adeo nota in vulgus eſt; quæ videlicet idem eſt, quod *ſimulata cauſſa, ſpecies*. Cæſar 2. B. Civ. 87. *Annon audiſtis ex iis quae per cauſſam valetudines remanſerunt cohortes eſſe Brunduſii factas?* item lib 3. B.Civ. *Per cauſſam exercendorum militum.* Et Livius lib.24. *Ut cum appropinquaret janua Rex, per cauſſam aliquam ſuſtinent in anguſtiis a tergo agmen.* Item Frontinus l. 3. Strateg. *Ipſe dignus eſt, qui in teſtimonium afferatur, bujusmodi fallaciam inſtruxit, ut ille per cauſſam venandi no-*

ctu

ctu procederet. Livius idem ſic expreſſit: *Hi priusquam aliquid moverent, colloquendum cum Annibale rati, nocte per ſpeciem venandi urbe egresſi eo proficiſcuntur.* Ut appareat, *per cauſſam venandi* nihil aliud eſſe, quam *per ſpeciem venandi.* Sic & quod Tacitus l. 1. Hiſt. dicit *ſpecie legationis*, id Svetonius in Othone dicit *per cauſſam legationis.* Verba Svetonii ſunt: *Sepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam.* Taciti autem: *mox ſuſpectum in eadem Poppaea* (Othonem) *in provinciam Luſitaniam ſpecie legationis ſepoſuit.* Rurſus SvetoniusCaeſ. 1. *Repetita Bithynia per cauſſam exigendae pecuniae.* Et Tibullus l. 1. el. 6.

Saepe velut gemmas ejus ſignumq; probarem,
Per cauſſam memini me tetigiſſe manum.

Ejusdem vocis CAUSSA ea quoque ſignificatio notanda, qua pro conditione & ſtatu ponitur. Cicero l. 14. ep. 4. ad fam. *Ceterorum ſervorum ea cauſſa eſt, ut, ſi res a nobis abesſet, liberti noſtri eſſent, ſi obtinere potuisſent.* Idem l. 10. ep. 6. ad Att. *mea cauſſa autem alia eſt.* Antea dixerat: *Nec tuam rationem eandem esſe duco, quam meam.* Rurſus

lib. 2. ep. 4. ad fam. *Atque in hoc genere ea mea cauſſa eſt, ut neque ea, quae nunc ſentio, velim ſcribere.* Et l. 6. ep. 3. *Neq, ea mea erat cauſſa atque fortuna, ut, cui omnia deesſent, alterum confirmarem.* Sic & lege 9. D. de Publiciana in rem actione ex Ulpiano. *Quod ſi à diverſis non dominis, melior cauſſa ſit posſidentis quam petentis.* Vide & caput 3. libri de Latinit. merito. ſuſp. p. 36. Dicunt autem & *in eadem cauſſa eſſe*, pro eadem conditione eſſe. Caeſar de B. G. 4. 4. 1. *in eadem cauſſa fuerunt Uſipetes.* Cicero 1. de Fin. *in eadem cauſſa ſunt qua antea quam nati.* Vide & Notas Ciacconii in eum locum Caeſaris.

CIVIS non civitatis tantum & reip. cujusdam, Romanae exempli cauſſa, vel Athenienſis, ſed & ſingulorum dicitur, & quidem civis alicujus, qui ejusdem civitatis pars eſt, cujus eſt alter: quem perperam *concivem* dicunt: Cicero pro Mil. cap. 14. *Facinoroſorum armis meos cives, meis conſiliis periculisque ſervatos, pro me objici nolui.* Et 1. de Fin. *Ut ſint opera, ſtudio, labore meo doctiores cives mei.* Et 2. de Div. *Dabunt mihi veniam mei*

mei cives, vel gratiam potius habebunt. Nepos Milt. cap. 1. *ut de eo bene ſperare cives posſent ſui.* Item: *Civibus ſuis pœnas dare.*

(*) Adde ex Cellarii Curis poſter. Antibarbari ſub voc. Concivis.

CONSILIUM dicitur quoque ipſe conſulentium ſeu conſultantium cœtus; non, inquam, per litteram C. ſcriptum, ſed per S. Dicitur ſane & *concilium*, ſed proprie hoc non conſultantium, ſed quemvis coetum ſignificare videtur. Caeſar. 1. B. C. *Concilia conventusque fugere.* Et Cicero de Sen. *in concilium coetumque proficiſci.* Item 2. de fin. *Non eſt necesſe, voluptatem in virtutum concilium adducere.* Hinc & Lucretius iſto vocabulo pro quarumlibet rerum conjunctione utitur, dicit enim *Materiai concilium.* Et Arnobius, quas *corporum conjugationes*, id eſt, conjunctiones, vocat, etiam *corporalia concilia* appellat. Vide Buchnerum ad Lex. Fabri. Plautus quoque *concilium* pro quovis cœtu & congresſu dicit Ciſt. 4. 2. 28. Mil. 2. 2. 94. Atque ut planisſimè res intelligatur, omnis cœtus conſultantium eſt concilium: ſed non omne concilium

eſt cœtus conſultantium. At *conſilium*, ſi quidem ipſos homines denotet, non niſi coetum conſultantium ſignificat. Sed hujus ſignificationis exempla videamus. Nepos 18.12.1. *De hoc Antigonus cum ſolus conſtituere non auderet, ad conſilium retulit.* Item 18.12.2. *Cognita conſilii voluntate.* Et 19. 3. 4. *Et conſilii ſententia in cuſtodiam conjectus.* Cicero quoque ſaepisſime ſic uſurpavit. Ut pro Mil. *in judicio vero, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus amplisſimi viri judicarent.* Cujus generis plura ab Antonio Schoro in libro de phraſibus Latinae linguae congeſta videas.

COPIAE numero plural. non modo exercitum ut vulgo putant, ſed & commeatum pecuniam & quicquid ad victum pertinet, ſignificant. Cicero pro Dejot. *ille exercitum Cn. Domitii ſuis copiis & tectis ſuſtentavit.* Item 2. *de Inv. Crotoniatae cum florerent omnibus copiis.* Et 1. Off. *Omnium rerum affluentibus copiis ditari. Item ſingulorum copiae parvae ſunt, eorum autem qui his egeant, infinita eſt multitudo.* Et 2. 3. ad fam. *Munerum facultatem nemo admiratur, eſt enim*

co-

copiarum. i. e. qui copias ſive opes & divitias habet, is facile poteſt munus gladiatorum edere. Et de Amic. *Circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere.* Inde *copioſum* dicitur, quod commeatu & copiis abundat. Cicero pro Arch. *Urbs celebris & copioſa.* Nepos Eum. cap. 18. 5. *illa autem* (via) *qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum. Sed erat copioſa, omniumque rerum abundans.*

COPIA vox ſing. numeri nec tantum copiae, vox plur. numeri, ut vulgo putatur, de exercitu uſurpatur. Pompejus in epiſtola, quae eſt decima ſeptima, libri 8. ep. Cic. ad Att. *Uti ipſe cum omni copia ad me veniret.* Item. *Alter in Siciliam cum ea copia quam Capua & circum Capuam comparaſtis, & cum iis militibus quos Fauſtus legit, proficiſceretur.* Et 8. 19. Neque *ſolus cum iſta copia tantam multitudinem ſuſtinere poteris, ut frumentatum eas.* Virgilius 2. Aen. v. 564. *Reſpicio, & quae ſit me circum copia, luſtro.* Ad quem locum notat Servius, non aliter & Salluſtium locutum eſſe. Ipſe Cicero 13. ult. ad Att. *Omnis armato-*

rum copia. & Tacitus 2. 52. Ann. *Levis copia.*

DELICIAS dicunt Latini eum, qui amicus & charus cuipiam eſt. Cicero 1. De Div. *Quid amores & deliciae tuae Roſcius ?* (*) Item 8. 8. ad fam. Scito *C. Semproniam mel ac delicias tuas calumniam maximo plauſutulisſe.* Item 16. 6. ad Att. *Pyliae ſalutem dices & Atticae, deliciis & amoribus meis.* Non auſus fuisſet Cicero ita ſcribere, ſi vox *deliciarum* aliquid amplius quam amicitiam & charitatem cum honeſtate conjunctam tunc ſignificasſet. Notæ quoque locutiones, *in amore ac deliciis alicui esſe, in deliciis aliquem habere.*

(*) Eodem modo Plinius l. 1. epiſt. 3. pr. Quid agit Comum, tuae meaeque deliciae?

DIES & pro tempore, nec ſemper pro parte temporis, qua ſol eſt ſupra horizontem. uſurpari ſaepe invenias. Cicero 5. 16. ad fam. *Quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus.* Et 6. 14. *Nam & res eum quotidie, & Dies & opinio hominum mitiorem facit.* Livius l. 10. *Victoriam quantam de Samnitibus nemo ad eam diem praeter L. Papirium patrem*

trem conſulem pepererat. Juſtinus 8. 5. *Miſeranter vicem ſuam, quod in eam diem vixiſſent; nunc filiorum, quod non poſt eam diem nati eſſent.* Subinde & non pro quacunque ſed pro conſtituta die uſurpatur. Cicero 2. 17. ad fam. *Quin ad diem decedam, cauſſa nulla eſt.*

DISCEPTATOR non modo is dicitur, cui controverſia cum quopiam intercedit, ſed & qui cauſſas moderatur & dijudicat. Cicero 13. 26. ad fam. *Sic enim praeſcripſimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus quae in aliquam controverſiam vocarentur, te arbitro, & quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur.* Item in Partit. *Aut auſcultator eſt modo qui audit, aut diſceptator, id eſt, rei ſententiaeque moderator.* Quintilianus 9. ult. Aſinii haec recitat: *Si Caeſar ex omnibus mortalibus, qui ſint ac fuerint, poſſet huic cauſſae diſceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.*

EXEMPLUM latini dicunt, quod Graeci ἴσον, Germani eine Abſchrifft. Cicero 7. 2. ad Att. *Caeſaris literarum exemplum tibi miſi.* Et 7. 6. *Earum litteræ-*

terarum exemplum infra ſcripſi. Item 6.8. ad fam. *Earum literarum exemplum infra ſcriptum eſt.* Deinde *exemplum* idem eſt quod argumentum litterarum id, de quo ſcribitur. Cicero 4. 4. ad fam. *Accipio excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſaepius ad me litteras uno exemplo dediſſes.* Ibidem dicit quoque: *iisdem verbis epiſtolas ſaepius mittere.* Rurſus 9.16. ad fam. *De quo tu mihi antea ſcripſeras bis eodem exemplo.* Item 9.4. ad Att. *Capua litterae ſunt allatae hoc exemplo: Pompejus mare tranſiit. &c.* Noſtri dicunt: Dieſes Inhalts.

FACULTAS, itemque poteſtas, non tantum rei faciendae, ſed & perſonae cujusdam, alicui eſſe dicitur. Plancus in ep. quae eſt quarta libri 10. ep. Cic. ad fam. *Si facultas tui praeſentis eſſet, nunquam a conſiliis tuis diſcreparem.* Cicero 1. 5. ad fam. *Quoties mihi certorum hominum poteſtas erit, quibus recte dem, non praetermittam.* Item 1.9. *Quocunque tempore mihi poteſtas praeſentis tui fuerit.* i. e. quocunque tempore te praeſentem habuero. Et or. pro Dom. *Nec eorum cujusquam tibi poteſtas fuit.* FAU-

FAUCES quid propriae ſignificent, id notum: ſed nec ea ſignificatio adeo recondita eſt, quae de freto uſurpatur. Praeterea vero anguſta quoque terra quae inter duo maria eſt, & graeco vocabulo *iſthmus* dicitur, *fauces* appellatur. Juſtinus 4. 1. 1. *Siciliam ferunt anguſtis quondam faucibus Italiae adhaeſiſſe.* Livius 45. 28. *Iſthmus duo maria ab occaſu & ortu ſolis finitima arctis faucibus dirimens.* Ubi vox *Iſthmus* praeterea apparet. Sic fere & 32. 21. *Peninſula eſt Peloponneſus, anguſtis iſthmi faucibus continenti adhaerens.* Sed & anguſti tranſitus montium ſic appellantur. Livius 29. 32. *Maſiniſſam perſecutus in valle arcta faucibus utrinque obſesſis incluſit.* Idem 32. 21. *Cur excesſit faucibus Epiri, clauſtrisque illis inexpugnabilibus ſuper Aoum amnem?*

FIDES multis ſane modis dicitur. Significationum autem hic notetur illa, quod idem quoque eſt quod *promisſum* ſive *promisſio.* Caeſar. L. 7. de B. Gall. *Quoniam in praeſentia obſidibus cavere inter ſe non poſſent, ne res efferatur, id jurejurando ac fide ſanciatur, petunt.*

Hic

Hic *juſjurandum ac fides* conjunguntur. Et *fides* nihil aliud hic quam *promiſſum* ſeu *promiſſio*. Hinc & *fidem dare* dicunt pro *promiſſa* dare, ut loquitur Virgilius. vel uno verbo, *promittere* :. *& fidem ſervare*, pro *promiſſa facere*, ut loquitur Curtius. De ipſo verbo *dare* autem in phraſibus, *fidem dare*, *promiſſa dare*, *juſjurandum dare*, notandum, quod idem ſit quod *facere*: ut vi ſingularum vocum phraſes iſtae congruant cum Germanicis, Zuſage thun, einen Eid thun, quae quidem uſurpantur pro verbis ſingulis, Zuſagen Schweren. Sed ſi ipſum verbum *facere* adjicias, dicasque *fidem facere*, id aliud rurſus erit, & quidem *facere ut aliquis credat* ſeu *fidem habeat*. Vide & libellum noſtrum de Latinitate falſo ſuſp. p. 6. 7. Ceterum quod vox fidei in phraſi *fidem dare* idem eſt quod promisſum, ea ipſa cauſſa eſt, quod phraſis non, ut multi putant, reſpondet noſtrae phraſi, Glauben geben, qua quidem utimur pro Glauben, ſed, ut dixi, alteri noſtrae phraſi, Zuſage thun. Porro vero & illud notetur, quod *fides* idem quoque ſit, quod promisſorum praeſtatio,

tio, &, ut Donatus ad Andr. 1. 1. 7. loquitur, *Commendatorum fida executio & obſervantia.* Sic dicunt, *promiſſorum fides, fides dictis non adeſt.* Quibus Sulpicius Severus, ſatis latine puto, uſus eſt in Hiſtoria ſacra lib. 1. c. 4. 8. 6. Juſtinus quoque 17. 1. 3. ait, *fides oſtentis non defuit*, ubi ſignificare vult, factum eſſe illud, quod oſtenta portendebant. Item 41. 3. 10. *Fides dictis promiſſisque nulla, niſi quatenus expedit.*

(*) De ceteris ſignificationibus & phraſibus vide Lexica, & nota quod *fidem adhibere* minus tuto dicatur. Cell. C. Poſt. Antibarbari.

FINIS quod terminum ſeu extremam partem locorum ſignificet, *id vulgo notum eſt*, ut quod Cicero ſcribit 3. in Catil. *Quorum alter finem veſtri imperii non terrae, ſed caeli regionibus terminaret.* Quod autem terminum quoque temporis ſignificet, dicaturque, *ad eum finem* ſcil. temporis, pro tamdiu, id non perinde notum eſt in vulgus. Notentur ergo hujus generis nonnulla. Nepos 15. 2. 5. *Exercebatur plurimum currendo & luctando, ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet atque contendere.* *Ubi ad eum finem quoad* eſt pro *tamdiu*,

do-

donec. Cic. 1. Verr. *Manſit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti eſſent.* Et lib. 1. de Nat. D. *Quid dicam quantus amor beſtiorum ſit in educandis cuſtodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem dum poſſint ſe ipſa defendere.* Item 7. in Verr. *Piratam tenuiſti quem ad finem?* i. e. quamdiu? Et 1. in Catil. *Quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia?* Praecedunt ἰσοδύναμα *quousque, quamdiu*: & nunc orationis variandae cauſa uſurpatur *quem ad finem.*

FRUCTUS non tantum pro utilitate & commodo, ſed & pro delectatione & voluptate uſurpatur. Nepos 18. 11. 2. *Qui propter odium fructum oculis ex ejus caſu capere vellent.* Cicero 5. 13. ad fam. *Illum fructum ex iis literis vel maximum cepi, quod te praedicere res humanas contemnentem cognovi.* Et in Bruto. *Tum Brutus, volui id quidem efficere certe, & capio magnum fructum, ſiquidem quod volui tanta in re, conſecutus ſum.* Et 5. 2. ad fam. *Ejus mei conſilii majorem in dies ſingulos fructum voluptatemq; capio. Ubi fructus & voluptas* ut ἰσοδύναμα conjunguntur. GE-

GENAE dicuntur vulgo pro malis, parte faciei. Nec male illud. Ita enim omnino veteres, ut Ovidius. Triſt. 3. 3. *Parce tamen lacerare genas.* Sed altera vocabuli ſignificatio, quae fere primaria, negligitur. Dicuntur autem *genae* & pro membranis ſeu tunicis oculorum. Quo pertinet, quod ipſe Cicero (*) *genas piloſas* vocat. Statius 5. Sylv. 4. *Aegras ſtare genas.* Plinius II. 37. *Palpebrae ingeniis homini utrinque.*

(*) In Piſonem principio. Verum autem eius orationis principium deeſt.

GENTILES fere hodie non niſi illi vocantur, qui expertes ſunt ſacrarum litterarum & veri cultus divini. Sed ea vocis ſignificatio adſcita eſt ex Hebraiſmo, ac nova ratione eis hominibus tributa, non ſecus quam Graecis ἔθνος & ἐθνικός, ut in notis in Sulpicium Sev. (*) pluribus expoſuimus. Ceterum nativa vocis ſignificatio eſt, quod *Gentiles* dicuntur, qui ex eadem gente & familia ſunt orti: eaque ſignificatio vulgo parum nota videtur. Cicero in Topp. *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem ſunt nomine*

(*) Vide indicem Latinitatis ad Sulpicium Severum.

mine ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo ſervitutem ſervivit, qui capite non ſunt diminuti. Item 2. de Inv. *Si furioſus eſt, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque ejus poteſtas eſto.* Et 1. Tuſc. *Antiquus ſane: fuit enim meo regnante gentili.* Ubi Cicero *gentilem ſuum* vocat Servium Tullium. Plura ex eodem Cicerone congeſta ſunt a Nizolio, qui idem & nomina inde orta *gentilitas* & *gentilitius* inter cetera recenſuit.

Sed & de ipſo primitivo vocabulo GENTIS hic monendum. Id vulgo putant non niſi totius cujusdam regionis hominum multitudinem ſignificare. At cum Antiquis ſi loqui volumus, in una quadam regione gentes eſſe permultae poſſunt. Eſt enim *gens* idem quoque, quod familia ſeu proſapia. Svetonius. Octav. c. 1. *Gentem Octaviam Velitris praecipuam olim fuiſſe, multa declarant.* Item: *Ea gens inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox in Patricios transducta.*

GENERIS vox multum uſurpata eſt antiquis, ubi hodie fere negligitur. Cicero quidem plurimum ea utitur in ſigni-

ſignificanda re proxime nominata. Exempli cauſa 2. 16. ad fam. *Memini in hoc genere gloriari ſolitum eſſe Q. Hortenſium, quod nunquam bello civili interfuiſſet.* & libro 3. ep. 2. *Quid in eo genere efficere poſſis, tui conſilii eſt.* Præceſſerat: *Video ex S. C. provinciam eſſe habendam: ſi eum, quoad ejus facere potueris, quam expeditiſſimam mihi tradideris: facilior erit mihi quaſi decurſus mei temporis.* Apparet itaque, *in eo genere* idem fere eſſe quod in ea re. Sic & 2. 1. ad fam. *Non vereor, ne non ſcribendo te expleam, praeſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere*: Item 2. 4. *Atque in hoc genere haec mea cauſa eſt, ut neque ea, quae nunc ſentio, velim ſcribere.* Item 2. 6. *Habemus ſtudium juventutis & gratioſorum in ſuffragiis propter ipſius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam.* Vide & notas Manutii in ep. 1. libri 2. ad fam. Sed non tantum cum præpoſitione *in* ita vox uſurpatur, ſed & ſine ea. Libro 3. ep. 7. ad Att. *Ego ſaepius ad te & plura ſcriberem, niſi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime hujus generis facultatem ademiſſet.*

ſet. Ubi *bujus generis* idem quod *hujus rei*,quam nominaverat. Et 3. 7. ad fam. *Cum in iſto genere multo etiam ambitioſius facere ſoleam, quam honor meus poſtulat.* L. 3. ep. 9. ad fam. *Sane mihi conſiderandum eſt, quo nam te potiſſimum remunerer genere,* i. e. quanam re. Et 10. 3. ad fam. *In omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit.* Juſtinus 44. 4. *Variis generibus exſtingui parvulum voluit.* i. e. variis modis. Livius 39. 9. *Scortum nobile libertina Hiſpala non digna quaeſtu cui ancillula aſſueverat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur.* Ubi *eodem genere* idem, quod *eadem re*, quaeſtu puta. Vel dici poſſit *eodem genere* idem hic eſſe, quod eodem modo. Celſus 7. 6. *Diverſo genere curari.* & Scribonius Largus cap. 39. *eodem genere*, pro eo, quod ibidem paulo ante dixerat *eodem modo.* Vide & indicem in hunc Rhodii, ubi plura id genus ex Caeſare & aliis auctoribus citantur.

HOMO non tantum epitheta,quae contemptus, ſed & quae laudis cauſa uſurpantur,juncta ſibi habet: diciturque *homo* doctus,clarus, nobilis, optimus,doctiſ-

ctiſſimus, clariſſimus, nobiliſſimus. Pro viro docto, claro, nobili, optimo, clariſſimo, nobiliſſimo, & ſunt talia in ſcriptis Ciceronis & aliorum paſſim obvia. Vide modo theſaurum Nizolii. Nepos. 4. 1. 1. *Pauſanias Lacedamonius* magnus homo. i. e. vir magnus. Deinde notetur vocem eleganter & vice pronominis uſurpari? Cicero 1. 2. ad fam. *Eo die caſu apud Pompejum coenavi, nactusque tempus hoc magis idoneum, quam unquam antea, quod poſt tuum diſcesſum is dies honeſtisſimus nobis fuerat in Senatu, ita ſum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam transducere.* Ubi *animum hominis* eſt pro *animum ejus.* Nepos 14. 10. 3. *Haec diu faciendo perſuaſit homini, ſe infinitum adverſus regem ſuſcepisſe bellum.* Et 18. 2. 3. *Hunc ſibi Perdiccas ad junxerat magno ſtudio, quod in homine fidem & induſtriam magnam videbat.* Vide & 18. 4. 4. Notetur denique & illud, quod *homo* per pleonaſmum aliis nominibus ſubinde praemittitur. Cicero 2. 15. ad fam. *Hominem adoleſcentem non tam allicere volui, quam*

alienare nolui. Et. 1.de Or. *Neque haec in eam diſputo ſententiam, ut homines adoleſcentes à dicendi ſtudio deterream.* Et 2, de Or. *Cum mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur.* Plautus mil. 2.6. *Hominem ſervum ſuos domites habere oportet oculos.*

INDEX non tantum de rebus,& de inanimis, ſed & de perſonis uſurpatur, & ſignificat quidem eum, qui aliquid indicat & defert. *Delatorem* (*) dicere ſolent. Cicero 4. in Cat. *Haec omnia indices detulerunt, rei confeſſi ſunt.* Item: *Caeſar indices maximis praemiis affecit.* Nepos 4.4.4. *Eo ille index confugit.* Argilius puta, qui literas pauſaniæ ephoris tradiderat. Notandum hic idem, quod Latini titulos & inſcriptiones librorum indices vocent. Cicero 2. de Or. *In Philoſophos veſtros ſi quando incido, deceptus indicibus librorum, qui ſunt fere inſcripti de rebus notis &c. verbum prorſus nullum intelligo.*

(*) Quod tamen vocabulum inhoneſtorum fere hominum eſt.

INDULGENTIA non ſemper in vitio ponitur,ut multi putant,ſed ſignificat quoque

quoque ea vox, quod laudem meretur. Nepos 25. 17. 2. *Quod eſt ſignum, hunc ea fuiſſe in ſuos indulgentia, ut, quos amare deberet, iraſci eis nefas duceret.* Quibus verbis ille facilitatem Attici erga cognatos exprimit. Cic. poſt red. *Liberi mei propter indulgentiam meam, mihi vita ſunt mea cariores* Et 3. in Verr. *Qui ſimili ſenſu atque indulgentia filiorum commovemini.* Et 2. de Orat. *Si ferae partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus?* Ubi *indulgentia* idem eſt, quod ϛοργὴ & amor, qui omnino licitus & honeſtus eſt. Rurſus 1. de Leg. *Homines inter ſe naturali quadam indulgentia & benevolentia contineri.* Gratiam Imperatoriam Plinius ſubinde *indulgentiam* vocat, & Imperatorem ipſum *indulgentiſſimum.* Sed & ipſum verbum *indulgere* idem eſt quod largiri,per gratiam dare. Plin. 10. epiſt. 6. *Si precibus meis ex conſuetudine bonitatis tuae indulſeris.* Et (*) ibid. epiſt. 7. *Quia in hoc ſaepe indulſiſti.*

INGENIUM non modo hominis

(*) Multa hujusmodi collegit Caſp. Barthius ad Claudiani librum 1. de Raptu Proſerpinae v. 143.

dicitur,ſed & rerum inanimatarum. Plin. libro 14. cap. 1. *Ingenium ſoli.* Tacit. Hiſtor. 5. 14. *Campi ſuopte ingenio humentes.* Ubi notanda conſtructio, *in aliqua re indulgere.*

Vocis INSTAR uſus ſatis notis ille eſt, quo vocula *ad* ad eam ſubauditur. Qualis uſus ejus eſt in illo Virgilii,

Inſtar montis equum divina Palladis arte
Ædificant.

Quanquam Servius voculam *ad* ſubaudiri non vult, neque *ad inſtar* Latine dici concedit. Qui tamen hic non audiendus videtur, propterea quod non tantum Serenus, quem ille citat, ſed & Juſtinus, Solinus, Apulejus & alii plene *ad inſtar* dixerunt. Quicquid vero eſt, uſus iſte, quo voci *inſtar* aliud accuſativi caſus vocabulum adjicitur, diciturque exempli gratia, *Equum inſtar montis aedificant*, ſatis notus eſt. At vero quod idem vocabulum primi quoque caſus ſit, &, ſi ſit quarti caſus, nullum aliud quarti caſus nomen adjiciatur, id non perinde in vulgus notum videtur. Virgilius lib. 7. Æn. *Magnum*

Agmen agens Clauſus, magnique ipſe
agminis inſtar.

Ait

Ait ille, Clauſum fuiſſe *inſtar magni agminis*: eſt que omnino *inſtar* in verbis iſtis primi caſus. Quæ res adhuc manifeſtior eſt in his Juſtini 4. 4. *Ab his mittitur Gylippus ſolus, ſed in quo inſtar omnium auxiliorum erat.* Ait hic non *Gylippus erat inſtar omnium auxiliorum;* ſed *In Gylippo inſtar omnium auxiliorum erat.* Cicero lib. 10. ep. 4. ad Att. *Epiſtola quæ voluminis inſtar erat.* Et Orat. *Haec magna ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore.* Et 15. 4. ad fam. *Eranam, quae fuit non vici inſtar ſed urbis.* Caeſar 3. de B. C. *Animadverſum eſt, cohortes quaſdam, quod inſtar legionis videretur, eſſe poſt ſilvam.* Rurſus Virgilius lib. 6. Aen.

Qui circum ſtrepitus comitum? quantum inſtar in illo? Juſtinus 18. 5. 11. *Ex frequentia hominum velut inſtar civitatis effectum eſt.* Ulpianus l. 22. D. de novi nunciatione: *Si proponatur inſtar quoddam & quaſi facies quaedam operis.* Ex quibus apparet, *inſtar* idem eſſe quod *ſpeciem, ſimilitudinem, aequalitatem* ſeu *paritatem.* Sed ejuſdem vocabuli, ut eſt quarti caſus, & ut aliud quar-

ti caſus vocabulum non ſibi junctum habet, itidem exempla adjiciamus. Svetonius Jul. Caeſ. 61. *Equi ſui inſtar pro aede Veneris dedicavit*. Ubi apparet *inſtar* nihil aliud eſſe quam *imaginem*, *effigiem*. Hirtius B. Alex. *Caeſar cohortium trium inſtar in terram expoſuerat*. Livius lib. 28. 17. *Scipio receptas Hiſpanias parvum inſtar eorum ducebat quae ſpe & magnitudine animi concepiſſet*. Cicero 2. Off. *Qui clientes ſe appellari mortis inſtar putant*. Et 5. Verr. *Navis ita magna ut urbis inſtar habere inter piraticos myoparones videretur*. Et 4. Tuſc. *Terra ad univerſi caeli complexum puncti inſtar obtinet*. Et lib. 16. ep. 5. ad Att. *Mearum epiſtolarum nulla eſt Synagoge. Sed habet Tiro inſtar ſeptuaginta*, epiſtolarum puta. Varro 1. de re ruſt. *Adjecit non pauca, & de Magonis dempſit inſtar librorum octo*. Vellejus Paterc. 2. 20. 4. *Triginta legionum inſtar impleverat*. & Valerius Max. 4. 1. 1. *Aedes ſuas diruit, quia inſtar arcis habere videbantur*. Columella 2. 5. *Acervi ſtercoris inſtar quinque modiorum diſponentur*. Ex quorum locorum poſtremis apparet, vocem *inſtar* uſurpari

etiam

etiam pro *circiter* aut *quaſi*. Quippe *Habet inſtar ſeptuaginta epiſtolarum* perinde eſt ac ſi dixiſſet, *Habet circiter ſeptuaginta epiſtolas*. Atque eorum, quae de voce *inſtar* attulimus, pleraque obſervavit & congeſſit ante nos Mariangelus à Fano Benedicti in Auctario Grammaticæ Philoſophicæ Scioppii. Quibus adhuc addi licet, quod Florus 3. 5. 18. ſcribit: *Centum amplius navium claſſem, apparatumque belli gravem, in Pontico mari aggreſſa tempeſtas tam foeda ſtrage laceravit, ut navalis belli inſtar efficeret.*

Itemque illud Ovidii 14. Metam.

Numinis inſtar eris ſemper mihi, meque fatebor
Muneris eſſe tui. - - -

Et rurſus idem ejusdem 3. Am. el. 13.

- - *Nec quae celare parabis,*
Inſequar: & falſi criminis inſtar erit.

INSTRUMENTI notio eadem ſubinde eſt, quam *Teli*, de quo poſte ſuo loco. Quomodo enim dicunt *telum* ad res gerendas, telum ad diſcendum ita quoque dicunt, *inſtrumentum ad t telam regni*. Seneca, uti praedicto loc citat Scioppius: *Contumeliarum patie.*

t

tia ingens inſtrumentum eſt ad tutelam regni. Cicero 1. de legibus: *Homo multa inſtrumenta habet ad adipiſcendam ſapientiam.* Idem 4. ad Brutum : *Antonius ab alio relictum regni inſtrumentum occaſionem regnandi habuit.* Juſtin. 1.1.8. *Quum proxima quaeque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet.* Tacitus 4. Hiſt. *Nullum majus imperii boni inſtrumentum, quam amici multi.* Sed inſtrumenti ea quoque ſignificatio obſervanda, qua non rem unam, ſed ad eandem artem pertinentia multa ſignificat. Ita dicunt *inſtrumentum ruſticum*, *inſtrumentum venatorium.* Cicero 5. in Verr. *Arationes magna impenſa magnoque inſtrumento tueri.* Sic & *inſtrumentum triumphi* vocant, quicquid ad agendum triumphum pertinet. Cicero L. VII. ep. 8. ad Attic. *Solvendi ſunt nummi Caeſari, & inſtrumentum triumphi eo conferendum.* Idem *inſtrumentum* & *ſuppellectilem*, *inſtrumentum* & *apparatum belli*, etiam conjungit. Ut 6. in Verr. *Haec omnia in inſtrumento ac ſuppellectile Verris nominabantur.* Svetonius Caeſ. c. 37. *Primum & excellentiſſimum triumphum egit Gallicum, ſequen-*

quentem Alexandrinum: Deinde Ponticum: huic proximum Africanum: noviſſimum Hiſpanienſem; diverſo quemque apparatu & inſtrumento. Vellej. 2. 114. *Inſtrumentum balinei.*

INVIDIA non tantum dicitur dolor ex alienis bonis, quem Cicero malit dici *invidentiam*, ſed & odium & vituperium. Nepos 10. 4. 1. *Id factum magnae fuit invidiae tyranno.* Praecedit, *id cum factum multi indignarentur;* quod videlicet Dionem Dionyſius Corinthum amandaverat; Ex quo apparet, *invidiam* hic non, ut alibi, dolorem ex alienis bonis, ſed odium ſignificare. Ita ſaepe & Cicero, ut pro Cluent: *Propter invidiam Numantini foederis.* Et Orat. *Sed habet nonnullam invidiam, cum in oratione judicili numerus ineſſe dicitur.* Hinc & *invidioſum* dicitur, quod diſplicet & vituperatur. Cic. 2. de Or. *Quae ſunt in his invidioſa, etiam invidioſiora faciunt.* Et Or. *Invidioſus numerus.* Notum item, quod *inviſus* dicatur is, quem odio perſequimur, ut mirum non ſit, quod invidia quoque idem quod odium ſit.

ITER

ITER non tantum actum eundi & iter faciendi, ſed & viam qua itur ſignificat. Nepos Eum. *Hoc ejus prudentiſſimum factum, quod deviis itineribus milites duceret.* Livius 1. 28. *In diverſum iter equi concitati.* Caeſar 1. de B. C. *Aditus atque itinera duo quae extra murum ad portam ferebant.* Tacitus 1. Hiſt. *Senes feminaeque per tenebras diverſa urbis itinera petivere.* Vide haec & id genus alia notantem Buchnerum ad Lex. Fabri. Et quemadmodum *via* pro ratione & inſtituto uſurpatur, ita & *iter* pro eodem uſurpatum invenias: ut ab eodem Buchnero eſt monitum.

LIBERTAS non tantum ea eſt, qua quis liber eſt à ſervitute, ſed & quae cum addito *libertas loquendi* dicitur. Valerius Max. 6. 2. 2. *L. vero Philippus conſul adverſus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit. Nam ſegnitiem pro Roſtris exprobrans, alio ſibi ſenatu opus eſſe dixit.* Quod ille alio ſenatu ſibi opus eſſe dixit, id Valerius *libertatem* vocat. Sic & paulo poſt: *Populum ab incurſu ſuo tutum libertas reliquit.* Horatius l. 1. ep. 18.

Aſpe-

Aſperitas agreſtis & inconcinna graviſque
Quae ſe commendat tonſa cute, dentibus atris,
Dum vult libertas mera dici, veraque virtus.

Curtius 3. 2. 18. *Ille ne tum quidem libertatis oblitus, Habeo, inquit, paratum mortis meæ ultorem.* Sic & 8. 14. 42. Alibi *libertatem linguæ* vocat: ut 7. 2. 37. Virgilius autem in 3. Æn. *libertatem fandi* appellat.

LITTERAE omnem doctrinam & artes liberales complectuntur. Cicero 6. 13. *Sed & unum perfugium, doctrina & litteræ, quibus ſemper uſi ſumus.* Nepos 23. 3. 2. *Hic tantus vir tantisque bellis diſtrictus nonnihil temporis tribuit litteris.* Et 25. 1.2. *Inprimis litterarum ſtudioſus.* Item: *prout ipſe amabat litteras.* Cicero 6. 19. ad Fam. *Itaque ne literæ quidem meæ impediuntur.* Et 7. 33. *Opus eſt illis interioribus literis.* Item: *me totum in litteris abdere.* Rurſus in Bruto: *Erant in eo plurimæ litteræ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ.* Et in Cat. M. de Q. Fab. M.

Multa,

Multa, ut in homine Romano, littera. Deinde eadem vox & linguam ſeu idioma ſignificat. Idem Nepos 23. 13. 3. *Soſilo Hannibal litterarum Graecarum uſus eſt doctore.* Sed & *rudis litterarum Graecorum* eidem 16. 1. 1. dicuntur, qui res & monumenta Graecorum non attigerunt.

LOCUS non modo generali notione pro ſpatio uſurpatur, ſed & variis aliis. Et alias quidem vocabuli ſignificationes in Lexicis videre licet: hic autem notetur illud, quod *locus* etiam dicatur, quod plus eſt pago, & minus oppido. Cicero 7. 3. ad Att. *Venio ad Piraea. In quo magis reprehendendus ſum, quod homo Romanus Piraea ſcripſerim, non Piraeum* (ſic eum omnes noſtri locuti ſunt) *quam quod IN addiderim. Non enim hoc ut oppido praepoſui, ſed ut loco. Et tamen Dionyſius noſter, qui eſt nobiſcum, & Nicias Cous, non rebatur oppidum eſſe Piraea. Sed de re videro. Noſtrum quidem ſi eſt peccatum, in eo eſt, quod non, ut de oppido, locutus ſum, ſed ut de loco. Secutusque ſum, non dico Caecilium, Mane ut ex portu in Piraeum (malus enim auctor*

La-

Latinitatis eſt) ſed Terentium, cujus fabellae propter elegantiam ſermonis putabantur a Cajo Laelio ſcribi: Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piraeum. *Et idem*: *Mercator hoc addebat captam e Sunio. Quod ſi δήμυς oppida volumus eſſe, tam eſt oppidum Sunium, quam Piraeus.* Reprehendit Ciceronem Scioppius in ep. 3. Parad. lit. quod non ut de oppido, ſed ut de loco ſe locutum ait, cum 6. 9. ad Att. ſcripſit, *in Piraea cum exiſſem*: audacterq; ſcribit, *flagitioſe Ciceronem opidum a loco diſtinguere. Perinde enim id eſſe, ac ſiquis non de homine, ſed de animali locutum defenderet.* Ex quibus apparet, *locum* in verbis Ciceronis ipſum accipere de quovis ſpatio, & notionem vocabulo generalem ſubjectam eſſe putare. Verum ſciendum ei erat, vocabulo *loci* non modo generalem, ſed & varias ſpeciales notiones ſubjectas eſſe, & inter ceteras quidem & hanc, ut *locus* dicatur multitudo quædam domorum quæ pago quidem major, oppido vero minor, atque ita inter utrumque media eſſet; atque ipſa illa notione Ciceronem vocem uſurpaſſe, cum ſcripſit, ſe non ut de oppido,

C ſed

ſed ut de loco locutum eſſe. Quemadmodum igitur ineptum non eſt, ſiquis dicat, ſe non ut de oppido, ſed ut de pago locutum eſſe: ita nec ineptum cenſendum eſt, quod Cicero ſcripſit, ſe non ut de oppido, ſed ut de loco locutum eſſe. Sed & alia ejus vocabuli ſignificationis exempla proferenda. Plinius Nat. Hiſt. 4. 5. *Ultra Patras oppidum Olenum, colonia Dyme, loca Bupraſium, Hyrmine.* Et cap. 7. *Rhamnus pagus, locus Marathon, campus Thiaſius, oppidum Melita.* Viden, quam ſollicite Plinius locum a pago & ab oppido diſtinguat? Atque ita ille non iſtis modo, ſed & infinitis aliis locis facit. Ex ipſius quoq; verbis Ciceronis apparet, quid ille *locum* hic vocet. *Quod ſi* δήμους, inquit, *oppida volumus eſſe, tam eſt oppidum Sunium, quam Piræeus.* Ex his enim apparet, tam Piræeum, quam Sunium δῆμον potius, quam oppidum eſſe. Atque δῆμος Græcis dicebatur, quod oppido minus eſſet. Strabo lib. 9. Εἶτα ποταμὸς, δῆμος οὕτω καλούμενος, ἐξ οὗ οἱ ἄνδρες ποτάμιοι. *Deinde Potamus vicus ſic appellatus, a quo homines Potamii dicti.* Pauſanias in Eliacis ſcribit,

bit, ἐκ τῶν κωμῶν *e vicis* homines conveniſſe in Eliorum urbem; & τὰς κώμας Paulo poſt δήμους appellat. Feſtus item: *Demoi apud Atticos ſunt ut apud nos pagi.* Sed & quemadmodum Cicero, ſic plane & Strabo Piræeum non in urbibus, ſed ἐν τοῖς δήμοις, & , ut Cicero vocabat, in locis numeravit. Verba ejus lib. 9. ſunt: O πειραιεὸς, καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς δήμοις ταττόμενος. Ex quibus etiam apparet, quam temerarius fuerit Scioppius,quod non Ciceronem tantum ſed & qui cum eo ſenſerunt, Niciam & Dionyſium reprehendit, quod hi Piræeum oppidum eſſe negaſſent.

LUMEN dicunt candelam accenſam & lucem præbentem. Plinius Lic. 7. epiſt 27. *Poſcit pugillares, ſtilum, lumen.* Item: *Nec moratus tollit lumen, & ſequitur.* Horatius. *Poſces ante diem librum cum lumine.* Cicero 1. de Div. *Noctu lumine appoſito.* Curtius Lib. 6. *lumina extinguere.* & lib. X. *lumina accendere.* Deinde lumen dicitur ea pars ædium, qua lux hauritur, id eſt feneſtra. Cicero 1. de Or. *M. Buculejus cum ædes L. Fuſio venderet, in mancipio lumina, uti tum*

C 2 *erant,*

erant, ita recepit. Item: *Quod cuicunque particulæ cæli officeretur, quamvis eſſet procul, mutata lumina putabat.* Denique *lumina* & oculi dicuntur. Cicero 5. Tuſc. *Democritus luminibus amisſis, alba ſcilicet & atra diſcernere non poterat.*

MANCIPIUM ſane dicitur is, qui ſervus, & perſona eſt. Sed non ſolus ſervus & perſona ita dicitur, ſed & alia quæcunque res, quæ cuipiam venditur, ut deinceps propria ſit, nec ab eo quisquam eam repetere poſſit. Cicero 1. 1. ad Att. *Lex mancipii: Quicquid in mancipio vitii fuerit*, venditor ſi ſciret, nec emptori dixerit, id præſtato. Dicunt etiam, *dare alicui aliquid mancipio, accipere aliquid mancipio, eſſe alicujus proprium mancipio, eſſe ſui juris & mancipii, eſt domus jure mancipii.* Quæ omnia à Nizolio & a Schoro congeſta ex ſcriptis Ciceronis videbis. Per Metaphoram dixit Lucretius Lib. 3. *Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.* Et Seneca in epp. *Fortuna nihil dat mancipio.*

MATERIA pro lignis quotusquisque eſt, qui dicat? At veteres ſæpisſime ea notione uſurparunt. Cic. 3. in Verr.

Verr. *Illo non ſaxum, non materies advecta eſt.* Et pro Mil. *Repente lintribus in eam inſulam materiam, calcem, camenta, atque arma convexit.* Columella 1. 6. *Fumarium quoque, in quo materia ſi non ſit jam pridem cæſa, feſtinato ſiccetur, in parte villæ ruſticæ fieri poteſt.* Scioppius in Grammatica Philoſophica hunc vocabuli uſum ad ellipſin refert, & ſubaudiendum putat *ligni*. Verum nihil opus; ſed dici poteſt, reſpectu vocabuli Græci ὕλη, quod tum materiam, tum quoque ſilvam & ligna ſignificat, hanc vocabulo ſignificationem tributam eſſe. Suntque ejus generis in Latina lingua non pauca. Ut, quia ὅπλα ſignificat tum arma, tum inſtrumenta, factum eſt ut Latinum *arma* quoque pro inſtrumentis poneretur, diceretur que, *arma culinaria*, nautica. Vide Lexicon Fabri locupletatum.

MEDICINA non tantum ars medendi eſt, ut, cum dicunt, *Medicinæ Doctor*; ſed & ipſum medicamentum ſic appellatur, eſtque hæc vocabuli ſignificatio vel præcipua. Cicero 6. 13. ad fam. *Si quam medicinam invenirem, tibi quoque*

eandem traderem. Et 5. 16. *Neque exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus.* Ubi *repræſentare medicinam* eſt ſtatim eam adhibere: qua de ſignificatione verbi pluribus acturi ſumus infra. Ceterum vox medicinæ in his figurate accipitur: quod vel vox ratione indicet. Dici tamen & proprie poſſit, *repræſentare medicinam*, pro ilico eam adhibere. Notæ quoque ſunt Phraſes, *adhibere medicinam*, *accipere medicinam*, *a medico petere medicinam*: Quibus, & id genus aliis ſubinde, uſus eſt idem Cicero. Notetur autem & illud, quod medicina ipſa quoque medicorum officina vocetur, ad eum modum quo *tonſtrina* Plautus Amph. 4. 1. *In medicinis, in tonſtrinis, apud omnes ædes ſacras.* Et Epid. 2. 2. *Quam ſum defeſſus, quærere per medicinas, per tonſtrinas, in Gymnaſio, atque in foro.*

MEDICUS Latinis non tantum is dicitur, quem hodie vulgo ita vocamus, id eſt, qui medicamenta dat intus ſumenda, ſed & qui vulnera alligat, & venas ſecat. Cicero Lib. 4. ep. 12. ad. Fam. *Nuntiavit, M. Marcellum a P. Magio Chilone*

lone pugione percuſſum eſſe,& duo vulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem; ſperare tamen, eum vivere poſſe: poſtea ſe a Marcello ad me miſſum eſſe, qui hæc nuntiaret, & rogaret, uti cogerem medicos. Tacitus lib. 15. Annal. *Præſto eſt medicus, abſcinduntur venæ.* Celſus lib. 5. c. 26. *Incipiam à vulneribus. In his autem ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem.* Sic & derivatum inde MEDICINA quamvis curationem, etiam chirurgicam ſignificat. Idem Celſus ibidem: *Plaga ipſa curanda extrinſecus, vel ſutura vel alio medicinæ genere eſt.* Sic & Lib. 7. c. 16. ubi de inteſtinorum vulneratorum curationibus agit: *Si utrumq; inteſtinum lividum aut pallidum aut nigrum eſt, quibus illud quoque neceſſario accedit, ut ſenſu careat, medicina omnis inanis eſt.* Ac tales fortaſſe plerique eorum medicorum fuere, quos veteres inter ſervos & mancipia ſua habebant. De quibus vide Laurentii Pignorii Commentarium de ſervis. Quod autem Robortellus voluit, omnes omnino medi-

cos ſervili conditione apud Romanos fuiſſe, falſus ſine dubio fuit, ut Caſaubonus ad Svetonii Cæſarem cap. IV. demonſtrat.

MEMORIAM ponunt pro tempore, cujus meminiſſe quidam poſſunt, dicuntque *patrum memoria, noſtra memoria, omni memoria*, pro patrum tempore, noſtro tempore, omni tempore. Cicero 3. de Leg. *Nullos in omni memoria reperies perniciosos tribuno.* Et de Aruſp. reſp. *Quod ſacrificium nemo niſi P. Clodius omni memoria violavit.* Ita præpoſitio *in* ſubaudienda relinquitur, quæ in prioribus diſerte adjiciebatur: quomodo & *omni tempore* dicitur pro *in omni tempore.* Adjicitur rurſus in illo, quod eſt in Orat. in Vatin. *Quod in hac rep. non modo factum ante nunquam eſt, ſed in omni memoria eſt omnino inauditum.* Porrò in Or. pro Seſt. *Tanta multitudo, quanta mea memoria nunquam ullo in judicio fuit*, pro *meo tempore.* Liv. lib. 2. *Lex agraria nunquam deinde uſque ad hanc memoriam ſine maximis motibus rerum agitata.* Cicero rurſus 3. Offic. *Princeps hujus memoriæ ſæculorum.* Nepos

pos 21. 3. 1. *Ad noſtram memoriam monumenta manſerunt.*

Vocabulo MODUS vis non una ſubjecta eſt: nec quævis ejus vis in vulgus ſatis videtur nota. Id notum, quod dicant *eodem modo, pari modo:* item *modum adhibere*, & id genus alia. Quod autem notio quoque quantitatis & magnitudinis ei vocabulo ſubjecta ſit, id non quibusvis obſervatum. Nepos 11. 1. 4. *Haſta modum duplicavit*, id eſt, haſtam altero tanto longiorem ferit. Idem 25. 2. 6. *Qui modus menſuræ* (ſex modii puta) *medimnus Athenis appellatur.* Cicero pro Fl. *Voluiſti magnum agri modum cenſere.* Et lib. 13. ep. 33. ad Att. *Nihil ſcripſit niſi de modo agri.* Valerius Max. 6. 3. *Albanus lacus ſolitum ſtagni modum exceſſit.* Curtius l. 6. *Ingens pecuniæ captivæ modus.* Columella 7. 5. *Sulfuris triti & picis liquidæ modus æqualis, igne lento coactus.* Item 6. 10. *Omnium par modus.* Frontinus l. 1. de aquæd. *Qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt.* Aur. Victor in Trajano: *Tantus erat in eo maximarum rerum modus.* Gellius l. 1. c. 1. *Facile intellexit*

modum ſpatiumque plantæ Herculis ratione proportionis habita tanto fuiſſe quam aliorum procerius. Vide & Joh. Rhodii Lexicon Scribonianum, v. *modus*. Apparet, in his omnibus *modum* non finem & terminum magnitudinis, ſed magnitudinem & quantitatem ipſam eſſe. Idque vel ex eo intelligi licet, quod. epitheta *magnus*, *ingens*, *tantus* adjiciuntur. Ceterum eandem vocem ipſum quoque finem & terminum magnitudinis ſignificare,ignotum eſſe non poteſt. Et apparet ea ſignificatio in phraſibus *ſtatuere modum*, *finire*, *definire*, *præſcribere modum*, *alicui rei*, quæ apud Ciceronem & alios paſſim reperiuntur. Eſtque eadem ſignificatio & in his Horatii:

Eſt modus in rebus; ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere virtus.

Item in his Lucani lib. 2.

- Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere.

Et ponuntur in his Poetarum vocabula *finis*,id eſt,terminus,& *modus* ut ἰσοδύναμα.

Pari

Pari modo & Cicero conjungit, quod 1. in Verrem ſcribit, *Nos modum aliquem & finem orationi noſtræ faciamus.* Quæ vero ſignificatio vocis eſt in eo, quod Cicero in Paradoxis ſcribit, *Ex eo quantum cuiq; ſat eſt, metiuntur homines divitiarum modum:* item, *Quantum cuique ſat eſt, ad id accommodatur divitiarum modus?* Non terminum magnitudinis, ſed magnitudinem ipſam hic ſignificare videtur. Siquidem terminus & finis divitiarum expreſſus potius eſt verbis. *Quantum cuique ſat eſt*, & verbis *metiri* & *accommodari.*

MULTITUDO, quæ variarum rerum eſſe poteſt, peculiari ratione dicitur ea quæ eſt hominum, & vulgo plebs dicitur, & oponitur principibus & magiſtratibus. Nepos 1. 3. 5. *Non idem ipſis, qui ſummas imperii tenerent, expedire, & multitudini.* Item 3. 1. 3. *Cum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non poſſe.* Cicero pro Lig. *Imperium, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ ferebatur.* Idem 2. 6. *Vulgus* & *multitudinem* ut ἰσοδύναμα conjungit *Habemus hæc omnia*, inquit, *bonorum ſtudium*

con-

conciliatum ex tribunatu, propter noſtram cauſſam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum. Ubi *multitudinem* bonis, id eſt nobilibus, opponit, vulgus autem & multitudinem conjungit.

OPES idem eſt, quod divitiæ, eaq; notione ſatis frequentatur. Quod autem idem quoque ſit, quod potentia, vires, & in quo potentia ac vires præcipue ſunt, exercitus, id non perinde obſervatur, adeo ut Cl. Buchnerus in Theſauro Fabri monendum putarit, non ſemper opes eſſe divitias, ut Grammatici cenſeant. At in ſcriptis veterum, quibus ipſa lingua vernacula fuit, notione potentiæ, virium ipſiusque, in quo potentia & vires præcipue ſunt, exercitus, paſſim vox eſt obvia. Juſtinus 6. 1. 4. *Atheněenſibus etſi fractæ ſint opes, manere tamen navalem uſum.* Hic *opes* idem prorſus quod potentia, vires, quæ quidem in ipſis Athenienſibus ipſisque eorundem copiis, & exercitu erant. Nec aliter Juſtino antiquiores. Cæſar. 3. B. Civ. *Pompejus miſit ad Ptolemæum, ut illius opibus, in calamitate tegeretur.* Cicero 16. ad

ad Brut. *Cæſar, qui maximas opes habebat, paucorum virtute ſublatus eſt.* Et 2. Offic. *propter æquabilem prædæ portionem & Bargulus magnas opes habuit, & multo majores Viriatus: cui quidem etiam exercitus noſtri imperatoresque ceſſerunt.* Nepos 15. 6. 4. *Non minus illa oratione opes eorum concuſſit, quam Leuctrica pugna.* Et 16. 2. 3. *Nunquam ab tam tenui initio tantæ opes ſunt profligatæ.* Item 1. 5. 5. *Nulla unquam tam exigua manus tantas opes proſtravit.* Rurſus 9. 4. 7. *Ducem fortem & prudentem regiis opibus præfuturum videbant.* In quibus proximis *regiæ opes* planisſime idem ſunt, quod regiæ copiæ, regius exercitus. Sed in quibusdam tamen ſuperiorum τὸ opes per vocabula abſtracta potius, potentia & vires puta, explicandum videtur, quam per concretum. Et recte in indice in Cornel. Nepotem diſtincte notata loca illa Nepotis ſunt, in quibus τὸ opes potentiam, & in quibus vires bellicas, id eſt, exercitum ſignificat. Ceterum notandum & illud eſt, quod τὸ opes non modo potentiam & vires ſignificet, quæ in pluribus, & in juſto quodam exercitu ſunt,

ſed

ſed quæ ſunt in ſingulis. Cicero pro Milone: *Magna in hoc* (Milone) *certe vis & incredibilis animus, & non unius viri vires atque opes nominantur.* & poſterius priori plane ἰσοδύναμον eſt. Pari modo 3. Tuſc. dicit: *Omnibus viribus atque opibus repugnare alicui.* Et Orat. p Corn. *Semper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putaverunt.* Et 2. 10. ad Famil. *Oppugnabam oppidum tantis opibus, tantoq; negotio.* Et apparet adeo, quæ ſit ratio, quod copias & exercitum Latini *opes* appellant; nimirum, quia in exercitu præcipue opes, id eſt, vires, ſunt. Quam ob cauſam eadem res Hebræis הַיִל & Græcis δυνάμεις, & Germanis Macht vocatur. Notetur denique, quod non modo ita pluralis, ſed & ſingularis numeri vox, *ope* vires ac potentiam tum quæ in ſingulis, tum quæ in tota aliqua gente ſunt, ſignificent. Non modo Latini dicunt, *omnibus opibus, ſummis opibus aliquid facere*, ſed & *omni ope.* Cicero 15. 15. ad Att. *omni ope & opera enitar.* Et Or. Mil. *Ut omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent.* Vetus Poeta apud Cicero-

ronem 3. Tuſc. *Stante ope barbarica*, pro ſtante potentia & imperio Phrygum. Notetur denique & illud, quod non modo vox ſingularis numeri (*opem*) quod vulgo notum; ſed & vox pluralis num. (*opes*) auxilium ſignificet. Horatius 1. ep. 10. *Imploravit opes hominis frenumq; recepit*. Nepos Iphicrate: *Eurydice ad Iphicratem confugit ejusque opibus defenſa eſt*. Vid. & Additio Buchneri ad Theſaur. Fabri.

Vocis OPERA ampliſſimus uſus eſt, & amplior, quam vulgo animadvertitur. Quippe tam de eo, quod culpam habet, & vituperio dignum eſt, quam de eo, quod habet laudem, uſurpatur. Terentius Phorm. *Opera tua ad reſtim mihi quidem res rediit planisſime*. Livius 29. 32. *Tribus, quarum opera damnatus erat*. Cic. Anteq. 20. *Non patiar, ut opera mea manus inter vos conferatis cædesque civium inter ſe fiat*. Livius 21. 16. *Placuit Lanuvinos, quorum opera inſtauratæ erant, hoſtias præbere*. Magiſtratus Lanuvinus, quod in feriis Latinis in una hoſtia precatus non fuerat. Quod cum relatum ad Senatum eſſet, & ab hoc ad pontificum

cum collegium rejectum, placuit pontificibus, quia feriæ Latinæ non recte factæ eſſent, ferias iſtas inſtaurari, & Lanuvinos, quorum opera inſtauratæ eſſent, hoſtias præbere. Lanuvini non aliquid fecerant, propter quod ferias inſtaurari oporteret; ſed neglexerant aliquid, id eſt, non precati fuerant. Ex quo apparet, *operam* hic pro culpa poſitam. Nepos 7. 6. 2. *Sic enim populo erat perſvaſum, & adverſas ſuperiores, & præſentes ſecundas res accidiſſe ejus opera.* In quibus verbis *operam* Alcibiadis, qua res Athenienſium adverſæ acciderant, de culpa intelligendum eſſe, in Indice Cornelii Nepotis monet Bœclerus: ejusq; ſententiam, motus verbis Livii, quæ dixi, ambabus nunc amplector. Sed vocis *opera* in verbis Cornelii ſignificatio non una, ſed omnino duplex fuerit; prout videlicet ad alia atque alia refertur: cujus rei exempla quoque alia afferre liceret. Quod dicit res adverſas Athenienſium opera Alcibiadis accidiſſe, id non tam de eo, quod factum atque præſtitum, quam quod intermiſſum atq; neglectum, ab Alcibiade fuerat, atque adeo

adeo de culpa eſt intelligendum. Quod autem dicit, Athenienſium res ſecundas *opera* Alcibiadis accidiſſe, id de eo quod ab Alcibiade factum ac præſtitum, deq; Alcibiadis rebus geſtis accipiendum. Idem Nepos, quod 23. 7. 3. ſcribit: Hannibalis opera ſuſceptum bellum à Carthaginienſibus fuiſſe, in eo quoque Bœclerus operam de culpa intelligendum eſſe docet. Sed poſita tamen hæc opera non in aliquo, quod omisſum, ut in proximis ſuperioribus, ſed in eo, quod factum, & ſummo quidem ardore, eſſet. Fieri tamen potuit, ut in eadem & culpa eſſet. Romani certe culpam in ea eſſe nihil dubitarunt. Rurſus Nepos 15. 8. 1. *Quibus ille permiſit, ut omnem cauſam in ſe transferrent, ſuaque opera factum contenderent, ut legi non obedirent.* Et 6. 1. 3. *Ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint.* Item 7. 6. 4. *Quorum opera patria pulſus fuerat.* Ex quibus ſatis intelligi poteſt, vocem *opera* Latinos frequentare, cum exprimendum eſt, quempiam in cauſa eſſe, & moliri atque efficere aliquid. Livius alicubi ſic habet: *Tribus, quarum opera damna-*

tus erat. Deinde Hirtius in lib. de B. Africano manifeſte *operam* pro culpa poſuit, quod ſcripſit: *Tua opera militibus tempore neceſſario reſpublica caret.* Notetur autem & illud, quod Valer. Max. 5. 7. 3. ſcribit: *Miſeros adoleſcentis oculos, quibus amantiſſimum ſui patrem ipſius opera ſic exſpirantem intueri neceſſe fuit.* Ubi opera adoleſcentis exſpiraſſe patrem, non intelligendum de cæde patris a filio facta; ſed quod pater Octavius Balbus, cum filium intus trucidari falſo clamore e vicinia accepiſſet, in domum, unde clam egreſſus jam erat, ſe rurſus contulit, atque ita a percuſſoribus interfectus eſt. Nihil culpæ habuit filius, nihilque operæ contulit, ut pater trucidaretur; & tamen ait Valerius, filii opera exſpiraſſe patrem: nimirum quod pater de filio ſollicitus in domum regreſſus atque ita interfectus eſt. Hyginus fab. 146. *Jovis cum ſciret (ſupple propter) opera tot eam ærumnas tuliſſe.* Sed expungendum eſt *propter*: quo de mirum Viros clariſſimos, qui nuper notas in eum Auctorem ſcripſerunt, non monuiſſe. *Opera* non Accuſativus Pluralis, ſed Ablativus Sin-

Singularis hic eſt, ut ex *ſuapte* apparet. Notetur denique & illud, quod Catullus in Luctu Paſſeris dicit: *Tua* (paſſeris puta, qui mortuus erat) *nunc opera meæ puellæ flendo turgiduli habent ocelli.* Ubi *tua opera* idem eſt quod propter te & quia tu mortuus es.

Porro de voce *opera* & hoc notetur, quod ipſe quoque ille, qui operam & paulo quidem viliorem præſtat, eodem illo vocabulo appellatur. Horatius l. 2, Satyr. 7. extr.

- - - Ocius hinc te,
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino,

id eſt, mitteris in agrum Sabinum, ut opus ibi facias, atque agrum fodias. Sed nomen pluralis numeri *opera* ea ſignificatione eſt frequentius. Plautus Amphitr. 1. 1. 16. *Ipſe dominus dives operis, & laboris expers.* Ubi dives operis idem eſt, quod dives operariis, dives ſervis. Cicero pro Seſt. *Erat mihi contentio cum operis conductis.* Idem 1. 22. ad Att. *Operæ mercenariæ, multitudo conducta.* Et 11. 11. ad Att. *Operæ Clodianæ pontes occupaverunt.* Item 7. in Verr. *Navem tibi operis publicis eſſe ædificatam.*

. Quod ad Phraſin *operam dare* attinet, obſervatione dignum, quod is quoque, qui nihil aliud quam auſcultat & attendit, *operam alicui dare* dicitur. Plautus. Curc. 2. 2. 9. *Da mihi igitur operam*, ſomnium narraturo ſcilicet. Idem Capt. Prol. *Id ego hic apud vos proloquor, ſi operam datis.* Etiam judex, cum cauſam cognoſcit, *operam dare* dicitur. Cicero 7. 24. ad fam. *Dixit, judicem ſibi operam dare conſtituiſſe.* Et 13. 47. ad Att. *Judex mihi operam dare conſtituit, eo die.* Sic & diſcipulus præceptori operam dare dicitur. Cicero de clar. Or. *Miloni Rhodio Romæ operam dedimus.* Eſt autem opera quæ ſic datur, opera audiendi. Et eſt ſane, ubi *τὸ ad audiendum* diſerte additum reperitur. Cicero 2. de Or. Quoniam vos tantum operam mihi ad audiendum datis.

PERICULI ſignificatio non cuivis nota eſt illa, qua idem eſt quod judicium capitis. Cicero Pro. Leg. Man. *Meus labor in privatorum periculis caſte integreque verſatus.* Et pro Arch. *Perſona, quæ minime in judiciis periculisque tractata eſt.* Et Philip. 7. *Omne curriculum induſtriæ no-*

noſtræ, in foro, in curia, in periculis propulſandis elaboratum eſt. Valer. Max. 6. 4 5. *Effecit ut periculum illud non impedimentum gravitatis eſſet, ſed experimentum.* Ubi periculum dicitur quod P. Rutilius, ut Auctor ante dixerat, factus fuerat reus. Idem 7. 3. ext. 6. *Quod ſi adhuc ei* (plebi) *ultionem ſitienti capitis ſui periculum objeciſſet, nullam partem defenſionis odio obſervatæ aures reciperent.* Sic enim legendum eſſe, non *recepiſſent*, ut Pighius edidit, in Notis ad Auctorem demonſtrabimus. Ceterum *capitis ſui periculum objicere plebi,* idem eſt, quod, ut paullo ante locutus fuerat, cauſam apud plebem capitali crimine dicere. Nam & hic non de capitali crimine, ut Pighius voluit, ſed præpoſitione omiſſa, capitali crimine legendum; ut ad eum locum itidem dicemus. Porro qui cauſſam capitis dicerent, eos idem Valerius *periclitantes* vocat. 7. 3. 5. & ipſum judicium capitis, *judiciale periculum.* 6. 9. 1.

PIETAS non modo dicitur amor & veneratio Dei, ſed & amor in parentes; imo & in liberos, fratres, cognatos. Virgilius 3. Æn *felix nati pietate*, dicitur

Anchiſes, quod filius ſic, ut par erat, ipſum coluit atque dilexit. Nepos Timoleonte: *Nonnulli læſam ab eo pietatem putabant:* quod ſcil. fratrem tyrannum interficiendum curarat. Ubi pietas eſt amor, qui fratri debetur.

POTESTAS. Vid. FACULTAS.

POTIO non tantum genus quoddam medicamenti, ſed & quivis potus, hoc eſt id, quod bibitur, Latinis dicitur. Cicero 1. de Fin. *Cum cibo & potione fames, ſitisque depulſa eſt.* Et 3. Tuſc. *Demus ſcutellam dulcicolæ potionis.* & pro Dejot. *Ita petunt fieri occultius, in potione vel in cibo.*

PRETIUM non modò dicitur, quod pro re quapiam empta, verum etiam quod pro præſtita opera datur: nec tantum dicitur *ager magni pretii, magno pretio aliquid emere* aut *vendere*, ſed & *pretium reddere pro benefactis, pretio duci ad aliquid faciendum:* ut appareat, *pretium* quoque idem eſſe, quod *mercedem.* Plautus Capt. 5. 1. *Pro benefactis ejus uti pretium poſſim reddere.* Juvenalis Sat. 13. *Ille crucem ſceleris pretium tulit, hic diadema.* Ubi quidem vox pœnam

nam deſignat. Sed ita ipſa quoque vocabula *merces, præmium, gratia, ſtipendium*, per catachreſin quandam rem malam ac moleſtam denotant. Cicero in lib 2, de Off. vocabula conjungit, dicitque *pretio & mercede duci ad aliquid faciendum*. Et 7. in Verr. *Pretio atque mercede minuiſti majeſtatem reip.* Eadem vocis ſignificatio & in eo eſt, quod 3. ad Herenn. legitur: *Nec prece, nec pretio, nec gratia nec ſimulate, a via recta deduci oportet.* Nec alia eſt in eo, quod dicunt *operæ pretium eſt*, *operæ pretium facere*. Seneca lib. 3 de Benef. c 23. *Quadrigarius tradidit, cum obſideretur Adrumetum, & jam ad ſummam deſperationem ventum eſſet, duos ſervos ad hoſtem transfugiſſe, & operæ pretium feciſſe.* Ubi *operæ pretium facere eſt mercedem operæ ſua mereri, mercenarium eſſe*: Ut *ſtipendia facere equo, pedibus*, idem quod *ſtipendia mereri equo, pedibus*. Nam *facere* in talibus idem quod *mereri*. Tacitus 1. Ann. c. 36. *Placitum, ut epiſtolæ nomine Principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis: exauctorari, qui ſenadena feciſſent.* Ubi *facere* & *mereri*

prorſus ut ἰσοδύναμα ſunt poſita. Livius dicit *magna operæ pretia mereri*, pro *magna operæ pr. facere*. Vide Lex. Fabri à Buchnero locupletatum v. *opera*. Ceterum idem Livius principio operis ſcribit quoque *Facturusne operæ pretium ſim*. Sed hic figuratus phraſeos uſus eſt: proprius ille qui in verbis Senecæ apparebat.

Ratio vox valde πολύσημος eſt: inter ſignificationes autem ejusdem hic notentur illæ, quod *ratio* idem quoque ſit, quod conſilium; & idem rurſus quod conditio, ſtatus, fortuna. Cicero 1. 7 ad fam. *Hæc ego ad te ob eam maxime cauſſam ſcribo, ut jam de tua quoque ratione meditere. Commutata tota ratio eſt Senatus, judiciorum, rei totius publicæ.* Hic *ratio* bis eſt pro conditione & ſtatu. Item 10. 6. ad Att. *Nec tuam rationem eandem eſſe duco, quam meam.* Et ad Q. fr. *Ea noſtra ratio eſt, ut omnes boni cum faveant, tum etiam a nobis omnem diligentiam virtutemq; & poſtulent & exſpectent.* Pro conſilio vox itidem non infrequens eſt. Nepos 1. 3. 6. *Cujus ratio etſi non valuit, tamen magnopere eſt laudandus.*

Ra-

Ratio ſeu conſilium Miltiadis fuit, ut pons quem Darius in Iſtro fecerat, reſcinderetur. Item 23. 10. 3. *Ad hunc interficiendum talem iniit rationem.* Ubi *rationem inire* idem quod *conſilium inire, capere.* Livius alicubi, *regni recuperandi conſilia inire.* Sic & pro *conſilium omittere* dicunt *rationem omittere.* Porro quod dicunt *conſilium*, *animus eſt hoc facere*, pro eo dicunt quoque, *ratio eſt hoc facere.* Cæſar 1. B. Civ. 30. *Itaque in Præſentia Pompeji inſequendi rationem omittit.* Tacitus 3. Hiſt. 23. *Cui confectum algore atq; inedia hoſtem poſtero die profligare ac premere ratio fuit.* Dicunt, ut notum eſt, *conſilium eſt hoc facere.* Vide & Lex. Fabri a Buchnero locupletatum. Sed deficit rurſus in eo Lexico ſignificatio illa vocabuli prior, qua pro conditione, ſtatu, fortuna ponitur. Nec apparet in eodem, quod dicunt, *rationibus alicujus hoc conducit*, *rationibus alicujus conſulere & proſpicere.* Cicero 1. 9. ad fam. *Facile patior ea me de rep. ſentire ac dicere quæ maxime mihi & reip. rationibus putem conducere.* Item 2. 18. ad fam. *Magis magisque quotidie de rationibus ſuis cogitanti.*

Rurſus 3. 2 ad fam. *Ut quibuscunque rebus potes, proſpicias & conſulas rationibus meis.* Item, *ſi rationibus meis a te proviſum eſſe intellexero.* In quibus *rationes* idem quod commodum, utilitas. Nec aliud eſt in eo quod in Or. ad Quir. poſt red. Cicero ait, *ſi meas rationes unquam veſtræ ſaluti antepoſuiſſem.* Sed quæ ſignificationis hujus occaſio? Frequens apud Latinos mentio erat rationum nummariarum,& ſupputationum : unde phraſes *rationes conficere*, *rationibus aliquid inferre*, *rationes referre*, *rationes cum aliquo referre.* Proprie igitur is, qui proſpicit, nequis in rationibus reliquetur, dicitur *rationibus ejus conſulere & proſpicere*; Quodque huc pertinet, *rationibus ejus conducit.* Et quoniam rationes ita factæ ad fructum & utilitatem alicujus pertinent, factum eſt ut *rationes* dicerentur pro quavis utilitate & commodis.

SENSUS fere nonniſi de ſenſu externo, utpote auditu, aſpectu, tactu, & id genus, ab aliis vulgo uſurpatur. Sed ſciendum, eandem vocem & ad animum & ad intellectum ac voluntatem pertinere. Cicero 1. 9. ad fam. *Unum fere ſenſum*

ſum fuiſſe bonorum omnium. Item: *Non offendes bonorum ſenſum, quem reliquiſti.* Item pro Mil. *Nihil tam flexibile, quam voluntas erga nos ſenſusque civium.* Item: *Non ſum tam veſtri ſenſus ignarus atque expers, ut neſciam, quid de morte Clodii ſentiatis.* Plancus in ep. ad Ciceronem quæ eſt 4. L. 10. *Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus.* Subinde etiam adjicitur vox *animi*, diciturque *animi ſenſus.* Ut in Or. pro Sext. Roſc. *Hæc ego pro me ipſo & animi mei ſenſum ac dolore pronuntio.* Et in Oratore: *Oratio ad animorum ſenſus exprimedos reperta.* Florus 1. 18. 28. *Bellua non ſine ſenſu captivitatis ſummisſis cervicibus victores equos ſequebantur.* Ubi itidem ſenſus pro intellectu: Quomodo & in illis Plinii 9. 42. *Miror, quosdam exiſtimaſſe, aqualibus nullum ineſſe ſenſum.*

SIGNA non modo res quævis quæ aliquid deſignant, ſed & peculiari ratione res quædam, quæ perſonas deſignant, & quidem ſtatuæ dicuntur. Cicero 7. 23. ad fam. *Quanti ego genus omne ſignorum omnium non æſtimo, tanti iſta quatuor aut quinque ſumpſiſti.* Item: *Nominatim*

natim tibi ſigna mihi nota mandasſem, ſi probasſem: ea enim ſigna ego emere ſoleo, quæ ad ſimilitudem gymnaſiorum exornent mihi in palæſtra locum. Martis vero ſignum, quo mihi pacis auctori? gaudeo nullum Saturni ſignum fuiſſe.

Defectivum nomen SPONTE non tantum de animatis, & ratione præditis, ſed & de inanimis & ratione carentibus uſurpatur. Juſtin. 1. 9. *Gladio ſua ſponte evaginato.* Virgilius Ecclog. 8.

Aſpice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe.

Et Ecclog. 5. *Sponte ſua Sandyx paſcentes veſtiet agnos.* Ubi *ſponte ſua* idem quod natura. Hirtius de B. Africano. *Quintæ legionis pilorum caeumina ſua ſponte arſerunt.* Cicero de Senectute *Ignis conſumptus ſua ſponte extinguitur.* Columella 11. 3. Sed alio caſu, *loci natura neque manu illatam, neq; ſuæ ſpontis aqu·m miniſtrare patitur.* Gellius 6. 17. *Sed ea omnia bello priore Alexandrino, dum diripitur ea civitas, non ſponte, neque opera conſulta, ſed a militibus forte in auxiliariis incenſa ſunt.* Agit ibi de voluminibus in cenſis. Ceterum de homine uſur-

uſurpatum vocabulum non tantum idem eſt quod non invitus, non coactus, ſed & idem quod non provocatus, non rogatus. Cicero 1.7. ad fam. *Non ſolum a me provocatus, ſed etiam* ſua ſponte *mecum de te communicare ſolet. Noſtri dicunt:* Von ſich ſelbſt, wann ich keinen Anlaß darzu gebe. Notandum & illud, quod Valerius M.2.7.15. ſcribit. *Milites qui Rhegium injuſto bello occupaverant, mortuoque duce Jubellio, M. Cæſium ſcribam ejus ſua ſponte imperatorem delegerant.* Hic enim *ſua ſponte* idem quod propria auctoritate, injuſſu ſenatus & pop. Romani. Denique non ad voluntatem modo, ſed & ad intellectum vox pertinet. Cicero 4.3 ad fam. *Proſpexi tempeſtatem futuram, non ſolum meâ ſponte, ſed multo magis monente te.* Ubi *mea ſponte* idem eſt; quod per me, mea ipſius prudentia.

SUMMA non tantum dicitur, quæ eſt in rationibus, cum ex multis numeris minoribus unus omnibus major omnium quaſi compendium colligitur; Sed variis quoque aliis modis id vocabuli uſurpatur. Ut *ſumma rerum, ſumma reipublicæ, ſumma imperii, ſumma belli*:

qui-

quibus locutionibus ſumma quædam poteſtas ſignificatur. Cæſar 1. B. C. *Seque alterum fore Syllam inter ſuos gloriatur, ad quem ſumma imperii redeat.* Nepos 16. 5. 3. *Cum ei ſumma eſſet data.* Et 14. 3. 5. *Illi ſumma imperii tradita eſt.* Sic & 3. 2. 2. *Summa imperii maritimi.* Sed ita vocabulo ſumma talis ſumma poteſtas denotatur, quæ non ſit ἀνυπεύθυνος. Poteſt tamen & de ea uſurpari, quæ plane ἀνυπεύθυνος ſit. Nepos 23. 8. 3. *Antiochus propius Tiberi, quam Thermopolis, de ſumma imperii dimicaſſet.* Idem Nepos & *ſummum rerum* dixit. 18. 5. 1. Sic & Cicero pro S. Roſc. *Qui ſummam rerum adminiſtrat.* Idem 10. 21. ad Famil. *Illud certe cavi, ne reipublicæ ſumma fallatur.* Sed pro ſumma rerum, ſumma imperii, dicunt & *ſumma res*, & Numero Plural, *ſummæ res*, ut in Indice Nepotis monuimus. Exemplis autem ibi citatis addatur illud Livii lib. 3. *Placere decem creari,* qui ſummæ rei præeſſent, *militarique honore tribunos militum appellari.* Dicunt & *ſumma ordinis conſiliique, ſumma judicii, ſumma cogitationum*; Quæ ex Cicerone notata videre licet in Theſ. Ni-

Nizolii. Notentur autem & formulæ, *ad ſummam*, & *in ſumma*, pro breviter. Cicero 1. Offic. *Ad ſummam, ne agam de ſingulis*. Et 2. ad Q. fr. *In ſumma, quatuor ſententiis ſenatores & equites damnarunt*. Cujus generis plura itidem in prædicto Theſ. invenias. Juſtinus *in ſumma* dixit pro tandem, poſtremo. Ut 13. 8. *In ſumma virtus occumbit*. Sic & 37. 1. 8.

TELUM quod pro inſtrumento militari uſurpetur, id non in veterum tantum, ſed & in recentiorum ſcriptis paſſim videas. Verum quod eadem vox & pro *adjumento*, & ut nunc vulgo loquuntur, pro *medio* uſurpetur, id in veterum quidem ſcriptis non rarò obſervatur, at hodie minus illud tritum eſt. Et in veterum quidem ſcriptis illud demonſtrare in proclivi eſt. Cicero in Lælio: *Non mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet benevolentiam civium*. Et lib. 7. ep. 16. *Usque quaque ſapere oportet: id erit telum acerrimum*. Livius lib. 4. *Hoſti virtute pares, neceſſitate, quæ ultimum & maximum telum, ſuperiores eſtis*. Et lib. 3. *Ea lege tribuniciis rogationibus te-*

telum acerrimum datum eſt. Item: *Juventus quoque quæ inter tales motus detrectationem militiæ, telum acerrimum adverſus Patres, habere ſolita erat, bellum & arma ſpectabat.* Rurſus lib. 5. *Si tribunicia vis tribunicio auxilio repelli nequeat, aliud telum Patres inventuros eſſe.* Denique l. 9. *Præterea telum aliud occultum ſcituros in tempore, interea taceri opus eſſe.* Obſervavit hæc Caſpar Scioppius, & in Judicio de ſtilo hiſt. de iisdem monuit. Qui idem eundem vocabuli uſum & in verbis Varronis demonſtravit, quæ ſunt apud Nonium verbo *protelare*: *Remotiſſimum ad diſcendum formido & nimius timor, & omnis perturbatio animi. Contra delectatio pro telo ad diſcendum.* Ut *pro telo* idem hic ſit, quod *pro inſtrumento, pro adjumento, loco inſtrumenti aut adjumenti.*

Atque ita falſus hic fuerit ipſe Nonius, quod *pro telo* ut unam vocem accepit, cum pro duabus accipere debuisſet. At Scaliger Notis in Varronem de re ruſt. pag. 251. putat, Varronis verba apud Nonium legenda eſſe ſic, *Delectatio protelum ad diſcendum*; & *protelum* hic

hic eſſe pro incitamento, pro impulſione. Ita quidem in Nonio mendum fuerit, & *protelo* ſcriptum pro *protelum*: Ego tamen putem, ipſum Nonium omnino *protelo* voluiſſe, &, ut Scioppius volebat, falſum fuiſſe in eo, quod apud Varronem duas voces pro una accèperit.

TEMPESTAS tale fere eſt vocabulum, quale *valetudo*, de quo paullo poſt. Adjiciuntur huic quoque contrariarum ſignificationum epitheta, diciturque tum *bona*, *placida*, *læta*, *ſerena*, *clara*, *commoda*, tum *mala*, *turbida*, *ſpurca*, *turbulenta*, *adverſa*, *violenta tempeſtas*. Sed eadem tamen vox & ſola tempeſtatem malam ſignificare poteſt. Cicero 3. de Orat. *Cum homines tempeſtatis cauſa opere prohibentur*. Et 2. de Inv. *Cum magna in alto tempeſtas eſſet*. Item 2. Offic. *Procellæ, tempeſtates, naufragia, ruinæ, incendia*. Suetonius Aug. 90. *Ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem in abditum & concameratum locum ſe reciperet*. Item per metaphoram. Cicero 2. de Inv. *Sedatis fluctibus, & tempeſtate jam commutata*. Et Or. 1. in Catil. *Quanta tempeſtas invidiæ nobis impendeat*. In talibus

non eſt quod epitheton quoddam ſubaudias, *mala* puta, *adverſa, turbida*; ſed vis ac notio horum epithetorum ipſi nomini ſubſtantivo *tempeſtas* ſimul ſubjecta eſt; quemadmodum in ſuperioribus illis ſimilium epithetorum vim ac notionem nomini itidem ſubſtantivo *valetudo* ſubjectam eſſe apparebat. Eſt etiam, ubi de tempeſtate bona & commoda agitur, nec tamen epitheton quoddam additum eſt, ſed vox *tempeſtas* ſola exſtat. Cicero lib. 14. ep. 4 ad fam. *Nautæ tempeſtatem prætermittere noluerunt.* Quam tempeſtatem nautæ prætermittere noluerunt, ea ſine dubio non mala, ſed bona & commoda fuit. Sed epitheton tamen, quo hoc ſignificetur, non eſt adjectum. Ergone epitheton iſtiusmodi hic ſubaudiendum, an vim ejus epitheti ipſi nomini ſubſtantivo ſimul ſubjectam putabimus, quomodo paulo ante vim epitheti contrarii eidem nomini ſubſtantivo ſubjectam dicebamus? Ego epitheton hic ſubaudiendum dixerim, quomodo & Germani facimus, cum dicimus, **man muß das Wetter nicht verſäumen, man muß das Wetter in acht nehmen.** TEM-

TEMPORIS ſignificatio hic notetur illa, quod ſubinde pro tempore calamitoſo & pro calamitate ipſa ponitur. Ut in illo Ciceronis pro L. Manilio. *Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.* Ubi amicorum temporibus eſt pro amicorum periculis, calamitatibus ; & ſubaudiendum, defendendis, depellendis. Significat enim omne ſuum tempus tribuiſſe ſe amicis, ut a periculis, quæ ab accuſatoribus ipſis imminebant, eos liberaret. Idem Cicero. l. 6. ad fam. *Facile me conſolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem video in rebus tuis.* Ubi ſua tempora vocat, calamitatem & exilium ſuum. Rurſus l. 7. ad Fam. *Simillimam tui temporis nunc, & noſtri quondam, fuiſſe rationem.* Et l. 9. *Num potui magis oblivìſci temporum meorum?* Et pro Sext. *Neque Poëtæ, quorum ingenia ſemper dilexi, tempori meo defuerunt.* Livius Lib. 34. *Poſtero die legatis reſpondit : Quanquam vereatur, ne vires ſuas aliis eas commodando minuat, tamen illorum ſe temporis & periculi magis, quam ſui, rationem habere.* Vid. & Theſ. Fabri.

TURBA non hominum tantum, ſed & rerum inanimarum dicitur: ut idem fere ſit, quod multitudo. Gellius 9. 15. *Incipit ſtatim involucra ſenſuum, verborumque volumina, vocumque turbas fundere.* Plinius l. 9. ep. 25. *Quereris de turba caſtrenſium negotiorum.* Ipſe Cicero de clar. Or. *In hac turba novorum voluminum.* Et alibi, *atomorum turba.* Dicunt item *turba ſæculorum, turba malorum, turba rerum, turba ſcelerum.* Vide Buchnerum ad Lexicon Fabri. Notetur vero & illud quod & vulgus & imperitam multitudinem *turbam* vocant. Nepos Datame: *Si in turbam exiſſet, ab homine tam neceſſario ſe eſſe relictum.* Sequitur ilico, *in vulgus edit.* Seneca de vita b. c. 2. *Turba argumentum peſſimi.* Manilius l. 2. v. 135.

Hæc ego divino cupiam quæ ad ſidera flatu
Ferre, nec in turbam, nec turbæ carmina condam.

VALETUDINIS vox ſubinde ſanè homine adjectiva ſibi juncta habet διακριτικά, diciturque tum *bona, commoda, ſecunda, firma, integra*, tum *mala, incommoda, adverſa, infirma, valetudo.* Sed ſcien-

ſciendum tamen, ſubſtantivum iſtud etiam ſeparatim poni, & tantundem tamen ſignificare, ac ſi adjectiva ſibi addita haberet. De valetudine non mala, ſed bona agit Cicero 3. Off. quod ſcribit, *ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet.* Sic & cum dicunt *ſervire, inſervire valetudini, dare operam valetudini, ſuſtentare valetudinem, amittere valetudinem*, valetudinem non malam, ſed bonam utique intelligunt. Contrà verò & valetudo adverſa ſubinde unica voce valetudinis deſignatur. Dicunt enim *valetudo oculorum valetudo calculorum, valetudines febrium, valetudo mentis, valetudo major, tentari valetudine, impediri valetudine, recolligere ſe à longa valetudine.* Plin. 10. 4. *Graviſſima valetudine uſque ad periculum vitæ vexatus.* In quibus omnibus ſane *valetudo* non de bona, ſed de mala & adverſa valetudine intelligi oportet. Quæ vocabuli ſignificatio quia vulgo minus nota, aut trita videtur, exemplis eſt confirmanda. Cicero l. 14. ep. 4. ad fam. *Valetudine oculorum*

lorum impediebatur. Livius 26. 22. *Oculorum valetudinem excuſavit.* Atque ita pars quædam corporis, qua quiſpiam laborat, exprimitur. Ac ſine dubio dici ad analogiam poteſt *valetudo ſtomachi, valetudo pedum.* Suetonius Cæſ. c. 49. dicit, *valetudine mentis liberius dicax.* Quippe mens quod pars quædam hominis, & quidem nobilior eſt. Quod autem etiam dicunt *valetudo calculorum, valetudines febrium,* id tale eſt, quale eſt, cum dicitur, *herba lapathi, arbor palmæ, metallum auri.* Nimirum vox generis vocem ſpeciei, ut Dialectici appellant, ſibi additam habet. Loquitur autem ita Plinius Hiſt. nat. 21. 27. & 23. 1. Porrò *valetudo major* id eſt, morbus gravior, pro morbo comitiali, Herculeo, & ſacro, dixit Juſtinus 13. 3. 11. *Ptolemæus*, inquit, *recuſabat regem Aridæum propter valetudinem majorem quam patiebatur.* Eandem rem Feſtus, voce *prohiberi*, ſimili ratione *morbum majorem* dixit. Juſtinus eadem de re agens 14. 5. 2. & ſic: *Abutens valetudine viri, cujus officia ſibi vindicabat.* Cæſar. 2. 87. B. C. *Annon audiſtis ex iis, qui per cauſam valetu-*

letudinis remanſerunt, cohortes eſſe Brundiſii factas. Ubi *per cauſam valetudinis* eſt pro *per ſpeciem valetudinis adverſæ. Cauſa* enim & pro ſpecie uſurpatur, ut infrà pluribus dicetur. Suet. Cæſ. c. 72. dicit, *Subita valetudine correptus.* Et Tacit. XV. Ann. de Seneca: *Ficta valetudine quaſi æger nervis cubiculum non egreſſus.* Ubi *ficta valetudine* idem eſt, quod *per cauſſam valetudinis*, quod paullo ante ex Cæſare proferebamus.

VENIA. Obſervare jubet Schorus, quod *veniam dare* idem ſit quod *ignoſcere*; non, quod pueri in ludis didicerint, poteſtatem ludendi aut abeundi facere. At egò obſervandum præcipuè putem illud, quod *veniam dare* idem ſit quod gratificari, gratum facere alicui, petitioni alicujus annuere. Nepos 2. 10. 1. *Rex cupiens talem virum ſibi conciliari, veniam dedit.* Et 10. 2. 2. *Dedit huic veniam, magnaque eum ambitione Syracuſas perduxit.* Petierat Dion a Dionyſio, ut Platonem arceſſeret. Dedit igitur illi Dionyſius veniam, & Platonem Syracuſas perduxit. Rurſus 18. 6. 3. *Quam veniam ſi ſibi daret*; ut nimirum

opem ferret liberis Alexandri. Cicero 1: de Or. *Date nobis hanc veniam, ut ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter proſequamini.* Et in Or. *Quis tam durus hanc mihi non daret veniam.* Et in Læl. *Eſt enim quatenus amicitiæ dari venia poſſit.* Eadem ferè vocabuli vis eſt, cum dicunt, *bona venia* vel *bona cum venia.* Nam & in illa phraſi *venia* idem eſt quod gratia. Exempla ejus ex Cicerone congeſta vide in Theſ. Niz.

VERBUM etiam ſpeciem, prætextum, ſimulationem ſignificat. Nepos 15. 5. 3. *Fallis verbo cives tuos, quod hos à bello avocas.* Idem 19. 3. 3. *Cauſſam apud Philippum regem verbo, reipſa quidem apud Polyperchontem juſſus eſt dicere.* Cicero 5. in Verr. *Tribuniciam poteſtatem cum poſcebat, verbo illam poſcere videbatur, revera judicia poſcebat.* Sulpicius Severus lib. 2. Hiſt. S. *Cui perimbecillo,* Aridæo puta, *verbo datum imperium videbatur, res autem penes eos erat, qui ſibi exercitum & povincias diſtribuerant.* In quibus itidem *verbum* & *res* inter ſe opponuntur. Plautus Amphitr. 1. 1. 25. *Sum vero verna verbo*, id eſt, non re, ſed titulo tantum.

tum. Sum enim Mercurius. Quidam tamen codices pro *verbo* habent *verbero*.

De eodem vocabulo & illud notandum, quod cum de vocibus ſeu vocabulis ſingulis ſermo eſt, non eam partem orationis, quæ actionem aut paſſionem ſub certo tempore notat, ſignificat, ſed quodvis vocabulum, etiam illud quod in Grammaticis *nomen* appellatur: ut ita *verbum* idem ſit quod *vox*, *vocabulum*. Cicero 2. de Or. *Neque enim, quoties verbum aliquod eſt ſcribendum nobis, toties ejus verbi literæ ſunt cogitatione conquirendæ*. Et in Top. *Verba ſunt rerum notæ*. Et 1. de Nat. D. *Charum ipſum verbum eſt amoris, ex quo amicitia*. Et 5. Tuſc. *Nec ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubjecta notio eſt, niſi ſecretis malis omnibus cumulata bonorum complexio*. Seneca ep. 58. *Puto intelligi iſtud verbum interiiſſe*. Agit autem de vocabulo Aſilus, quo Virgilius uſus fuerat.

Verſus in poëſi quid ſit notum eſt. Nec dubium eſt dictum eum à *vertendo*, & quod uno abſoluto vertendum ſit, & à fronte rurſus incipiendum. Sed eſt alia generalior vocabuli ſignificatio; ut

idem ſit, quod *ordo* ſeu *ordinata ſeries*. Nam & in agris, & in militia, & inter remiges, & inter arbores, *verſus* eſſe dicitur. Livius lib. 5. *Regia nave ingentis magnitudinis, quam ſedecim verſus remorum agebant*. Virgilius 5. Æn.

- - Triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt: terno conſurgunt ordine remi.

Ubi, quem *verſum* dixerat, mox *ordinem* vocat. Idem Virgilius 4. Georg. *Idem etiam ſeras in verſum diſtulit ulnos*. Ubi *in verſum* idem quod *in ordinem*, *in ſeriem*. Sulpicius Sev. l. 2. Hiſt. S. c. 6. *Cernebantur in verſum ducta lineæ*. Ubi Sigonius legendum putat *in candelabrum verſum*; ſed ſine codicum MSS. auctoritate. Et locutio per ſe commoda eſt *in verſum ducta litera*. Plinius l. 18. c. 19. *In arando verſum peragi, nec ſtrigare in actu ſæpius*. Ubi *verſum peragi* idem, quod *ſulcum ab initio ad finem perduci*: ut ſinguli ſulci ſinguli verſus dicantur. Columella l. 2. c. 2. *Sed neque in media parte verſus conſiſtat, detque requiem in ſumma*. Porrò in militia *verſus* dicitur qui directè à fronte in tergum dirigitur.

Sed

Sed & in libris aliud genus *verſuum* eſt, quam quod diximus, quodque in oratione ligata obſervatur. Nepos 15. 4. 6. *Quoniam uno hoc volumine vitas excellentium virorum concludere conſtituimus, quorum ſeparatim multis millibus verſuum complures ſcriptores ante nos explicarunt.* Qui his *verſus* nominantur ſine dubio non orationis ligatæ fuiſſe putandi ſunt. Cicero l. 2. ep. 16. ad Att. *Ita deplorat primis verſibus* (epiſtolæ) *manſionem ſuam, ut quemvis movere poſſit.* Idem pro Rab. P. *Ut cum lex aliqua recitaretur, primum verſum attenderet.* Et 1. de Or. *Demoſthenes multos verſus uno ſpiritu pronuntiabat.* In Lexico Ciceroniano Nizolii referuntur hæc ad eam ſignificationem vocis *verſus*, qua idem eſt quod *carmen, modus*: ſed perperam ſine dubio. Lex de qua Cicero agit non ligata, ſed ſoluta oratione ſcripta fuit. Sed nec epiſtola, de qua ſcribit, verſibus conſtitit. Gellius 9. 15. *Ubi deblateratis verſuum multis millibus finem aliquando fecit.* Agit hic de juvene quodam, qui præſente Juliano rhetore, exercitii cauſa cauſam aliquam dicere voluerit;

iti-

itidemque non ligata, ſed ſoluta oratione uſus ſine dubio fuit. Sic & in prooemio Digeſtorum ſeu Pandectarum vox uſurpatur: *Hanc iis*, (Digeſtis puta) *appellationem imponentes nec ultra quindecim myriadum verſuum numerum eis dantes*. Sed & diminutivum *verſiculus* aliquid orationis ſolutæ ſignificat. Cicero l. 5. ep. 1. ad Att. *Nunc venio ad transverſum illum extremæ epiſtolæ tuæ verſiculum, in quo me admones de ſorore.* Et ep. 14. ad Brut. *Breves tuæ literæ: breves dico? Imò nullæ. Tribusne verſiculis his temporibus Brutus ad me?* Videſis & plura in Lexico Nizolii notata. Sed quid *verſus* & *verſiculus* in his talibus ſignificant? An ordinem quendam ſeu ſeriem vocum ſcriptarum, quam vulgo *lineam* dicunt? Ita ſanè alii. Voſſius cum notaſſet hoc qui ſeriem vocum *lineam* dicunt, ſubdit, *Latinos pro eo verſum aut verſiculum dicere.* Affert item quibus id probet, nonnulla eorum, quæ modò nos citavimus.

VIRES quod dicantur etiam quas *opes* & *copias* Latini dicunt, non adeo notum in vulgus eſſe videtur. Sanè Vir

Cl.

Cl. Steph. Winandus Pighius, cum in Valerio Maximo legiſſet, *Quia majore pæne Romanarum virium parte in execrabili ac diro ſolo jacente, nullius penates mœroris expertes erant*, pro *Romanarum virium* ſcribendum putavit, *Romanorum virorum*; credo, quod *Romanarum virium* non ſatis Latinum ipſi videretur. Atqui nihil mutandum erat; ſed cogitandum ſolenne hoc Latinis fuiſſe, ut *vires* pro exercitu, & *Romanas* vires pro Romano exercitu dicerent. Annon Valerius Max. cujus verba Pighius interpolare voluit, paſſim ita loquitur? Ut 3.7.6. *Galliarum & Ligurum vires redactas in ſuam poteſtatem.* Et 3.2.11. *Cannenſi proelio quo Hannibal magis vires Romanas quam animos fregit.* Sed & alii non raro ſic loquuntur. Frontinus Strateg. 4,7,6. *Naturam, inquit, Sertorius, Romanarum virium per hoc vobis exemplum oſtendi, milites.* Ita Scriverius & Gronovius in ſuis codd. ſcriptum, repererunt. Qua de re epiſtolam vide Gronovii, noſtræ Valerii Max. editioni præmiſſam. Juſtinus 31.1.6. *Ne uno tempore duplici bello Romanæ vires detinerentur.* Et 30.1.5.

Le-

Legationibus miſſis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Deinde & illud notetur, quod *vires* vocentur quoque facultates & fortunæ uniuscujusque. Juſtinus 6. 2. 14. *Inferiorem illum ea parte virium inveniri, qua longe ſuperior ſit.* Præcedit, *Opulentiſſimi regis bella inopia dilabi, & qui exercitum parem hoſtibus habeat, pecunia vinci, qua præſtet.* Item 21. 4. 1. *Opes ſuas, quibus vires reip. ſuperabat, ad occupandam dominationem intendit.*

VITIUM quod pravam animi affectionem ſignificet, id ſatis notum: quod autem rebus quoque inanimis tribuatur, id non perinde in vulgus notum videtur. Cicero 9. 15. ad fam. *Si nihil eſt in parietibus aut tecto vitii, cetera mihi probabuntur.* Et in Top. *Si ædes exeſæ corruerunt, vitiumve fecerunt.* Item: *Quod fornix vitii fecerit.* Rurſus 3. Off. *Venditorem ejus rei quam vendat vitia narrare.* In homine autem non animi tantùm, ſed & corporis *vitium* eſſe poteſt. Cicero 2. de Div. *Multi naturæ vitium exercitatione ſuſtulerunt.* Et 2. de Orat. *Deformitas & corporis vitium.* Sed & *vitium* idem eſt, quod culpa. Cicero 2.

44. ad

44. ad Att. *Qui fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet.* Et 1. de Div. *Male conjecta falſa ſunt, non rerum vitio, ſed interpretum inſcitia.* Porro *vitio fieri* dicuntur, quæ non recte & legitimè fiunt. Cicero 2. N. D. *Conſules vitio creatos eſſe.* Et 1. de Div. *Claſſes magnas perdiderunt, quod vitio navigaſſent.* Item: *Cum tabernaculum vitio cepiſſet imprudens.* Cui quod contrarium eſt, in lib. 2. de Div. *tabernaculum recte captum* dicit. Inde *vitioſus dictator, vitioſus conſul* dicitur, qui vitio, & non rectè, creatus eſt. Livius 22. 34. *Ut vitioſus dictator per augures fieret.*

USURÆ ſignificatio notior illa eſt, qua ſignificat illud, quod uſu pecuniæ datur, & alio nomine fœnus dicitur, quam qua idem eſt, quod *uſus.* At veteres ſæpe ita uſurpant. Cicero 6. 13. ad fam. *Nec ſum tam ſtultus ut te uſura falſi gaudii frui velim.* Et c. Rull. *Parvam exigui temporis uſuram bonæ de me opinionis poſtulo.* Et 1. in Catil. *Unius uſuram horæ alicui ad vivendum dare.* Item 1. Tuſc. *Natura dedit uſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die.* Videſis plura à Nizolio notata.

Co-

Cognatæ vocis USUS quoque aliquot uſus obſervandi hic fuerint, ut quod pro utilitate & commodo accipitur. Cicero 7. 5. ad Att. *Tironem propter modeſtiam malo ſalvum, quam propter uſum meum.* Et 2. de N. D. *Arborum confectio magnos uſus affert ad navigia facienda.* Deinde quod *uſus eſt* pro opus eſt non tantum Comici, ſed & ipſi illi, qui ſoluta oratione ſcripſerunt, poſuerunt. Cicero 4. Tuſc. *De ceteris ſtudiis alio loco dicemus, ſi uſus fuerit.* Et 1. Off. *Reip. impartientis ſiquando uſus eſſet.* Terentii notum illud eſt ex Heaut. 1. 1. 28. *Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus eſt facto, face*: quod & Cicero 5. de Fin. uſurpat. Et ut hic dicitur *opus eſt facto*, ita alibi idem Terentius *uſus eſt facto.* Vide Adelph. 3. 4. 66. Hec. 3. 1. 47. Denique & illud notetur, quod *uſus* & pro amicitia & familiaritate uſurpatur. Cicero pro S. Roſc. *Eſt mihi cum eo domeſticus uſus.* Cujus generis plura notavit Ni olius: nec non & ejus quod *uſu venire* dicunt pro accidere.

CA-

CAPVT II.

DE NOMINVM QVORVMDAM ADIECTIVORVM SIGNIFICATIONIBVS ATQVE VSIBVS VVLGO NEGLECTIS.

ACERBVM tum alia ſignificat, tum idem quoque eſt quod *moleſtum, triſte* & *luctuoſum*. Nepos 5, 4, 3. *Sic ſe gerendo minime eſt mirandum, ſi & vita eius fuit ſecura, & mors acerba.* Cicero l. 1. ep. 1. ad fam. *Vt ego, quia non idem in tua cauſſa efficio, vitam mihi eſſe acerbam putem.* Et 1, 9. *Acerba mihi haec accidebant.* Virgilius lib. 6. *Funere merſit acerbo.* Vbi Seruius *acerbo* idem eſſe putat, quod *immaturo, a pomis translatione facta.* Nec ſane negem, a pomis translationem factam eſſe; ſed *funus acerbum* tamen idem quod *triſte & luctuoſum* eſſe putem. Liuius in fragmento, quod eſt in ſexta ſuaſoria Senecae: *Exitu tam triſti atque acerbo.* Subſtantiuum ACERBITAS quoque pro *luctu, triſtitia* vſurpatur. Cicero lib. 6. ep. 1. *Etſi quocunque in loco quisque eſt,*

eſt, idem eſt ei ſenſus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum & ſuarum.

AEQVALIS non modo dicitur is, qui eiusdem ſtaturæ & æque longus eſt, ſed & qui tantundem habet annorum, quantum alius. Nepos 15, 2, 2. *Vt adoleſcens triſtem & ſeuerum ſenem omnibus æqualibus ſuis in familiaritate antepoſuerit.* Vide & 25, 1, 3. & 25, 17, 1. Dicitur item *æqualis alicui*, qui eius eſt σύγχρονος, quique eodem tempore quo alius quidam vixit; etſi annos forte plures aut pauciores quam alter habuerit. Nepos 3, 1, 1. *Ariſtides æqualis fere fuit Themiſtocli.* Petronius ac Iuſtinus voce compoſita dicunt quoque *coæqualis*. Qua de voce iudicium noſtrum expoſuimus in Notis ad Sulp. Seuerum, & in lib. de Latinit. mer. ſuſp. p. 27. (*)

AMI-

(*) Adde Cellarii Curas poſter. Antibarbari, vbi exemplum accedit Columellæ, etiam ab Olao Borrichio, & antea in Foro Romano obſeruatum. Ceterum *æqualis* & *ſimilis* hoc differunt, quod ſimilia dicuntur, quæ externa facie, aut qualitatibus; æqualia, quæ gradu, ſi non omnino, at prope conueniunt, hoc eſt gradu honoris, ſtaturæ, ætatis, cet. quo σύγχρονοι referri poſſunt.

AMICVS non tantum homo homini dicitur, ſed & rei. Nep. 25. 9. 5. *Amicus non fortunæ, ſed hominibus.* & 7. 5. 3. *Amicus populi potentiæ.* & 10. 3. 2. *Amicus tyrannidi.* 1. 3. 6. *Amicus libertati.* Cic. Philipp. 5. Ex *Antonii* (partibus) *ſed amicioribus libertati, contra Antonium confecit exercitum.* Atque in his talibus eſt nomen adiectiuum. Ipſæ quoque res, ſi iucundæ gratæque ſint, *amicæ;* ſi ingratæ, *inimicæ* dicuntur. Cic. 3. 8. ad fam. *De hac ſententia hima decedat, qua mihi nihil poteſt eſſe inimicius.* Virgil. 2. Aen. *Tacitæ per amica ſilentia noctis.*

APTVS, vox ſatis vſitata eſt, quoties *aptum alicui rei*, aut *ad aliquid* quenquam eſſe dicendum. Verum quod *aptum* idem quoque ſit, quod connexum & colligatum; ac deinde idem quod Græcum *ἁρμόδιον*, & latinum *concinnum*, non adeo in vulgus notum. Cic. 3, 2, ad fam. *Neque ego ab ullo prouinciam accipere* (ſc. poſſem) *qui mallet eam mihi quam maxime aptam explicatamque tradere.* Non eſt hic *aptum alicui*, aut *aptum ad aliquid*, ſed *aptum* cum nullo alio conſtructum: diciturque *prouincia apta.*

Quid autem prouincia apta ſit, id fere intelligitur ex eo quod additum eſt, *explicata;* videlicet in qua omnia bene cohæreant, & recte ſe habeant, ut non magnam moleſtiam ei, qui cum imperio in eam venit, creare poſſit. Porro idem Cicero 3. de Nat. D. *Tam inter ſe omnia connexa & apta.* Et in l. de Vniu. *Qua ex coniunctione cœlum ita aptum eſt.* Idem 5. Tuſc. *In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari ſeta equina aptum demitti iuſſit* (Dionyſius puta) *ut impenderet illius beati ceruicibus.* Ex quibus apparet, *aptum* idem quoque eſſe, quod connexum, alligatum, colligatum. Quæ vero ſignificationis huius origo atque occaſio? ſine dubio illa, quod, ut Feſtus in *Apex* docet, antiqui comprehendere vinculo *apere* dicebant. Et ſubiicit ipſe Feſtus: Vnde *aptus* is, qui conuenienter alicui iunctus eſt. Vide & Nonium in *Aptus*.

BONI Latinis dicuntur, non modo qui virtute præditi, ſed & qui dignitate & honore in ciuitate præſtant: qui iidem & *optimates*, quaſi optimi, dicuntur. Cic. 3. de leg. *Bonis viris quid iuris*

reliquit

reliquit tribunatus C. Gracchi? Et 2, 6, ad fam. *Habemus hæc omnia bonorum ſtudium conciliatum ex tribunatu propter noſtram cauſam: vulgi ac multitudinis propter magnificentiam munerum.* Hic boni vulgo & multitudini opponuntur, ex quo facile intelligitur, quinam hic boni vocentur. Rurſus in ep. ad Att. *Brutus videtur mihi & plebeculam vrbanam & ſi fidem fecerit, etiam bonos ſecum habiturus.*

CAPTVS ea parte corporis eleganter dicitur homo, qua non ſic, ut ceteris, uti poteſt: eſtque adeo nomen adiectiuum ex participio factum. Livius 43, 7. *Pedibus captus, lectica eſt introlatus.* Cic. 5. Tuſc. *Vt idem oculis & auribus captus ſit.* Et pro Rabir. *Scæuola mancus & membris omnibus captus ac debilis.* Dicunt & mente captus, Cic. 1. off. *Delirare & mente captum eſſe.*

CARÆ non modo perſonæ & homines dicuntur, ſed & res in hominibus & circa homines. Saluſt. B. Ing. Paucis carior fides quam pecunia erat. Item: *ſibi neque maius quidquam neque carius autoritate ſenatus eſſe.* Item: *Quibus bonum &*

 æquum

æquum diuitiis carius erat. Cic. 4, 14. ad fam. *Quibus cariſſima mea ſalus & meæ fortunæ eſſe debebant.*

CITERIOR non tantum refertur ad locum, ut cum dicitur, *citerior* Gallia; ſed & ad tempus. Quem quidem vſum vocabuli & in Lexico Fabri, locupletato hoc a Buchnero, neglectum video. Cic. 3. de Leg. *Atque vt ad citeriora & notiora nobis veniam.* Et 2., 12. ad fam. *Sollicitus equidem eram de rebus vrbanis: ita tumultuoſæ conciones Quinquatriis afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus.* Valerius Max. 8, 15. 1. *Superiori Africano conſulatus citerior legitimo tempore datus eſt.* Item: 6, 3, 11. *Nam, ut ita dicam, incunabulis & nutrimentis culpæ, non ipſa commotus culpa, citeriorem delicto præbuit vltionem,* id eſt, prius vltus eſt vxorem, quam ab ea delictum eſſet. Rurſus 3, 8, ext. 1. *Dum aliud forte citerioris curæ negotium tractatur.* Ita enim legendum eſſe, non, vt Pighius edidit, *citioris curæ*, ad eum locum docebimus. (*)

DETE-

(*) Fecit hoc Vorſtius, quando Valerium Maximum Berolini edidit p. 333. ſeq.

DETERIOR non modo pro peiore, ſed & pro inferiore & minus inſtructo dicitur. Plaut. Epid. 3, 4. *Strenuiori deterior ſi prædicat ſuas pugnas.* Nepos 18, 3, 6. *Effecit etiam illud locorum præoccupatione, vt equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior.* Contra MELIOR modo pro eo qui plus bonæ mentis habet, ſed & pro magis ſtrenuo dicitur. Horatius 1. od. 15. *Tydides melior patre.* Iuſtinus 9, 2, 4. *Neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent.* Saluſtius & ſuperlatiuo *optumus* hac notione vſus, quod in B. Iugurth. dicit, *Optumus quisque cadere aut ſauciari.* Imitati autem Latini Græcos, qui ſuis vocabulis ἀγαθὸς, κρείσσων, ἀμείνων, ea notione vſi fuerant. Heſiodus, Ἐργ. Ἄφρων δ᾽ ὅσκ᾽ ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν. Item Ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.

EXCELLENTIS & excellentiſſimi vocabulo nihil hodie frequentius, ſed vſurpant modo de perſonis, & his quidem, qui ſingularibus ornamentis virtutis, honoris ac dignitatis ſunt prædit.

Quæ vero propria vocabuli ſignificatio eſt, ea fere ignota eſt, & parum obſeruatur. Feſtus quidem in *Recellere* teſtatur, *excellere* idem eſſe, quod in altum extollere. Et in lingua ſcribit, Promontorii genus non excellentis, ſed molliter in planum deuexi. Vnde apparet, *excellere* idem quoque eſſe, quod altum eſſe; & *excellens* idem, quod altum, excelſum. Aliter enim Feſtus non dixiſſet Promontorium non excellens. Cicero quoque in Or. habita antequam iret in exilium, *excellentem tumulum ciuitatis vocat. Dii*, inquit, *qui excellenti tumulo ciuitatis ſedem Capitolii in ſaxo incolitis conſtitutam.* Sed & ipſum excelſus videtur eſſe ab excello, non aliter, quam a percello eſt perculſus. Et in *excelſus* ſignificationis propriæ verbi *excello* veſtigium remanſit. Obſeruetur autem & illud, quod per metaphoram non homines tantum, ſed & opes & diuitiæ excellentes dicantur. Valerius Max. 4, 8, 2. *Sed ſi excellenter opes ſuas Fabianis rei familiaris anguſtiis non comparauerit.* Cui affine eſt, quod autor de rep. ordinanda, qui Salluſtius eſſe creditur, in oratione

ſecun-

ſecunda ſcribit, *Cuius opes in excelſo ſunt;* idque pro cuius opes excelſæ ſunt. Notum enim quod per Græciſmum dicant, *Res eſt in procliui*, pro, res eſt procliuis. Ex Liuio quoque Stephanus in Theſauro citat *excellere opibus.*

EXIMIVS. vid. Præditus.

HONESTVM non tantum idem quod bonum, rectum, decorum, ſed & idem quod honorificum eſt, idque vi ipſius originis, ſiquidem honeſtum ab honore dicitur. Cicero 1. 2. ad fam. *Poſt tuum diſceſſum is dies primus honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu.* Deinde & qui honorem adeptus eſt, honeſtus dicitur. Cicero Brut. *Qui honorem ſententiis & ſuffragiis adeptus eſt, is mihi & honeſtus & honoratus videtur.* Et 1, 9. ad fam. *Quorum iniqui ſermones quum ad me per homines honeſtiſſimos perferrentur.* Item 2, 15, ad fam. *Cæſarem honeſtum eſſe cupio.* Brutus in Ep. ad Attonium, quæ eſt tertia libri XI. Ciceronis: *Te cupiamus etiam in libera rep. magnum & honeſtum eſſe.* Tertullianus in libro ad ſcapulam, quid vocabulum ſignificet, declarat, quod honeſtos diſcernit a vulgaribus. *Quanti*

honeſti viri, inquit, (*de vulgaribus enim non dicimus*) *aut a dæmoniis aut a valetudinibus remediati ſunt!* Sic & Subſtantiuum HONESTAS non tantum turpitudini & indecoro opponitur, ſed & idem eſt quod honor, dignitas. Cicero l. 5. ep. 8. *Ego vero tibi profiteor atque polliceor eximium & ſingulare meum ſtudium in omni genere officii, quod ad honeſtatem & gloriam tuam ſpectet.*

IMBECILLVS & IMPOTENS non tantum virium corporis defectum notant, ſed & de eo vſurpantur, qui moderari animo nequit, vt quod rectum & decorum eſt faciat: nec tantum in aduerſa, ſed & in ſecunda fortuna. Cicero l. 5. ep. 16. *Nulla vnquam fuit liberis amiſſis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit.* Iuſtinus l. 8. c. 1. *ſecundam fortunam imbecillo animo ferentes.* Sed ita non ipſe homo, ſed animus *imbecillus* dicitur; homo autem *imbecillo animo* aliquid facere. Liuius talem *intolerantem* dicit: ut lib. 9. *Et loquimur de Alexandro nondum merſo ſecundis rebus, quarum nemo intolerantior fuit.* Sed alterius quoque vocis exempla producamus

mus. Cicero l. 4. ep. 4. *Victoria quæ, etiamſi ad meliores venit, tamen eos ferociores impotentioresque facit.* Et 10. 1. ad fam. *Hominis impotentiſſimi atque intemperantiſſimi* (M. Antonii) *armis oppreſſa ſunt omnia.* Idem de Aruſp. reſp. *Nihil feci iratus, nihil impotenti animo.* Plura id genus vide in Indice qui notus eſt.

ILLVSTRIS vid. Præditus.

IMMORTALIA Latinis varia dicuntur, quæ vulgus ita dici vix putet. Nam & gratias immortales dicunt, & beneficia immortalia, & facinora immortalia, & merita immortalia. Cicero 4, 14. ad famil. *Quibus pro meis immortalibus beneficiis cariſſima mea ſalus & meæ fortunæ eſſe debebant.* Vbi immortalia beneficia ſunt, quorum memoria nunquam eſt intermoritura. Item in Or. poſt. red. in ſen. *Si pro veſtris immortalibus in me fratremque meum, liberosque noſtros meritis parum cumulate vobis gratias egero.* Alibi dicit, *immortalem quæſtum fieri, immortalem quæſtum capere. Immortalia facinora, immortalia opera,* Plautum & Liuium dicere notauit Curio in Lexico.

INCREDIBILE pro magno elegans

gans eſt; ſed non admodum frequentatur. Cic. 1, 9. ad fam. *Incredibilis Italiæ totius conſenſio.* Præcedit, *mirifica ſenatus*, & ſequitur, *ſingularis bonorum omnium conſenſio*: ut appareat, mirificum, incredibile, & ſingulare, ut ἰσοδύναμα vſurpari. Item 2, 3. ad fam. *incredibilis quædam exſpectatio.* Et 2. 1. *Quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit.* Et 2, 7. *Te pro tua incredibili in me beneuolentia, meaque item in te ſingulari, rogo atque oro.* Ortum inde aduerbium INCREDIBILITER (*) pro valde & vehementer vſurpant. Cicero 3, 9. ad fam. *Tuis incredibiliter ſtudiis erga me muneribusque delector.*

(*) Hoc adiectiuo, item quem *mirificus*, *mirabilis*, Cicero mirifice delectabatur.

INTEGRVM pro eo, de quo nihil dum ſtatutum eſt, huc quoque referendum videtur. Cicero 1, 9. ad fam. *Vt integrum mihi de cauſa Campana ad ſuum reditum reſeruarem.* Item *ſi mihi integra omnia ac libera fuiſſent.* Hic *libera vt* ἰσοδύναμον adiectum eſt. Item 2, 3. ad fam. *Quod tibi quum veniſſes, non eſſet integrum.* INA-

INANIA non tantum vaſa, naues, & id genus alia dicuntur, in quibus nihil eſt rei craſſæ & corporis, quod in talibus eſſe ſolet; ſed & epiſtolæ inanes dicuntur, in quibus nihil eſt, quod ſit alicuius momenti. Cicero 6, 22. ad fam. *Inanes eſſe meas litteras quam nullas, malui.* Et 8, 22. ad Att. *Mittere tabellarium cum inanibus epiſtolis.* Alibi id, quod ſubaudiendum fere hic eſt, diſerte additur; & quidem caſu ſexto: quod & ipſum obſeruandum hic fuerit. Vt 2, 8. ad Att. *Nulla abs te per hos dies epiſtola inanis aliqua re utili & ſuaui venerat.* Conſtruitur & cum ſecundo caſu, quomodo cetera quæ copiam aut inopiam ſignificant. Cicero 1. de Or. *Sed deinceps omnia plena conſiliorum, inania verborum videmus.* Vide & varios huius vocabuli vſus a Nizolio notatos.

LONGINQVVM non de loco tantum, ſed & de tempore, & quod longo tempore durat, dicitur. Nepos Themiſt. *Qui ſi diſceſſiſſent, maiore cum labore & longinquiore tempore bellum confecturum.* Cæſar. 3, B. C. 80. *longinquam oppugnationem*, & Lucilius *bene longin-*

quum

quum morbum dixit. Liuius l. 9. *Et aut tempore longinqua aut præceps periculo victoria eſſet.* Et l. 41. *Qui ſuperabant longinquo, maxime quartana, implicabantur morbo.* Sic & *longinquitatem* non locis tantum, ſed & tempori tribuerunt. Notum illud Sulpic. ad Cic. *Nullus dolor eſt quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Vide 4, 5. ad fam. Vnde merito ſuſpectum Gronouio, quod Liuii 7, 29. legitur, *Maiora iam hinc bella & viribus hoſtium, & longinquitate vel regionum, vel temporum ſpatio, quibus bellatum eſt, dicentur.* Nimirum quia *longinquitas* non regionum tantum, ſed & temporum commode dicitur, τὸ *ſpatio* hic ſuperuacuum, & ab aliquo inſertum videtur.

LVCVLENTVM fere nonniſi pro dilucido & manifeſto vſurpatur. At veteres plerumque pro egregio, præſtanti, ſplendido vſurpabant. Plautus Capt. 2, 2. *Multos iam lucrum luculentos homines reddidit.* Et Ciſtell. 2, 3. *Vbi tu collocere in luculentam familiam.* Cicero 7, 16. ad Att. *Pompeius ſcriptor luculentus.* Et 2, 7. ad Att. *Dicæarchus luculentus homo eſt.* Et de clar. Or. *Licinius habitus*

eſt

eſt ſane, vt ita dicam, luculentus patronus. Et 16, 4. ad Att. *Nauigia luculenta.*

MIRVM, MIRABILE, MIRIFICVM ſubinde pro magno, ſummo & maximo vſurpantur. Nepos Miltiade: *Quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate.* Item, *in Miltiade erat cum ſumma humanitas, tum mira comitas.* Cicero 1, 9. ad fam. *In eis vlciſcendis mirificum me tibi comitem præbuiſſem.* Item, *Cum mirifica ſenatus, incredibilis Italiæ totius, ſingularis bonorum omnium conſenſio in me tuendo exſtitiſſet.* Rurſus 1, 5. ad fam. *Mirabilis eſt expectatio reditus tui.* Et 6, 13. ad fam. *Mirifica eſt improbitas in quibusdam.* Ergo & de rebus malis ac vitioſis ſic loquuntur. Rurſus in bonam partem 13, 64. ad fam. *Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit.* Et 2, 11. ad fam. *Mirum me deſiderium tenet vrbis.* Et 3, 11. ad fam. *Mirificam cepi voluptatem ex hac tua diligentia.*

Sic & aduerbia *mirifice*, *mirabiliter* pro valde, vehementer vſurpantur. Nepos Dione *Mirabiliter vulgi eſt mutata voluntas.* Cicero 9, 10. ad fam. *Nec habebam quid ſcriberem, niſi te a me mirabiliter amari.*

amari. Et 10, 3. *Mirabiliter faueo dignitati tuæ.* Et 13, 16. *ſatisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit.* Et 9, 12. ad Att. *Mirifice gratias agens Cæſari.* Et 16, 3. ad Att. *Mirifice eſt conturbatus.* Et 3, 11. ad fam. *Pompeii fidem mirifice laudas.* Huc item pertinet quod dicunt *mirum in modum.* Cicero 7, 3. ad Att. *Earum* (literarum) *accuratiſſima diligentia ſum mirum in modum delectatus.*

MELIOR. vide Deterior.

MOLESTVM non modo dicitur, quod corpus contingit atque affligit, ſed & quod alias ob cauſas diſplicet ac dolorem & triſtitiam affert, ipſique adeo animo graue eſt. Cicero l. 16. epiſt. 4. ad Att. *Illud eſt mihi ſubmoleſtum, quod parum Brutus properare videtur.* Non id Ciceronis corpus affligebat, quod parum properabat Brutus; & tamen ait ille, ſubmoleſtum ſibi hoc eſſe. Item pro L. Manil. *Ii, quibus ſemper erat moleſtum, ad eum* (Pompeium) *potiſſimum eſſe miſſum.* ſc. legatum a Mithridate. Noſtri dicerent, es verdrohs ihn. Item 2, 1, ad fam. *Non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quam iucundum, requiri.*

Deri-

Deriuato inde ſubſtantiuo nomini MOLESTIA, & aduerbio *moleſte*, conſimilis vis atque notio ſubiecta eſt. Cicero lib. 4, ep. 3. *Etſi nemini concedo qui maiorem ex pernicie & peſte reip. moleſtiam traxerit.* Vbi *moleſtia* idem quod *dolor, angor, triſtitia.* ſic & 2, 16. ad fam. *Magno dolore me affeciſſent tuæ litteræ, niſi iam & ratio ipſa depuliſſet omnes moleſtias.* lib. 5, ep. 13. *Quantum potero, me ab omnibus angoribus & moleſtiis abducam.* Item lib. 5, ep. 16. *Etſi vnus ex omnibus minime ſum ad te conſolandum accommodatus, quod tantum ex tuis moleſtiis cepi doloris, vt conſolatione ipſe egerem, tamen.* Lucceius in epiſtola, quæ eſt XIV. lib. V. epiſtolarum Ciceronis. *Moleſtiis ſe laxare.* Et Sulpicius in epiſtola, quæ eſt quinta libri IV. epiſt. eiuſdem Ciceronis. *Ipſi pari moleſtia afficiuntur.*

Aduerbium MOLESTE notione doloris, luctus, & triſtitiæ vſurpat Seruius Sulpicius in epiſtola, quæ eſt quinta libri quarti epiſtolarum Ciceronis, quod ſcribit: *Poſteaquam mihi renuntiatum eſt de obitu Tulliæ filiæ tuæ, ſane quam pro eo ac debui, grauiter moleſteque tuli.* (*)

(*) Curt. 3. 6, 11. Moleſte ſedulus, auf eine verdrüßliche Weiſe bekümmert, d. i. davon man keinen Vortheil hat, ſondern nur Verdruß, oder, zu anderer Verdruß bekümmert.

NOBILIS. vide Præditus.

NVLLVS (*) dicitur quoque is, qui non præſtat id, quod debet, qui munus ſuum non explet. Cicero 7, 3. ad fam. *Ex eo tempore vir ille, ſummus, nullus imperator fuit: ſigna tirone & collectitio exercitu cum legionibus robuſtiſſimis contulit* &c.

(*) *Nullus*, ſubſtantiuo aliquo ſubaudito, quod erat paullo ante expreſſum frequens eſt hodie; rarisſime autem pro *nemo* poni videas, eo modo, quo veteres vſurpabant. Nep. in Hannib. cap. V. 1. *Romam profectus, nullo reſiſtente, in propinquis urbis montibus moratus eſt.* i. e. nemine reſiſtente. Nec inelegans illud eſt: *Nullo magis quam ſilentio.* Iuſt. 5. 1. i. e. non alia re magis.

PATRIVM (*) non modo illud dicitur, quod patris eſt, & ad patrem pertinet, ſed & quod ad patriam: nec tantum dicitur *patrius animus*, *patria bona*, pro patris animo, patris bonis, ſed & patrius mos, patrii ritus, dii patrii pro pa-

patriæ more, patriæ ritibus, patriæ Diis.

(*) Exempla non addidit, nec opus erat, quia Lexica copioſe ſuppeditant. Satis h. l. eſt, vſum ſelectiorem cognouiſſe. Quæ-ram autem, quum adiectiuum hoc vbique vertatur Väterlich, cur *ſermo patrius* a nobis transferatur die Mutter-Sprache? Credo, quia veteres Romani liberos ſuos, quos eloquentiæ & reip. muneribus deſtinauerant, non in gynæceo relinquebant, ne matrum aut ancillarum formulis & pronuntiationi adſueſcerent, ſed curæ tradebant eruditorum hominum, quorum præceptis & vſu formarentur, & ab incunabulis dicendi artem addiſcerent. Hoc ſecus fit apud Germanos.

De voce PRÆCLARVS, notetur, quod non tantum valde clarum & clariſſimum, ſed & bonum & optimum ſignificet. Cicero 3. Philipp. *O præclarum cuſtodem ouium, vt aiunt, lupum,* id eſt, o bonum, quod quidem, vt apparet, per ironiam ita dictum. Et pro Seſt. *Res præclara iuuentuti ad diſcendum.* Et pro Dom. *Præclara voluntas atque omni laude digna.* Et pro Sext. Roſc. *Prædium præclarum atque propinquum.* Sic & aduerbium PRÆCLARE ſæpe & pro bene, optime. Cicero l. 5. ep. 13. ad fam. *Quod*

te præclare res humanas contemnentem & optime contra fortunam paratum armatumque cognoui. Vbi *præclare* & optime vt ἰσοδύναμα apparent. Item 3, 8. ad fam. *Quorum ſunt de amicitia gerenda præclariſſimi ſcripti libri.* Dicunt *præclare memini*, *præclare intelligo*, *præclare facere*, *præclare dicere :* quæ paſſim frequentat Cicero, vt vel ex indice in eum Marii Nizolii videre eſt. Idem pro bene cum aliquo agitur dicit quoque *præclare cum aliquo agitur*, vt de Amic. *Cum illo quis neget actum eſſe præclare.* Et 1. in Verr. *Hæc conditio fuit aratorum, vt præclarius ſecum agi putarent, ſi vacuos agros Apronio tradere liceret.* Et pro Sext. Roſc. *præclare cum illis agimus, quos pacatos eſſe patimur.*

PRÆDITVS, INSIGNIS, SINGVLARIS, NOBILIS, EXIMIVS, ILLVSTRIS, vulgo fere vſurpantur non niſi cum de rebus bonis ac præclaris agitur : at veteres vſurparunt quoque cum de rebus peſſimis agerent. Cicero pro Syll. *Singulari immanitate præditus.* Vbi & immanitas dicitur *ſingularis*, & ea aliquis *præditus* dicitur. Idem 1. in Verr. *Homo*

Homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus. Et pro Fl. *Præditus leuitate, egeſtate, perfidia, audacia.* Dicitur & *miſeria præditus, tumore præditus*: habetque eadem Cicero in 7. Verr. &, ſi idem huius quoque auctor, in 2. ad Herenn. Et pari modo dicitur *mœrore, morbo præditus.* Sed & de ceteris videamus. Cicero pro Rab. *Homo inſignis omnibus notis turpitudinis.* Idem de Aruſp. reſp. *Maxime inſigne atque illuſtre periurium.* Et 2. de Or. *Illa quæ inſignia ac plane vitioſa ſunt.* Et 6. in Verr. *Os hominis inſignemque impudentiam cognoſcite.* Et pro Cæc. *In re tam inſigni tamque atroci.* Tacitus 1. Ann. *Inſignem vtramque perfidia in nos aut fide.* Sed & ab *inſignio* formatum *inſignitus* ſic vſurpatur. Tacitus 4. Ann. *Inſignitius flagitium.* Eadem notione & aduerbium *inſigniter* vſurpatur. Cicero 3. Phil. *Quis rex vnquam fuit tam inſigniter impudens.* Item aduerbium ab altero adiectiuo formatum, *inſignite.* Cicero pro Quint. *Neque tamen quiſquam inuentus eſt tam inſignite impudens.* Sic & non virtutibus tantum, ſed & *vitiis nobiles* dicunt. Vt de pet. conſ. *Qui nequa-*

quaquam ſunt tam genere inſignes, quam vitiis nobiles. Pari modo ipſa quoque vitia *nobilitata* dicuntur. Cicero 2. de Off. *Phalaris cuius eſt præter ceteros nobilitata crudelitas.* Ab eodem iniuria quoque *eximia* dicitur. Vt 4. in Verr. *Sin vos in rege tam eximiam iniuriam, tam acerbam neglexiſſe audient.*

PRINCEPS latinis idem eſt quod primus. Cæſar. 7. de B. Gall. *Profitentur Carnutes ſe nullum periculum communis ſalutis cauſa recuſare, principesque ſe ex omnibus bellum facturos pollicentur.* Nec tantum dicitur de homine, quod *princeps*, id eſt, primus aliquid faciat, ſed & de aliis vſurpatur. Cicero: *Exordium princeps omnium debet eſſe.* Item: *earum qualitatum aliæ ſunt principes, aliæ ex iis ortæ.* Quæ & id genus alia ex Cicerone congeſta in libello Schori videre licet. Ibidem & docetur, quod *princeps* quoque idem ſit, quod ſummus, præcipuus: itemque idem quod inuentor & auctor alicuius rei: ut cum dicitur *princeps conſilii publici, Zeno qui inuentor ac princeps Stoicorum fuit.* Et callidum fuit conſilium Cæſaris Auguſti quod cum regem

agerct

ageret ac vere ἀνυπεύθυνος eſſe poſtularet, tamen non rex, ſed *princeps* dici voluit; quaſi primus tantum aut præcipuus apud ſuos eſſe vellet. Tacitus lib. 1. Ann. cap. 1, 3. ait: *Qui cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa nomine Principis ſub imperium accepit.* Ita videlicet regni inuidiam ſe declinare poſſe credidit.

PROPRIVM etiam illud dicitur quod eſt ſtabile & conſtans, non fluxum & tranſitorium. Cicero pro l. Manil. *Quod vt illi proprium ſit atque perpetuum, Quirites, velle & optare debetis.* Nepos 8, 4, 2. *Parua munera diutina: locupletia non propria eſſe conſueuerunt.* Horatius l. 2. ſat. 6.

> - - *Nihil amplius oro,*
> *Maia nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis.*

Terentius Andr. 4, 3. *Nihilne eſſe proprium cuiquam?* Atque ipſam illam vocem & Valerio Maximo reddendam eſſe initio libri ſeptimi, legendumque *conſtantis & propriæ*, in Notis ad illum locum monuimus.

PVDENS dicitur qui honeſtatis amans atque obſeruans eſt. Cicero 2, 6. ad

ſam. *Graue eſt homini pudenti petere aliquid magnum ab eo de quo ſe bene meritum putet.*

SINGVLARIS. vide Præditus.

SOLVS ſubinde ipſe quoque locus dicitur: eſtque idem quod ſolitarius, deſertus. Nepos. 18, 8, 6. *Sin per ſola loca contenderet, ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum.* Ante dixerat, *loca deſerta.* Cicero 1. Diu. *cum in locis ſolis mœſtus errares.* Terentius Andr. 2, 4, 3. *ſolus locus:* & Phorm. 5, 7, 85. *ſolæ terræ.* Sic & alii *ſolum montem*, *ſolam actam* dixere. Vide ind. Giſanii in Lucretium. Atque inde eſt, quod ipſe locus ſolus & *ſolitudo* dicitur. Cicero Læl. *ſi quis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine vſpiam collocaret.* Dicunt item, in agris, in ædibus, in foro, eſſe ſolitudinem. Et in foro quidem ſolitudinem ab Oratoribus. Vide Theſaurum Nizolii.

SORDIDVS non tantum is, qui ſordibus inquinatus, &, vt Terentius loquitur, illuuie immundus eſt, ſed & qui vilis, humilis, obſcurus & contemptus eſt. Plin. lib. 1. epiſt. 3. *Quin tu humiles & ſordidas curas aliis mandas, & ipſe*

pſe te in alto iſto pinguique ſeceſſu ſtudiis adſeris. Iuſtin. lib. 8. cap. 4. *Adulantur vltro ſordidam paulo ante clientelæ ſuæ partem.* Vbi ſordida clientelæ pars, id eſt, clientum Thebanorum pars, dicitur Philippus Macedoniæ rex. Idem Iuſtinus 22. 1. 1. *Sordidum genus Agathoclis.* & 2, 6, 2. *ſordida initia ciuitatum.* Vide & indicem (*) in Iuſtinum. Sed & ipſum ſubſtantiuum nomen SORDES pro humili loco & origine vſurpatur. Idem Iuſtinus 35. 1. 9. *priſtinarum ſordium oblitus.* Vide & 13, 2, 11.

(*) Freinshemii putat indicem, a ſe auctum, additumque Iuſtino, ſua cura & notis edito.

VERVM (*) ſubinde idem quoque eſt quod æquum. Liuius l. 32. *Ceterum & ſociorum audiri poſtulata verum eſſe.* Et 39. *multo verius eſſe, quæ ſub Antiocho fuerint præmia belli Eumenem quam Philippum habere.* Et 40. *Verius fuiſſe, conſules, quorum prouincia eſſet, quam ſe, quid e rep. eſſet, decernere.* Idem vocabulum aliis quoque locis Liuii reponendum e Mſſ. docet Gronouius ad Liu. 2. 47.

(*) *Verum,* ſubſtantiue, *vt inueſtigatio veri,* itidem ad ſtili ornamenta pertinet, vulgo neglecta.

VLTIMVM quod idem ſit quod extremum & remotiſſimum omnium, ſi locum ſpectes, id notum eſt. Sic dicitur *vltima platea*, pro vltima, id eſt, extrema, pars plateæ. Terentius Phorm. 1, 4. *Quis hic eſt ſenex quem video in vltima platea?* Deinde notum & hoc eſt, quod ad tempus relatum idem vocabulum ſignificet id quod poſtremum eſt, & poſt quod aliud non eſt. Ita Ouidius 3. Metam. *vltimam diem* expectandam eſſe dicit. Sed ſciendum, quod *vltimum* etiam illud dicatur quod omnium eſt primum & antiquiſſimum, & ante quod aliud non eſt: vt adeo retro & ad anteriora reſpiciatur. Cicero pro prou. Conſ. *Nonne videor vobis & vltimi temporis recordatione, & proximi memoria, medium illud triſtisſimum tempus debere, ſi ex rerum natura non poſſem euellere, ex animo quidem certe excidere.* Vbi *vltimum tempus* vocat quod eſt antiquiſſimum, quomodo *proximum* quod eſt nouiſſimum. Sic & 1. de Leg. *Ab vltimis temporibus ſcribendi exordium capio.* Item Or. pro Arch. *Pueritiæ memoriam recordari vltimam.* Vbi quidem *memoria* pro tem-

tempore, vt ſæpe. Vide Ind. in Nep. v. *memoria*. Vocabulis quoque *Principii* atque *initii* adiicit *vltimum:* atque itidem ad antiquitatem reſpicit. Vt 2. de Inu. *Omnium quicunque ab vltimo principio huius præceptioni, usque ad hoc tempus expoſitis copiis* &c. Item 1. ad Her. *Si non ab vltimo initio repetere volemus.* Dicunt etiam *vltima origo, vltimus auctor:* quibus itidem antiquitas ſignificatur. Nepos 25. 1, 1. *Ab origine vltima ſtirpis Rom. generatus.* Liuius 40. *Præferuntur primo agmini arma, inſignia omnium ab vltima origine Macedoniæ Regum.* Virgilius 7. Aen. *Tu ſanguinis vltimus auctor.* Ad quod proximum Seruius: *Dictus vltimus quod vltra omnia ſit, ſiue ante, ſiue retro reſpicias.* Rurſus ad locum relatum idem vocabulum ſignificationem quandam elegantem nec cuiuis notam habet; quod videlicet *vltimæ terræ* dicuntur non quæ omnium vltimæ & remotiſſimæ, ſed quæ valde remotæ ſunt. Nepos Att. *Antonius ex vltimis terris quid ageret, quid curæ ſibi haberet, certiorem faciebat Atticum.* Terræ quæ hic *vltimæ* dicuntur, ſunt ſine dubio Ægyptus aut

Syria.

Syria. Cicero 1, 9. ad fam. *Recordare etiam quibus laudationem ex vltimis terris miſeris.* Intelligitur autem Hiſpania, ex qua Lentulus laudationem miſerat Romam. In Orat. pro Fl. idem Cicero Maſſiliam *in vltimis terris cinctam Gallorum gentibus* ait. Alibi Cilicas *vltimas gentes* vocat. Vide Manutium ad ep. 9. lib. 1. ad fam.

Vocis VNVS (*) elegans vſus eſt, quod additur ſuperlatiuis, per pleonaſmum fere. Cicero Læl. *Quem vnum noſtræ ciuitatis & ingenio & induſtria præſtantisſimum audeo dicere.* Et de Aruſp. reſp. *Qui ſit vnus omnium mortalium ſine vlla dubitatione deterrimus.* Satis eſſet: *Qui ſit omnium mortal. deterrimus*: ſed additur tamen *vnus* ſic & pro Planc. *Brunduſium veni, vel potius ad mœnia acceſſi: vrbem vnam mihi amiciſſimam declinaui.* Vide & Ind. in Nepotem v. *vnus.* Sic & aduerbiis ſuperlatiui gradus adiicitur. Nepos 1, 1, 1. *Antiquitate generis vnus omnium maxime floret.* Et voce *omnium* omiſſa 5, 3, 1. *Cum vnus in ciuitate maxime floreret.* Item ſi pro *omnium* ponatur *ante alios.* Vt 25, 3, 3.

Vnus

Vnus ante alios cariſſimus. Virgilius 3. Æn. *Vna ante alias felix.* Sed hic pro ſuperlatiuo eſt poſitiuus.

(*) Etiam *vnus* pro *ſolus* vulgo negligitur, quod eſt elegantiſſimum. Nepos in Milt. cap. 4. *Vnus Miltiades nitebatur.*

VNIVERSVS quod ſit idem quod *totus*, & numero plurali *vniuerſi* idem quod *omnes*, id notum. At ſciendum *Vniuerſos* dici quoque omnes coniunctos, atque ita opponi ſingulis ſeparatis. Cicero 2. de N. D. *Quæ ſi ſingula vos forte non mouent, vniuerſa certe mouere debebunt.* Et 3. off. *Eandem eſſe vtilitatem vniuscuiusque & vniuerſorum.* Cæſar 6. B. Gall. 34. *Nullum poterat vniuerſis : at perterritis ac diſperſis periculum accidere.* Nepos 2, 4, 2. *Vniuerſos eſſe pares aiebat, diſperſos teſtabatur perituros.* Valerius M. 7, 3, 6. *Validi* (equi) caudam ab *imbecillo ſene paulatim carpi, infirmi a iuuene eximiarum virium vniuerſam conuelli iusſit.* Et mox : *Equi caudæ conſimilem eſſe Romanorum exercitum, cuius partes aliquis aggrediens opprimere poſſit : vniuerſum conatus proſternere celerius tradiderit victoriam*

riam quam occupauerit. Sed in his proximis *vniuerſum* dicitur numero ſingulari: & ſignificat tamen totum coniunctum. Tacitus rurſus numero pl. in Agris. *Dum ſinguli pugnant, vniuerſi vincuntur.* Item Valerius 5, 6, 8. *Vt a ſingulis ad vniuerſos transgrediar.* Vbi per *vniuerſos* intelligit totam ciuitatem coniunctam.

CAPVT III.
ACCESSIO SPECIALIOR
DE
NOMINVM SVBSTANTIVORVM ET ADIECTIVORVM
VSV.

NOmina actionem ſignificantia non raro ſignificant res ipſas in quas actio illa fertur. Ita *emptio* pro re empta: *æſtimatio* pro re æſtimata: *auditio* pro fama, atque adeo re audita ponitur. Cicero 7. 23. ad fam. *Prorſus enim ex iſtis emptionibus nullam deſidero.* Emptiones autem, id eſt, res quas M. Fabius Gallus in gratiam

tiam Ciceronis emerat, ſigna & ſtatuæ fuerunt. Cœlius in ep. ad Cic. quæ eſt prima libri VIII: *Ne tenuisſimam quidem auditionem de ea re accepi.* Vbi *auditio* pro fama; quæ quidem res quædam eſt quæ auditur. Fundos æſtimatos, quos Papyrius Pætus a debitoribus ſuis acceperat, Cicero 9, 18. ad fam. *æſtimationes* vocat. *Æſtimationes tuas*, inquit: *vendere non potes, neque ollam denariorum implere.* Et 9, 16. *Vt cum me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere. etiam hæc læuior eſt plaga ab amico quam a debitore.* Æſtimationem poſſeſſionum Cæſar debitorum cauſa per arbitros faciendam curauerat, vt creditoribus debitores facilius ſatisfacerent: qua de re Manutius ad locum illum Ciceronis. (*)

(*) Plura id genus inueniuntur, vt *declamatio*, *poſſeſſio*, *venatio*, quæ veterum vſu & auctoritate talia ſunt. Quorum ad imitationem & analogiam video multa efficta eſſe, quæ ſunt ab antiquo vſu aliena. Atque vereor, ne ad eam claſſem pertineat vox *editio*, quum pro libro adhibetur, typis excuſo. Memini ſane me in re Grammatica ſic inuenire: *Ælii Donati editio prima* & *editio ſecunda*: non autem loquor

quor de Grammaticorum illorum æuo; ſed de aurea argenteaque ætate. Addo, Donati *editionem primam & ſecundam* non ſignificare idem argumentum, bis editum, ſed materias diſtinctas. At hodie per editionem primam quid aliud intelligitur, quam primi typi exemplum? nec *ſecunda, tertia, quarta editio*, niſi de varia repetitione primi argumenti vulgo accipitur. Equidem hunc vſum eruditis vix abrogauero; dicam tamen, magis Latinum eſſe, *Liber primum editus, iterum editus*, vel *typis repetitus*, vel *tertia editione exhibitus* vel *auctus cet.* Pari modo & iure hæc monui, quo Cellarius vocem *recudere* ex Fabri Lexico reiecit, quia nusquam apud antiquos auctores, ſæpe autem in primis paginis iteratorum librorum vulgo apparet.

Eiusdem generis ſunt quædam in VS vocabula. Ita CONSPECTVS, cum ipſam præcipue actionem ſeu operationem, quæ fit oculis, ſignificet, ſignificat quoque rem conſpectam. Cicero pro l. Manil. *Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo iucundiſſimus eſt viſus.* Vbi *frequens conſpectus veſter* eſt pro eo, *quod frequentes vos conſpicimini.* Ipſa Ciceronis oculorum actio non potuit *frequens* dici; ſed res conſpecta, populus Romanus, ſic dici potuit. Deinde

&

& ex pronomine *veſter*, quae ipſius nominis vis ſit, apparet. Si enim actionem id ſignificaret, dicendum fuiſſet *conſpectus veſtri.*

Contra eadem nomina verbalia, quæ actionem ſeu operationem ſignificare ſolent, ſignificant ſubinde ipſum agens ſeu operans. Verbi gratia qui poſſidet dicitur *poſſeſſio*. Iuſtin. 2,1,15, *ſi ignis prima poſſeſſio rerum fuit*, pro ſi ignis initio omnia tenuitas poſſedit. In quam ſententiam & anteceſſerat, *ſi ignis qui* & mundum genuit cuncta poſſedit. Pari modo quod accedit, dicitur *acceſſio*. Cicero 2,11. ad fam. *Videamus eam famam conſecuti, ut non tam acceſſio quærenda, quam fortuna metuenda ſit.* Ubi *acceſsio* eſt aliquid quod accedat.

Ad hunc modum Cicero ſtudia *veteres delectationes ſuas vocat*. Vti, 9, ad fam. *Quantum ſtudiis veteribus noſtris delectationibus conſequi poterimus. Delectatio* proprie ipſum delectandi actum; hic vero ipſum delectans, ipſum illud quod delectat, ſignificat.

Solus ſubinde ipſe quoque locus dicitur: Eſtque idem quod ſolitarius,

H deſertus

deſertus. Nepos. 18, 8, 6. *Sin per ſola loca contenderet, ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum.* Ante dixerat *loca deſerta.* Cicero 1. Div. *Cum in locis ſolis moeſtus errares.* Terentius Andr. 2, 4, 3. *ſolus locus;* Et Phorm. 5, 7, 85. *Sola terra. Sic & alii ſolum montem, ſolam actam dixere.* Vide Ind. Giſanii in Lucretium. Atque inde eſt, quod ipſe locus ſolus & *ſolitudo* dicitur. Cicero Læl. *ſi quis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine uſpiam collocaret.* Dicunt item *in agris, in ædibus, in foro eſſe ſolitudinem.* Et in foro quidem *ſolitudinem ab oratoribus.* Vide Theſaurum Nizolii.

Notentur quoque nomina quaedam verbalia in TOR, vt non actum modo, ſed & ipſam agendi frequentiam & deſiderium ea ſignificant. Sic *ædificator* non tantum is dicitur, qui ædificat, ſed & qui ædificatione delectatur atque ducitur. Columella 1, 4. *Eleganter agricola ædificet, nec ſit tamen ædificator.* Nepos. 25, 13, 1. *Nemo illo minus fuit emax, minus ædificator.* Germani mei dicerent, *Niemand hat weniger Luſt zu bauen gehabt, als er.* Vide

Vide & Florum 1, 8. 4. Pari modo *Peregrinator* non tantum dicitur is, qui peregrinatur, cum ſumma quamuis moleſtia, ſed & qui peregrinationibus delectatur. Cicero. 6, 19. ad fam. *Non tam ſum peregrinator quam ſolebam.* Sic & *Ceſſator* dicitur qui facile & libenter ceſſat, *ambulator* qui libenter ambulat. Cicero. 9, 17. *Hæc tibi antea non reſcripſi, non quo ceſſator eſſe ſolerem, præſertim* in literis, ſed &c. Columella, 11, 1. *In agreſti negotio vix dici poteſt, quid gnavus operarius ignavo & ceſſatori præſtet.* Idem alibi *villicum non debere ambulatorem eſſe* ſcribit.

(*) Rarum quoque eſt, nec inelegans, vocabula in *tor* nominibus beſtiarum addere, ut, *bos arator.* Suet. Veſp. 5. *Equus Bellator.* Tacit. Germ. 14.

Sic Adiectiua quædam verbalia ſunt, quæ quum paſſiua videantur, actiue ſignificant. Ita *tacitum* non tantum dicitur id quod tacetur, ſed & illud quod tacet. Cicero. 1, Catil. *Quid expectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis.* Et pro Marcel. *Hoc tacitus nullo modo præterire poſſum.* Iſta vox formam quidem paſſi-

uam ſed ſignificationem tamen actiuam habet: Qualia latini multa habent. Vt: *Ita conſpiratas factionum partes.* Phædrus. 1, 2, vocat eas quæ conſpirarunt. Terentius. Hec. 2, 1, 3. *Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio vllam reperias.* Vbi *declinatam* eſt pro ea quæ declinauerit. Lucretius 4, 1239.

> *Aut penetrare locos aque nequit, aut penetratum*
> *Ægre admiſcetur muliebri ſemine ſemen.*

Et verſ. 671. ejusdem libri:

> *Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum.*

Vellejus 2, 97, 4. *Peragratus victor Germaniam.* Rurſus Terentius 5, 1, 11. *Iam ea ætate ſum, vt non ſit peccato mihi ignoſci æquum.* Vbi *peccato mihi* eſt pro *mihi cum peccavi.* Cicero 2, Agr. *Cui errato nulla venia, recte facto* non aliud eſſe poteſt, quam *cui cum errauerit, cum recte fecerit.* Ovidius 4, de P. 15.

> *Eſſe parem virtute patri, qui frena rogatque*
> *Sæpe recuſatus ceperit imperii.*

Ita enim legendum; non *recuſati,* vt

vt quædam editiones habent. *Recuſatus* eſt is qui recuſauit. Ad hunc modum dicitur & *annus præteritus* pro eo qui præteriit: *Solocca ſus*, pro ſole qui occidit.

CAPVT. IV.

DE PRONOMINUM QUIBUSDAM ELEGANTIBVS AC VVLGO NON SATIS COGNITIS VSIBVS.

POſt verba, quibus cupiditas & deſiderium ſignificatur, ponitur ſubinde Accuſatiuus pronominis qui ſatis recte & abeſſe poteſt; Veruntamen elegantiæ aliquid, nec, vt videri poſſit, pleonaſmum, habere videtur. Nepos, 4, 2, 3. *Cupit ſe tecum affinitate conjungi.* Pro cupit te cum affinitate conjungi. Et 13, 4, 3. *Maluit ſe capitis periculum adire.* Et 15, 4, 5. *ſe deduci volebat.* Et 18, 8, 2. *Non parere ſe ducibus, ſed imperare poſtulabat.* Vbi *poſtulare* idem quod velle, capere; & non ſecus quam ipſum *capere*, accuſatiuum poſt ſe habet. Plautus Men. 2, 3, 88. *Sed ego inſcitus, qui me hero poſtulem moderari.* Terentius Heaut.

4, 1, 55. *Quod ſperem de argento, aut poſſe poſtulem me fallere, nihil eſt.* Rurſus Nepos 25, 20, 5. *Cum ſe uterque principem orbis terrarum eſſe cuperet.* Cicero 6, 20. ad fam. *Tantis pedum doloribus afficitur, ut ſe conueniri nolit.* Hic quoque *ſe* abeſſe poteſt & nihilominus, quid ſibi velit, intelligeretur.

Hic, *ille*, quod ſubinde propinqua ſunt in oratione, putant quidam, *hic* ſemper ad propinquius, *ille* vero ad remotius pertinere: id quod aliter ſe habet. Poſſunt enim exempla afferri, quod *hic* ad remotius, *ille* vero ad propinquius ſit relatum. Sint ergo duæ iſtæ voces in propinquo poſitæ pro *unus*, *alter*. Valerius Max. 5, 5, 1, *Triumphi prætextam hujus, excepit, illius tradidit.* ſc. P. Scipio Africanus.

Quod nihil aliud eſt quam ſi dixiſſet. *Triumphi prætextam unius excepit, alterius tradidit.* Item 5, 8, 5, *Fulvius filium in caſtra Catilinæ ruentem ſupplicio Mortis affecit. Licuit, donec civilis belli rabies præteriret, incluſum arcere, verum illud cauti patris narraretur, hoc ſeueri refertur.* Vbi *illud* ad proximum, videl. *incluſum arcere*

cere: hoc ad remotius videl. *ſupplicio afficere*, pertinet. (*)

(*) Adde Liv. Lib. 3. c. 30. *Melior eſt certa pax, quam ſperata victoria: Hæc (pax) in tua;* illa (victoria) *in Deorum manu eſt.* Ceterum plura hic adnotari poſſent, e. c. quod nonnunquam alterum horum pronominum pro utroque ponatur. e. g. *In illis fructus eſt, in illis opera luditur.* Terentius Phorm II, 2. 18. Sed otium nobis fecerunt editores Grammaticæ Marchicæ vberioris, quos vide pag. 512. ſeq. confer etiam, ſi placet, nouam Horatii Turſellini edit. Cl. Schvvartzii. p. 414. ſqq.

Huc ſpectat, quod pronomina vulgo omnia, præter *Ego & Tu*, contendant *tertiæ* perſonæ eſſe. Jungunt tamen optimi autores reliquis quoque pronominibus *primam* & *ſecundam* perſonam, quos tamen inde vix barbariſmorum, vt vulgus Grammaticorum ſolet, poſtulaueris. Cic. IV. 6. famil. Sed *idem* etiam illa *vidi*, neque Te conſilium ciuilis belli ita gerendi probare. II. Philipp. 36. *Idem* tamen quaſi fuligine abſterſa, reliquis diebus in Capitolio præclara ſenatus conſulta *feciſti*, ſi hæc per ſubaudita pronomina *ego* & *Tu* vis explicare, quid fiet ſequenti. Cic. loco lib. X. 3. famil. Cum ipſum Furnium *per ſe vidi* libentiſſime, tum hoc libentius, cet.

Pronomina *qui* & *quis* ita diſtinguunt vulgo, vt poſterius tantum interrogationibus inſeruiat: Sed nec deſunt exempla, vbi idem quoque prius valeat. II. Philipp. 36. *Qui*

tu vir & quantus fuiſſes? conf. etiam Cl. Schvvartzii Turſell. p. 1058.

Nonnullis verbis pronomina *me*, *te*, *ſe*, interdum junguntur, manente priori verborum ſignificatu. Nep. Attico. c. XI. Quibus eis talis vt *ſe* emerſit. Cæſar. de B. C. c. 14. portis *ſe* foras erumpunt. Vide etiam infra part. 2. cap. 2. auctoris exempla de formula, ferre ſe, pro ferri, e. g. *me* extra tecta ferebam. cet. v. I. C. Reliqua, quæ rarioris, ſed minus tamen reprehendendi, vſus ſunt, in pronominibus reciprocis, vide improbo labore congeſta in ſup. citata Grammatica March. vberiori iſta, p. 514. vsque ad p. 527.

CAPVT. V.
DE
QVORVNDAM VERBORVM SIGNIFICATIONIBVS ATQVE VSIBVS VVLGO NEGLECTIS.

INter verba quoque, quæ Grammatici vocant, multa ſunt, quorum ſignificationes quædam vulgo parum notæ ſunt; aut, ſi notæ ſint, tamen negliguntur. Verbi ABESSE noti ſunt vſus, quod dicunt, *parum abeſt*, *paulum abeſt*, *quin hoc faciat*, & *tantum abeſt*, *vt hoc*

hoc faciat, vt; & pluribus exemplis eos verbi vſus demonſtrarunt Schorus & alii. Vide Schorum prædicto libello ad verbum *abſum*. Notandum autem eſt illud, quod pro *parum abſuit, quin vrbem caperet*, dicant etiam, *ille parum abſuit a capienda vrbe*; & pro *tantum abeſt, ut pecuniæ cupidus fuerit, vt* dicant etiam, *tantum abſuit a pecuniæ cupiditate, vt.* Priori, *paullum abfui a capienda vrbe*, memini me obſeruare in Juſtin. 2, 8, 5. Noſtri: *es hat wenig gefehlet, daß er die Stadt nicht hat eingenommen.* Alterius Phraſeos exempla ſunt apud Cornelium Nepotem, 17, 5, 2. *Tantum abſuit ab inſolentia gloriæ, vt commiſeratus ſit fortunam Græciæ*, & 20, 1, 3. *Tantum abſuit a ſocietate ſceleris, vt antetulerit ſuorum ciuium libertatem fratris ſaluti.* & 25, 12, 2. *Tantum abſuit a cupiditate pecuniæ, vt nulla in re uſus ſit ea.* (gratia Antonii puta) Valerius Max, 6, 7, 1. *Tantum a vindicta mens ejus abſuit, vt poſt mortem Africani manumiſſam ancillam in matrimonium liberto ſuo daret*, Jtem, 6, 2, 2. *Tantum a pœnitentia dicti abſuit, vt etiam L. Craſſo id in curia grauiter ferenti manum injici*

 jube-

juberet. Satis apparet, omnia hæc, quæ ex Nepote & Val. Maximo produximus, efferri quoque poſſe forma illa loquendi altera, & exempli cauſa pro *tantum abſuit a cupiditate pecuniæ, vt nulla in re uſus ſit gratia Antonii*, dici quoque poſſe, *Tantum abſuit, vt cupidus pecuniæ fuerit, vt nulla in re uſus ſit gratiæ Antonii.* Sed videndum quoque, quid ῥήσεις iſtæ, quarum eadem eſt ſententia, logice conſideratæ diſcrepent tamen. Cum dicitur, *Tantum abfuit, vt pecuniæ cupidus fuerit, vt nulla in re uſus ſit gratia Antonii,* ſubjectum enuntiationis eſt, *vt pecuniæ cupidus fuerit*, vel quod idem eſt, *pecuniæ illum cupidum fuiſſe:* prædicatum vero, *tantum abſuit, vt nulla in re uſus ſit gratia Antonii.* Atque ita ipſa res, puta *pecuniæ cupidum fuiſſe Atticum*, dicitur *Tantum abſuiſſe, vt Atticus nulla in re vſus fuerit gratia Antonii.* Cum autem dicitur, *Atticus tantum abſuit a cupiditate pecuniæ, vt nulla in re uſus fuerit gratia Antonii*, tum ipſa perſona dicitur tantum abſuiſſe ab aliqua re, & quidem a cupiditate pecuniæ, vt nulla in re uſus fuerit gratia Antonii. Atque hujus ipſius

us formulæ ex ipſo quoque Cicerone exemplum proferre licet. Nam in 1. de Orat. legitur, *Tantum abſum ab ea ſententia, vt*, pro *Tantum abeſt, vt ita ſentiam, vt*. Sed et omiſſa voce *tantum* ſæpius verbo abeſſe de perſona vſus eſt idem Cicero. Vt l. 10. ep. 23. ad fam. *Dum, ſi quid acciderit mihi, a reprehenſione temeritatis abſim.* Et 8, 15, Ad Atticum. *Et illi ciues optimi ſunt, & ego ab iſta laude non abſum.* Item de cl. Orat. *Eloquentia, vnde longe abſum.* Et 8. 23. *A conſilio fugiendi abſum.* Apparet ergo, quam frequens verbi abeſſe vſus ſit, cum aliquid in aliquo non eſſe, vel aliquem aliquid non habere, ſignificandum eſt, vt, *abſum ab eloquentia, a conſilio fugiendi*, pro, eloquentia non eſt in me, conſilium fugiendi non eſt in me. Et addi deinde poteſt *tantum*, vt in ſuperioribus, *Tantum abſum ab eloqventia, vt, Tantum abſum a conſilio fugiendi, vt.* Pertinet huc item *abeſſe a culpa*, pro culpam non habere: Cic. 6, 2, ad fam. *Ferendum eſſe fortunam, præſertim quæ abſit a culpa.* Vbi quidem dicitur, *fortunam abeſſe a culpa*; ſed non dubium eſt tamen,

men, quin ipſe quoque homo recte dicatur abeſſe a culpa, ſi culpam non habeat, et ſi culpa in eo non ſit.

ABHORRERE eleganter vſurpatur pro diſcrepare, differre. Cicero 1, 9. ad famil. *Tres libri de oratore abhorrent a communibus praeceptis. Idem in Bruto: Quod quoniam genus* (Philoſophiæ puta) *ab hoc, quod propoſuimus, abhorret, Philoſophos aliud in tempus rejiciamus.* Nepos 25. 14. 2. *Eos vocabat, quorum mores a ſuis non abhorrent.* Item 1. 3. 5. *Itaque adeo ſe abhorrere a ceterorum conſilio.* Præcedit, *ad hoc conſilium cum plerique accederent.* Curtius 3. 6. 19. *Cultus habitusque paululum a priuato abhorrens.* Plura id genus a Freinshemio notata ſunt in indice ad hunc librum.

De Verbo ABVTI minus notum vulgo eſſe videtur, quod non tantum idem ſit quod *male vti atque vtendo conſumere*, ſed & idem quod ſimplex *vti.* Et memini quempiam, cum in ſcriptis S. Hieronymi legiſſet, Apoſtolum Paulum abuſum eſſe verbis Prophetarum, eaque verba retuliſſet, ſubjeciſſe mox talia: *Quid dicis Hieronyme? Non*

Non abuſus, ſed recte vſus eſt Apoſtolus verbis Prophetarum. Sed ex ipſo Cicerone exempla ſubjiciamus: Libri 16. ep. 6. ad Att. *Qui non meminiſſem me abuſum iſto proœmio.* Et pro Mil. *Annii tribunatu rebus ominibus pro ſalute reip. geſtis ad hujus criminis defenſionem non abutemur*, Et. 2. de Nat. D. *Nos ſagacitate canum ad vtilitatem noſtram abutimur.* Et l. 9. ep. 6. ad fam. *Quæ igitur ſtudia magnorum hominum ſententia, vacationem etiam habent publici muneris iis concedente rep. cur non abutamur?*

De verbo ADMONERE notetur, quod non modo ſignificet quod verbis fit, ſed & quod fit flagris; quodque adeo dicatur & *flagro admonere, telo admonere, fuſtibus admonere aliquem*, ſi talibus quiſpiam cædatur. Virgilius 10. Aen. *Leucagus vt pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos. Increpare. Tib. 1, 1. Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.* Valerius Max. 1, 1, 7. *Digna viſa eſt* (virgo veſtalis) *quæ flagro admoneretur.* Ita enim legendum eſſe recte monuit Colerus; cum vulgo editum eſſet *admoveretur* Lege 7. D. pœn. legitur ſic, *Fuſtium admonitio, flagellorum caſtigatio, vin-*

vinculorum verberatio. Vnde apparet, quod quomodo dicitur *flagellis caſtigare*, ita quoque dicatur *fuſtibus admonere*. Seneca quoque in Lib. I. de Benef. vt Colerus obſeruauit, dixit, *verberibus admonere.* Simile huic quod dicunt etiam *verberibus objurgare.* Nam vt τὸ *admonere*, ita quoque τὸ *objurgare* proprie verbis fit; & tamen ad id, quod fuſtibus ac verberibus fit, transfertur. Suetonius Calig. 20. *Niſi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Item Othon. 2. *Flagris objurgari.* De verbo *admonere* notetur etiam, quod non modo idem ſit, quod *monere*, & de rebus futuris vſurpetur; ſed & idem ſit, quod in memoriam reuocare, in memoriam redigere. Dicunt ſane *admoneo te, ut ſcribas*, ſed dicunt tamen etiam, *Admoneo te alicujus rei*, & de aliqua re, *quæ præteriit.* Cicero Or. p. Leg. Man. *Accepta in Ponto calamitate, ex eo prœlio, de quo vos paulo ante invitus, admonui.* Iuſtinus 5. 10, 3. *Admonet*, (ſc. illos) *vetuſti per tot bella commilitii.*

ADGREDI aliquem non modo dicunt, cum vi res agitur, ſed & cum blan-

blanditiis & corruptione. Salluſtius B. Iug. *Reliquos eadem via adgreſſus.* Item, *Iis præcipit, ut omnes mortales pecunia adgrediantur.* Dicitur quoque adgredi ad aliquid, de quo alio loco diſputamus.

ADLIGARE vulnus *dicunt Latini quod* Germani dicimus *die Wunde verbinden.* Quo de Cl. quoque Gronovius ad Liv. 7, 24. monendum putauit, quod illud non ita tritum hodie, vt obligare, animaduerteret. Idem pleraque quoque eorum, quæ ſubjiciam, obſeruauit. Cic. 2. Tuſc. quæſt. *Quieſce igitur, & vulnus alliga.* Et 1. de Div. *Scriptum eſt item, cum Critonis, ſui familiaris, oculum alligatum vidiſſet, quæſiuiſſe, quid eſſet.* Vbi Lambinus legendum putat *obligatum;* quaſi alterum latine non diceretur. Liv. 7. 24. *Conſul vulnere alligato reuectus ad prima ſigna:* Juſtin. 15. *Diadema ſibi demptum rex alligandi vulneris cauſa capiti ejus imponeret.* dicunt quoque *alligare vas*: vt reſpondeat noſtro: *Zubinden.* Scribonius Larg. *Alligata pyxis;* item: *Alligatum vas.* Vide & Lexicon Scribonianum Rhodii. Denique etiam dicunt *alligare caput, aut crus faſcia.* Va-

lerius

lerius Max. 6, 27. *Candida faſcia crus alligatum.* Plinius 28, 7. *Faſcia mulieris alligato capite.*

ADLOQVI dicunt etiam pro conſolari, & exemplo quidem Græcorum verborum παραμυθεῖσθαι, & παρηγορεῖν: qua de re & Petrus Victorius ac Marcus Antonius Muretus in variis ſuis lectionibus monendum putarunt. Et Muretus quidem ex Senecæ Troade exemplum manifeſtiſſimum affert illud:

Alios parentes alloqi in luctu decet.
Tibi gratulandum eſt. Vid. cap. 4. l. 2.

Var. lect. ibidem & nomina *allocutio* & alloquium ſic uſurpata a Catullo atque Horatio docet. Sed licet ejusdem vocabulorum ſignificationis exempla adhuc alia afferre, quale eſt hoc Varronis lib. 6. de L. L. *Hinc allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum conſolandi cauſa*

(*) Tironibus & erronibus noſtris vulgo *adloqui* ſine caſu adhibitum, idem eſt hodie, quod adire aliquem & de hoſpitio aut beneficio procurando eum compellare, ſed ſine vſu veterum.

ADMITTERE idem eſt quod incitare, cum *admittere æquum* dicunt. Cæſar B. G. 1, 22. 1. *Conſidius equo admiſſo ad*

ad eum accurrit. Et 2. B.C. *Sed admiſſis equis ad ſuos refugerunt.* Alibi idem dicit, *incitato equo.* Ut 4. B. G. *incitato equo ſe hoſtibus obtulit atque interfectus eſt.* item *Incitatis equis impeditos adoriebantur.* Si vero *admittere equum* & incitare equum differant nonnihil, admittere equum ſit frena equo laxare, uti Brantio in Notis ad Cæſarem viſum. Sane Ouidius 2. de A. am. ait:

- - Totis incumbere remis,
Utile & admiſſo ſubdere calcar equo.

Ubi *admittere equum* & *ſubdere equo calcar*, id eſt equum incitare, videntur diuerſa eſſe. Ceterum quia, cum frena equo laxantur, idem & incitari calcaribus ſolet, poſſet nihilominus *admiſſo equo* pro *incitato equo* dictum videri, per metonymiam quandam antecedentis pro conſequente; ſiquidem aliud verbum aut Phraſis, qua ipſa equi incitatio ſignificetur, non ſit addita. Liuius l. 25 *ſignum equitibus datum, ut in hoſtem admitterent equos.* Cic. 2. defin. *Cum ſe deuoueret et equo admiſſo in mediam aciem Latinorum incurreret.* In quibus verbis *admiſſo equo* Guil. Budæus puta-

uit, idem eſſe, quod conſcenſo equo: ideoque ab Hier. Magio, Miſc. 7. notatus eſt. Valerius Max. 5. 6. eadem de re agens: *Protinus concitato equo in hoſtium* agmen irrupit, ex quibus manifeſte apparet, *admiſſo equo* idem eſſe, quod concitato equo. Nec tantum dicitur admiſſo equo, ſed et *admiſſo paſſu.* Ouid. 1. Metam. *vtque monebat Ipſe amor admiſſo ſequitur veſtigia paſſu.* Vbi *admiſſo paſſu* eſt pro celeri & concitato paſſu.

ADSPERNARI infra cum τῷ refutare conjunctum videbimus, & quidem in his Ciceronis. *Quam quidem virtutem non modo non adſpernari & refutare, ſed etiam complecti atque augere debetis:* videturque in his ſignificatio verbi adſpernari non ſatis animaduerſa eſſe, quod idem ſit, quod conjunctum cum eo *refutare*, id eſt, rejicere, repudiare. Vulgo putant adſpernari nihil amplius eſſe, quam ſpernere, contemnere. Sed eſt quoque idem, quod *rejicere, reſpuere.* Quod non modo ex loco Tullii jam producto, ſed & ex hoc ejusdem, quod quidem in tertio de Orat. eſt, apparet, Guſtatus, quod valde dulce eſt, aſpernatur

natur ac reſpuit. Et manifeſtius adhuc ex his, quæ ſunt in Or. pro S. Roſc. *Hanc proſcriptionem niſi hoc judicio a nobis rejicitis & aſpernamini.* Hic vti dicitur rejicere a ſe, ita quoque aſpernari a ſe. Pari modo in Orat. pro Cluent. ſcribit: *Cujus furorem Deos immortales a ſuis aris aſpernatos eſſe confido.* Et in Orat. pro Sext. Roſc. *Preces alicujus aſpernari*, pro rejicere. Eſtque hæc verbi compoſiti ſignificatio conſentanea ei verbi ſimplicis *ſpernere*, quæ hujus propria ac primaria eſt; ut videlicet idem ſit, quod *ſeparare*, *disjungere*. Plautus Cap. 2. 3. *Nunc ſpes opes auxiliaque a me ſegregant ſperniuntque ſe.* Ennius:

> *Melius eſt virtute jus: nam ſæpe virtutem mali*
> *Nanciſcuntur; ius atque æquum ſe a malis ſpernit procul.*

Simplex hoc reſcribendum putat Scaliger in Lib. 2. Varronis, vbi verba vulgo ſic habent: *Scrofa in ſua quæque hara ſuos alat oportet, quo alienos aſpernantur.* Vult igitur ille legendum eſſe *quo ſuos ſpernant*, i. e. ſeparent. Sed nihil opus emendatione iſta. Nam compoſitum

aſpernari ſignificat itidem rejicere, repudiare, pro quo autem legendum *quoniam*, quæ & diuerſa lectio eſt.

(*) Quod Vorſtius eo exemplo probare vult, dici poſſe, *adſpernari a ſe*, id vero non probaſſet, niſi alterum ſubjeciſſet, quod eſt euidentius. Neque enim ſequitur ex ſynonymorum coniunctione, vt eadem ratione conſtruantur. Vid. copioſius hac de re diſſert. m. de Vitioſo Tullii imitatore. § 53. 54.

ADSTRVERE idem quoque eſſe quod *addere*, *adiungere*, non ita notum in vulgus videtur. Juſt. 23. 3.12. *ſicut ante rebus ſupra vota fluentibus Italiæ Siciliæque imperium adſtruxerat.* Ita quidem Bemeggerus emendauit, cum vulgo legeretur *attraxerat;* qvod in MSCto repertum eſſet *ſtruxerat*, & quia ſequitur *deſtruens.* Sic & 30, 1. quoniam in MSS. eſt, *regno parricidio parto cæde etiam fratris adſtructa*, ita omnino legendum in Notis ad eum locum judicaui, pro eo, quod vulgo legitur *adjuncta.* Plinius Paneg. *ſibi accreſcere putat quod cuique adſtruatur.* Item, *Nihil felicitati ſuæ putat adſtrui poſſe.* Tacitus Agric. *Conſularibus ac triumphalibus ornamentis quid aliud adſtruere fortuna poterat?* Vellejus Paterc. 2,55. *Victus a Cæ-*

ſare

ſare Pharnaces vix quicquam gloriæ ejus adſtruxit. Propria autem verbi ſignificatio eſt *ſtruendo alteri adjungere.* Columella I. 5. *Nouum cum veteri adſtruitur.*

AVGERE non tantum idem eſt quod majus facere, vt τῷ minuere & extenuare opponatur; ſed et idem quod afficere, & facere, vt aliquis aliqua re ſit præditus. Cicero de Aruſp. reſp. *Eodem tempore ſuſcipimur in lucem & hoc cœleſti ſpiritu augemur.* Et I. de Off. *Quorum alter te ſcientia augere poteſt, alter exemplis.* Et 2. de Nat. D. *Aer humorem colligens terram auget imbribus.* Et 14. 16 ad Atticum. *Idem dies non modo me iniquiſſima inuidia liberauit, ſed etiam celeberrima populi Rom. gratulatione auxit.* Et, 9, Philipp. *Augeatur iſto etiam honore is vir, cui nullus bonor tribui non debitus poteſt.* · In indice Nizolii cum ſignificationes verborum non indiligenter diſcerni ſoleant, verbi *augere* tamen ſignificatio non niſi vna demonſtrata eſt, qua videlicet idem eſt, quod majus facere, amplificare, addere: eique ipſa quoque illa Ciceronis, quæ nunc nos congeſſimus, ſubjecta ſunt. Verum rectius

 ſentit

ſentit Obertus Giſanius in obſeruationibus Lat. Linguæ, vbi ſcribit, *augere* quoque idem eſſe, quod facere, vt quis aliqua re ſit præditus, ac deinde vnum atque alterum eorum, quæ nos tranſcripſimus, ſubjicit. Recte idem in exemplum ejus, quam dixi, ſignificationis addit illud Terentii in Heautont. *Herus* damno auctus eſt, nam & hic *auctus* nihil aliud eſt, quam *affectus*. Item illud Plauti ex mercat. *Aliquid cedo, qui hanc vicini aram augeam.* Et Horatii, *Et vixiſſe probos, amplis & honoribus auctos.* Dixit & Cicero *bonore augeri:* eſtque id nihil aliud, quam *bonore affici, bonorem alicui baberi ac tribui.* Pari modo *cognomento augeri* nihil aliud eſt quam cognomento affici, cognomentum accipere. Tacitus l.12. *Agrippina cognomento Auguſta augetur.* Non hoc vult ille, quod præter illud, quod antea habuerit, cognomentum aliud ei inditum ſit; ſed quod tum demum cognomentum quoddam acceperit. Pari modo *nominibus imperatoriis augere aliquem,* Idem lib. 7. dicit pro imperatoris nomen alicui tribuere atque indere. Et *filia au-*

ctus

ctus eidem Tacito in vita Agricolæ eſt is, qui filiam ſuſcepit atque adeo accepit; non, qui præter unam aut plures filias acceperit aliam. Et lib. 2. Annal. c. 13. cum vſus eſſet phraſi *accipere omen*, mox deinde vtitur phraſi *auctus omine*. Sic & Cicero 1, 1, ad Att. *Filiolo me auctum ſcito ſalva Terentia.* Item 1. ad Brut. *Auctus Antonii beneficio ſum.* Et 7. in Verr. *Hac tanta præda auctus.* Et pro S. Roſc. *Vt ſpoliis S. Roſcii hoc judicio ornati auctique diſcedant.* Et 2. de fin. *Tanta lætitia auctus ſum, vt mihi non conſtem.* Et 1. de Leg. *Genus humanum ſparſum in terras atque ſatum diuino auctum eſt animorum munere.* Juſtinus 2, 15, *Athenienſes aucti & præmiis belli & gloria.*

Eſt & alia verbi *augere* ſignificatio vulgo non ſatis nota; ſed quæ non tam æuo Ciceronis, quam antea, obtinuiſſe, atque adeo ad Archaiſmos referenda, videtur; quod videlicet augere idem quoque eſt, quod creare, procreare.

Verbi CAPERE vſus elegans, nec vulgo ſatis notus videtur, quod idem quoque eſt, quod ſufficere, ſatis eſſe, ſi de regionibus ac locis agatur. Cicero

pro lege Manil. *Quæ ciuitas eſt in Aſia, quæ non modo vnius imperatoris aut legati, ſed vnius tribuni militum animos & ſpiritus capere poſſit*, id eſt, quæ vnius tribuni mil. animis ac ſpiritibus ſufficiat. Et pro Mil. *Capere ejus amentiam ciuitas, Italia, provinciæ, regna, non poterant.* Juſt. 2, 13. *Erat res ſpectaculo digna, & æſtimatione ſortis humanæ rerum varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat.* Et 20. ult. *Dionyſius, quem paulo ante non Sicilia, non Italia capiebat, aſſiduis belli certaminibus victus fractusque, inſidiis ad poſtremum ſuorum interficitur.* Liu. 7. 25. *Quem nunc nouum exercitum ſiqua externa vis ingruat, hæ vires populi Rom. quas vix terrarum capit orbis, contractæ in vnum, hoc facile efficiant.* Ouidius 3. Tr. El. 4. *Nec natum in flamma vidiſſet in arbore natas, cepiſſet genitor ſi Phäetonta Merops.* id eſt, ſi Merops genitor filio Phäethonti ſuffeciſſet, ſi Phäethon parente Merope contentus fuiſſet, nec pro filio Phœbi haberi voluiſſet.

Verbi frequentatiui CAPTARE quoque vſus aliquis hic notandus; quod vide-

videlicet idem quoque eſt, quod *ſollicite aliquid expetere & quærere*, vt Antonius Schorus in ſuo de phraſibus Lat. Ling. libello jam monuit. Cicero in epp. *Lepidus deſperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, ſe cum Antonio conjunxit.* Dicunt ergo *aduentum alicujus captare.* Plura ejus ſignificationis exempla in libello Schori videre licet.

CARERE non rebus bonis tantum, ſed & malis dicunt, vt plurimis in cap. 7. Libri de falſo-ſuſp. Lat. oſtendimus.

De verbo CASTIGARE notetur, quod non tantum, vt quidam putant, ſignificet aliquid, quod verberibus fit, ſed etiam quod fit verbis. Cicero 3. Tuſc. *Pueros matres & magiſtri caſtigare ſolent, nec verbis ſolum, ſed etiam verberibus.* Et. 1. Off. *Qui punit aliquem, aut verbis caſtigat.* Et 3. Off. *Qui non verbis ſunt & diſputatione philoſophorum, ſed vinculis & carcere, caſtigandi.*

CELEBRARE non modo ſignificat, quod vulgo notum eſt, ſed & idem eſt, quod ſæpe adire & viſere. Iuſt. 6, 9, 4. *Cum actoribus nobilisſimis poetis-*

que theatra celebrant, frequentius ſcenam, quam caſtra, viſentes. Cic. pro Cœl. *is ideo viam munivit, vt tu eam alienis viris comitata celebrares?* Et pro Mur. *A quibus ſi domus noſtra celebratur, diligenter adire videmur.* Et pro Seſt. *Via multitudine legatorum vndique miſſorum celebrantur.* Ouid. 4. Metam. *Tectaque non ſyluas celebrat.* Sic & compoſito *concelebrare* vſus eſt Lucretius libro 2.

Et variæ volucres lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant.

Sed & ipſa nomina *celebris* & *celebritas* cognata notione vſurpantur. *Celebres viæ ſunt, per quas ſæpius itur:* & celebritas locus ipſe, qui frequentatur. Nep. in Præf. *Cujus mater familias non primum locum tenet ædium, ac in celebritate verſatur?* Cic. Lib. 3. ep. 7. ad Att. *Odi celebritatem, fugio homines.* Et 12, 13, ad Att. *Me hæc ſolitudo minus ſtimulat, quam iſta frequentia.* Vide & Lexicon Fabri locupletatum. Ipſius verbi *celebrare* notanda hic & illa ſignificatio, qua idem eſt, quod frequenter facere, et *celebrari* idem, quod frequenter fieri. Tacitus 2. Hiſt. *celebratum id genus mortis.* Palladius

dius lib. 3. c. 2. *Hoc toto menſe locis calidis & ſiccis vel apricis erit vitium celebranda poſitio.* Sed de hoc quoque prædictum Lexicon videatur. Dicunt item, *ſermone, fama celebrari*, ſi qua de re multus ſermo ſit. Cic. in ep. ad Quint. Fr. *Quod ita eſſe conſtanti fama ac ſermone celebratum eſt.* Et pari modo nuntii litteræque aliquid celebrare dicuntur idem Cic. pro Mur. *Quibus in locis nuntii litteræque celebraſſet, Murænam factum eſſe conſulem.* Vide & Antonii Schori Phraſes Lat. L.

Verbi CERNERE ſingularis quidem vſus eſt, quod dicunt *hereditatem cernere*, pro *adire, vſurpare.* Cic. 9. 14. ad Fam. *A te peto, vt me hanc quaſi falſam hereditatem alienæ gloriæ ſinas cernere.* Et 6, 1. ad Att. *Quod debet etiam fratris Appii amorem erga me cum reliqua hereditate creuiſſe.* Sed in his tamen κτ. μεταφορὰν Phraſis vſurpatur. Alibi tamen & proprie vſurpari deprehenditur. Vt 11, 2, ad Att. *Pridie Non. ex teſtamento creui hereditatem.* Et 11, 12. *Galeonis hereditatem creui.*

(*) Legas copioſius de verbo *cernere*, ſi places, Ludolphi Kuſteri Diatriben, & quæ inter hunc

hunc & Jacobum Perizonium diſputata ſunt. Scripſerat Kuſterus Diatriben Anti-Gronouianam, cui iterum editæ adiecit illam de vocabulo *Cerno*, Perizonii ſententiam refellens. Qui quum præfatione ad diſſert. de Aere graui, anno CIↃ IↃ CCXII. Lugduni Bat. excuſam, aduerſario Kuſtero reſpondiſſet, hic Epiſtolam ſcripſit ad Virum illuſtrisſimum, in qua præfatio, (vtor auctoris verbis) quam Vir Clariſſ. I. P. diſſertationi de Aere graui præpoſuit, refellitur. Roterodami d. 12. April. 1712. Atque hanc epiſtolam adnectendam eſſe Diatribæ de verbo *Cerno*, eiusd. in fronte monuit.

COERCERE quod idem ſit, quod ſeueritate quadam ac vi cohibere, notum eſt: vt cum dicunt *coercere iram*, *coercere iuuentutem*, *coercere exilio*, *vinculis*, *morte*. Verum quod coercere idem ſit, quod *continere*, *conſtringere*, non perinde notum in vulgus eſt. Lucretius l. 4. *Extima membrorum circum textura coercet*. Et l. 6. *Vndique qua circum corpus lorica coercet*. Cic. 2. de Nat. D. *Mundus omnia complexu ſuo coercet & continet*. Ouidius Metam. *Vitta coercebat poſitos ſine lege capillos*. Et. 4. de Pont. el. 8. *Numeris modo bella coerces*. i. e. hiſtoriam belli in verſus redigis. Quæ vero ſignificatio-

cationis huius origo atque occaſio? Hæc nimirum, quod ſimplex arcere quoque idem eſt, quod continere, conſtringere. Feſtus manifeſte: *Arcere eſt continere.* Et paullo poſt: *Vnde & coercere continere dicimus.* Ipſe Cicero 2. Nat. D. *Eſt autem multiplex & tortuoſa, arcetque & continet, ſiue illud eſt aridum, ſiue humidum, quod recipit.* Et in ſomn. Scip. *Summus ipſe Deus arcens & continens ceteros.* Virgilius 2. Æn. *Teneras arcebant vincula palmas*, i. e. conſtringebant. Cic. 2. Tuſc. *Hos quidem vt famulos vinclis prope ac cuſtodia arceamus.*

Verbi COMMENDARE vſus notetur ille, quod de his, qui morientes ſuprema mandata edunt, quibus domui proſpiciant ac res ordinent. Cicero 3. Off. de Damone & Phythia. *Atque is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet.* Cæſar 2. B. Ciu. c. 41. *Hi de ſalute deſperantes, vt extremo vitæ tempore homines facere conſueuerunt, aut ſuam mortem miſerabantur, aut parentes ſuos commendabant.* Atque ita nullus Datiuus additus apparet. Qui tamen ſubaudien-

diendus videtur. Hirtius de B. Afr. *Ipſe omnibus rebus elegantiſſime conſtitutis, liberis ſuis, L. Cæſari commendatis, ferrum in cubiculum tulit, atque ita ſe trajecit.* Hic Datiuus diſerte additus eſt. Nomine inde deriuato *commendatio* ea notione vſus eſt Plinius 7, 12. *Antiocho regi Syriæ e plebe nomine Artemon in tantum ſimilis fuit, vt Laodice Conjux regia, necato jam Antiocho, mimum per eum commendationis, regnique ſucceſſionis, peregerit.* Vbi *commendatio* idem, quod *ſuprema mandata.*

Verbi COMMITTERE varii vſus ſunt. Sed præcipue notandus ille, quo dicunt: *Non committam, vt me accuſare poſſis.* Quod Germanice fere ſic efferas licet, *Ich will es nicht alſo machen.* Plancus in ep. ad Cic. quæ eſt quarta libri 10. ad fam. *Nec nunc commitam, vt vllum meum factum reprehendere jure poſſis.* Cicero, 5, 6, ad Att. *Non committam, vt tibi, cum poſſint reddi a me literæ, non reddantur.* Et. 5, 13. *Ne committas, vt fruſtra properaſſe videaris.* Et 1. de leg. *Vereor committere, vt non bene prouiſa principia videantur.* Noſtri, *ich ſcheue mich, es alſo zu machen.* Et 8, 3. ad Att. *Non puto*

Cn.

Cn. noſtrum commiſſurum, vt Domitium relinquat. Et 8, 15, ad Att. *Ego nolo quenquam ciuem committere, vt morte mulctandus ſit.* Et 11, 20. ad Fam. *Non committendum putaui, vt Alpes transgrederer.* In quorum quibusdam & παρέλκει fere vt ipſum *facere.* Eleganter dicunt. *Faciendum putaui, vt te monerem,* pro *Monendum te putaui.* Pari modo. *Non committendum putaui, vt Alpes tranſgrederer,* pro *Non transgrediendum putaui Alpes.*

CONFERRE variis modis, qui vulgo fere negliguntur, vſurpari monuit Anton. Schorus: Notetur autem & illud, quod conferre dicunt, pro *parem ducere, æque magni æſtimare* Cic. 2, 11, ad Fam. *Cum vna ambulatiuncula atque vno ſermone noſtro omnes fructus prouinciæ non confero.* Cæſar, 1. B. Gall. 31. *Neque enim conferendum eſſe Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc conſuetudinem victus cum illa comparandam.* Vbi apparet, τὸ comparare quoque eadem, qua dixi, notione vſurpari. Quod & ex his Nepotis 11, 1, 1, intelligi licet: *vt ætatis ſuæ cum primis compararetur.* i. e. par illis haberetur. Rurſus Cic. 2, 6, ad Fam. *Quem*

Quem tecum conferre poſſemus, non haberemus.

(*) Verbum hoc non tantum cum præpoſitione legitur, ſed & ſine ea, vt *conferre alicui*: nec inuſitatum eſt, *conferre inter ſe*. Vid. Lexicon. Fabri. Sed Forſtius ad particulam *non* ſimul reſpicit, nec de hac loquitur phraſi, *conferre alicui*, ſed de illa, *non conferri alicui*, *ſeu non eſſe alicui conferendum*, weit nachzuſetzen ſeyn/ einem nicht beykommen/ lange ſo gut nicht ſeyn als einander/ oder ſo groß/ ſo reich ꝛc.

Porro autem de verbo CONFUTARE videamus. Hoc quoque nihil amplius eſſe putant, quam oratione & verbis aliquid refellere. Verum vt *refutare*, *ita* & *confutare* dicebant pro retundere, reprimere. Cicero apud Gellium 7, 3. *Nequid in conſulendo aduerſi eueniat*, *quod noſtras ſecundas res confutet*. Idem in Partit. *Audaciam alicujus confutare*. Apulejus II. Miles. *Quæ longe longeque meum confutabat obtutum:* Vide & Theſaurum Fabri a Buchnero locupletatum. In quo tamen perinde non placet illud, quod, cum alia compoſita ſuis ſimplicibus ſubjecta appareant, *confutare* & *re-*

futare

futare ſimplici verbo *futare* ſubjecta non ſunt: Imo ſimplex *futare* ſuo loco ne quidem poſitum eſt; Sed modo vnde deriuatum hoc eſt, nomen *futum*. Debuiſſet autem, ubi primitiuum *futum* apparet, deriuatum *futare* ilico ſubjici, & compoſita *confutare* & *refutare* deinde ſequi. Feſtus *futare* dicit idem eſſe, quod arguere: Vnde ſit *confutare*. Sed non dubium eſt, quin prima atque primaria verbi ſignificatio fuerit eadem, quæ compoſiti *confutare* fuit, id eſt, fuſo compeſcere. Propriam compoſiti ſignificationem docuit Scaliger ad Feſtum verbis Titinnii, *Coquos abenum, quando feruit, paullo confutat true.* Vide Notas ejus ad verb. *Refutare.*

CONSEQUI pro æquare, paria facere, non vulgare videtur Cic. l. 8. ad Fam. *Nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum.*

Verbi CONSTARE ſignificatio non vna eſt, & pleræque in vulgus ſatis notæ. Quæ vero propria ſignificatio eſt, ea adeo parum nota eſt, vt plerique de ea dubitaturi videantur. Eſt autem

 illa

illa, quod *conſtare* idem eſt, quod in vno quodam loco conjunctos ſtare, & quod noſtra lingua dicimus *bei einander beiſammen ſtehen.* Plautus Capt. 7, 11. *Conſtant, conſerunt ſermones inter ſe.* Satis quoque notum, quod dicant *conſtare ſibi* cum caſu tertio pronominis; verum, quod dicant quoque ſine caſu tertio *conſtare in ſententia*, id non perinde notum. Cicero 1, 9. ad Fam. *Qua in ſententia ſi conſtare voluiſſent.* Ubi *conſtare* ſolum idem eſt, quod nos dicimus *beſtändig ſeyn.* Atque inde eſt, quod virtus, nobis *Beſtändigkeit*; Latinis conſtantia dicitur.

CONTEMNERE & NEGLIGERE non modo idem ſunt, quod parui æſtimare, ſed & idem, quod non curare, non timere. Cicero 14, 4. ad Fam. *Periculum fortunarum & capitis ſui pro mea ſalute neglexit.* Nepos 25, 21, 2. *Morbum initio Medici contemſerunt*, i. e. non curarunt, ejus rationem non habuerunt: Eadem notione & *deſpicere* uſurpant. Nepos 25, 16, 4. *Rei familiaris deſpexit fructum.* Noſtri dicunt, *hat es nicht geachtet.* Item 16, 3. 1. *illi vsque eo deſpexerunt, vt ne quærere quidem de tanta re laborarint.*

Vult

Vult ille, magiſtratus Thebanos nihil curaſſe nec timuiſſe, quod exules in vrbem veniſſe audiuiſſent.

CONTENDERE varias omnino ſignificationes habet. Quarum non ſatis obſeruari videtur illa, qua idem eſt, quod conferre, comparare.

(*) Cic. 2. Catil. c. 11. Si *ipſas cauſas contendere ſolimus* i. e. conferre, comparare.

CONVALESCERE non modo is dicitur, cui ſanitas redditur, verum etiam, qui quocunque modo firmus ac validus euadit, eſtque ea verbi ſignificatio præcipua. Juſt. 3, 2, 7. *Medio tempore, dum infans conualeſcit tutelamque ejus adminiſtrat.* Item 3, 4. 1. *His moribus ita breui ciuitas conualuit.* Plura id genus ex eo autore notata vide in noſtro indice. Ipſe quoque Cicero ita vſurpauit, vt l. 7. ep. 3. ad Att. *His ille (Cæſar puta) rebus ita conualuit, vt nunc in vno cine reſp. ad reſiſtendum imbecilla ſit.* Vult ille, quod imperium in Gallia Cæſari prorogatum ac tantopere pugnatum fuerat, vt de abſentis ejus ratione habenda decem tribuni plebis ferrent, iis rebus Cæſarem

K 2 adeo

adeo conualuiſſe potentemque factum eſſe. Item Or. pro Mil. *Quanto ille plura miſcebat, tanto hic magis indies conualeſcebat.* Agit ibi de Mil. dicitque, eum magis indies conualuiſſe, ſuffragiis populi puta, vt proximo anno conſul fieret. Deinde conualeſcere etiam is dicitur, qui ex morbo rurſus validus ac firmus euadit ſanitatemque recuperat, qui idem & firmus, firmior, confirmato corpore validus. Latinis dicitur Cic. 16, 1. ad Fam. *Mihi placebat, ſi firmior eſſes, vt te Leucadem deportares.* Et 16, 3. *Vt prorſus niſi confirmato corpore nolles nauigare.* Et 16, 6. *Omnia viceris, ſi, ut ſpero, te validum videro.*

DARE non modo res bonas, ſed & malas dicimus; vt *damnum, injuriam, contumeliam, vulnus, incommoda.* Cicero 5. de Fin. *Etiamſi incommoda datura ſit.* Terentius Andr. 1, 1. *Nam ſi illum objurges, vitæ qui auxilium tulit, quid facias illi, qui dederit damnum aut malum.* Metellus Numidicus in Orat. apud Gellium 12, 9. dicit *injuriam tradere* pro dare. Verba ejus ſunt: *Et quanto probi injuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt, tanto ille vobis, quam mihi pejorem honorem habuit.*

Sic

Sic & dicunt ICti *pauperiem dare.* Eſt autem *pauperies*, vt ipſi definiunt, damnum ſine injuria facientis datum. Vide librum IX. Dig. Tit. I. Phraſeos *vulnus dare.* Exempla congeſſimus in Cap. 11. lib. de Lat.

DEFENDERE non modo *aliquem ab aliquo*, ſed & *defendere aliquid.* Vbi tum defendere idem & quod repellere, propulſare. Vt quod vulgo dicunt *vim vi repellere licet*, idem dici quoque poteſt *vim vi defendere licet.* Cicero pro lege Manil. *Certe illud* (ſcil. tempus) *eſt non modo juſtum, verum etiam neceſſarium, cum vi vis illata defenditur.* Ouidius 2. de rem. am.

Proximus a tectis ignis defenditur ægre.

Virgilius 7. Æn. *ſolſtitium pecori defendite*, i. e. Æſtum a pecore auertite, arcete. Eſtque ſignificatio hæc vocabuli maxime propria, quæ minus animaduertitur. Deinde, quia, ſi ſalui eſſe velimus, id, quod nocere poſſit, defendendum & arcendum eſt, fit, vt *defendere* idem ſit, quod tueri, propugnare, dicaturque *defendere aliquem a periculo, a vi, ab injuria.* Proprie ipſa vis, ipſa injuria, defenditur, i. e. arcetur, depellitur: δευτέρως

 autem

autem homo defendi a vi, ab injuria, dicitur.

Verbi DEFICERE *vſus* hic notandus ille, quo idem eſt, quod *deſtituere*, quodque conſtruitur cum Accuſatiuo; & hinc paſſiue dicitur *defici aliqua re*. Sane Cicero, vt Antonius quoque Schorus monuit, perpetuo cum Accuſatiuo conſtruit, dicitque *Solatia me deficiunt*, *Leontina ciuitas me defecit*. *Vires me deficere cœperunt*. Vide hæc & id genus alia congeſta a Schoro. Hinc paſſiue dicitur *defici viribus*, *defectus viribus*. Phædrus Lib. 1. fab. 21. *Defectus annis & deſertus viribus*. Vbi & *defectus viribus* dici potuiſſet. Verum, ne vnum vocabulum bis poneret, ſemel pro eo ἰσοδύναμον *deſertus* poſuit. Ceterum pro *defectus annis* Scioppius ſcribi vult *defeſſus annis*; quod *defectus annis* nullo ſenſu dici putet. Sed dicit tamen & Columella in Præf. *Defectiſſimus annis & viribus*. Nec ſine ratione dictum eſt *defectus annis*. Subaudiendum enim *melioribus*, aut ſimile. Is, qui ſenex eſt & profectæ ætatis, defectus, id eſt, deſtitutus, deſertus eſt ab annis melioribus. Ceterum ipſe quoque Cicero in Or. pro Cluent. dicit *defici*

ci conſilio & ratione. Et Val. Maximus 5,4. ext. 6. *loquendi uſu defectus.* Item 8, 3, 1. *Non quod aduocatis deficiebatur.* Et Celſus 5, 16, *Arbor ſenio defecta:* itemque 7, 9. *defici memoria.* Scribonius L. c. 59. *defici animo*, ſed non putandum tamen cum Schoro deficere non et cum dativo conſtrui, nec eſſe verbum Neutrum. Cicero pro Quint. *Quod mihi conſueuit eſſe adjumento, id quoque in hac cauſa deficit.* Vbi ſine dubio mihi ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Item 3. in Verr. *Vererer, ne mihi crimina non ſuppeterent, ne oratio deeſſet, ne vox vireſque deficerent.* Vbi itidem non ſemel, ſed bis eſt ſubaudiendum.

DEIICERE verbi variæ ſignificationes & elegantes vſus ſunt. Proprie quidem idem eſt, quod deturbare: conſtruiturque cum caſu ſexto, additis vel non additis præpoſitionibus. Cicero pro Mur. *Deiici de vrbis præſidio & de cuſtodia ciuitatis deturbari.* Vbi *deturbari* vt plane ἰσοδύναμον, & adjectum eſt, ſed vtrumque tamen dictum per metaphoram. Ex quo tamen facile intelligitur, quod, quomodo proprie dicitur *deturbare de ſcala, deturbare de gradu ſcalæ*, ita quoque dici poſſit *dejicere de Scala & de*

 gradu

gradu Scalæ. Certe Cicero in Epp. ad Att. dicit *dejectus de gradu*, quamuis itidem per Metaphoram: quod & ab Ant. Schoro notatum videbis. Sed manifeſtius fit ex illo Ciceronis pro S. Roſc. *Habeo etiam dicere quem contra morem majorum minorem annis XL. de ponte in Tiberim dejecerit.* Idem ex Cicerone collegit & hæc, *ædilitate dejici*, *prætura dejici*, *ſenatum a gubernaculis dejicere*; ſed non ſeparatim & diſtincte & illud notauit quod dicant, *dejicere oculos*, pro demittere. Cicero 7. in Verr. *ſi tantulum dejecerimus oculos.* Virgilius 3. Æn.

Dejecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.

Et 6. Æn.

Frons læta parum & dejecto lumina vultu.

Vbi pro *dejicere oculos* eſt *vultum dejicere.* Et quod in altero eorum eſt *lumina*, id pro oculis eſt. Sed & pudorem oculos dejicere dicunt, id eſt, facere, vt oculos aliquis dejiciat. Ouidius 11. Heroid.

Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos.

Valerius Flacc. 7. Argon. *Pudor dejecit vultus.* Eſt & pro *deflectere*, cum dicunt *dejicere oculos ab aliquo*, *de aliquo.* Cicero, Philipp. *Nec vero vſquam diſcedebam, nec a rep. dejiciebam oculos, &*

manen-

ıanendum mihi ſtatuebam quaſi in vigilia uadam conſulari. Item 6. in Verr. *Ocu-ſ de iſto nuſquam dejicere neque ab ar-ento digitum diſcedere.*

DELIBERARE non tantum idem ſt, quod *conſultare* & vna quidem cum liis; Sed & *aliquem conſulere, alicujus nſilium requirere.* Cicero l, 1. Offic. *De-berant i conſilium dare*, Et pro Planc. *eliberantibus non deeſſe.* Et lib. 6. ep. 8. *u autem quaſi conceſſum ſit, ita deliberas.* dem ante dixit, *A me conſilium petis, uod ſim tibi Auctor.* Ibidem & vocabulo *eliberationis* eadem ſignificatione vtitur. Nepos Miltiade. *Cum multi ejus demi-rationis peterent ſocietatem, ex his dele-ti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui onſulerent Apollinem, quo potiſſimum Duce terentur. His conſulentibus nominatim ythia præcepit, ut Miltiadem ſibi imperato-um ſumerent.* Vbi verba *qui conſulerent Apollinem* ſuperuacua eſſe, cumque inter-pretationis cauſa in margine ſcripta eſ-ſent, poſt a Librariis in ipſum textum illata non male judicaſſe videtur Sciop-pius in epiſt. 5. Parad. liter. Ceterum quod *deliberatum* idem hic ſit, quod *con-*

ſultum, apparet, tum ex eo, quod ſequitur *conſulentibus*, tum quod in Themiſtocle verba *conſulere* & *deliberare* itidem ut ἰσοδύναμα apparent, & ordine quidem inuerſo verba ſic habent. *Miſerunt Delphos conſultum, quidnam facerent de rebus ſuis. Deliberantibus Pythia reſpondit, vt mœnibus ligneis ſe munirent.* Notetur porro & illud, quod *deliberare* etiam vnus dicitur, quodque idem illud eſt, quod *rem ſecum reputare.* Nepos 9, 3, 3. *Tu delibera, vtrum colloqui malis, an per litteras agere.* Noſtri dicerent, *du magſt dich darauf bedencken, du magſt es bei dir erwägen.* Juſtinus 24. 17. *Diu deliberauit, an confeſtim rem aggrederetur.* Atque inde eſt, quod & vnus homo dicere de ſe poteſt, *deliberatum eſt mihi*, pro *conſtitutum eſt mihi*, Cicero c. Rull. *Mihi deliberatum & conſtitutum eſt ita gerere conſulatum.* Et pro S. Roſc. *Certum eſt deliberatumque dicere.* Et pro Quint. *Si jam tibi deliberatum eſt, quibus abroges fidem jurisjurandi, reſponde.* Quaſi Germanice diceres: *Wo du dich gnug darauf bedacht haſt.*

DEPORTARE pro vehere, & cum accu-

accuſatiuo perſonæ, non vulgare eſt. Nepos 7, 4,3, *Ad deportandum cum miſſa nauis.* Cic. pro leg. Manil. *victorem exercitum deportauit ex Africa.* ſcil. Romam. Juſtinus 17, 2, 13. *Exercitum deportare in Italiam* Et 36,2,7. *Deportatus in Ægyptum,* Joſeph puta.

DESTITVERE pro deſerere ſatis notum, ſed quæ maxime propria hujus verbi ſignificatio eſt, ea fere ignota eſt aut negligitur. Eſt autem proprie idem, quod defigere, collocare. Plautus Rud. 3. 5. *Ita duo deſtituit ſigna bis cum clauis ſenex.* Liu. l. 7, *Duo armati in medio deſtituuntur.* Et alibi: *Ante pedes deſtitutum cauſſam dicere juſſit.* Valerius Max. 9, 2, ext. 7. *Patruum cum filiis & nepotibus vacua area deſtitutum jaculis confixit.*

Verbi DETERRERE vſus non ſatis notus in vulgus videtur ille, quo pro dehortari ponitur: quod quidem non minis aut injecto metu fit, ſed rationibus & precibus. Cic. 1, 7. ad Fam. *Ego te, vt ad certam laudem adhortor, ſic a dimicatione deterreo.* Cicero lib. 5. Ep. 2. *Egi cum Claudia vxore tua, & cum veſtra ſorore*

re

re Mutia, vt eum ab illa injuria (qua ſcil. Ciceronem affecerat) *deterrerent*. Luccejus in ep. quæ eſt XIV. libri V. Epp. Cic. *Cupio deterrere*, (ſubaudi te) *ne permaneas in incepto*. Rurſus Cicero lib. 1. de Orat. *Vereor, ne majorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum*. Vbi deterrere & cohortari vt contraria ſunt poſita. Vt ſatis appareat, deterrere hic nihil aliud eſſe, quam dehortari, cum alias notio minarum & injecti metus ei verbo ſubjecta ſit.

DISCERE eleganter pro cognoſcere, intelligere, comperire; DOCERE autem pro narrare, exponere, certiorem facere vſurpatur. Cæſar. 1. B. Gall. *His de cauſſis aguntur omnia ruptim atque turbate; neque docendi Cæſaris propinquis ejus ſpatium datur*. Nep. 1, 6, 1. *Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi ſit tributum, docere*. Item 14, 5, 3, *In quibus* (perſcriptis) *docet, eum magno fore periculo*. Idem præf. 3, *Hi ſi didicerint, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia*. Juſt. 2, 3, 13, *Quos cum tanta celeritate venire rex didiciſſet*. Cic. 3, 6, ad Fam. *Litteræ quæ me docerent*.

DISPV-

DISPVTARE putant quidam neminem dici poſſe, niſi qui cum alio ſuper certis quibusdam theſibus ſermones conferat, eique contradicat. Verum ſubinde idem eſt, quod diſſerere, ſermones habere de aliqua re, vt nemo quiſquam contradicat. Cic. 3, 8. ad Fam. *Idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis diſputauiſſe;* videlicet Appium hominem ſapientem & vrbanum iſto genere legationum non delectari. Item: *Jam non tam mihi videntur injuriam facere ii, qui hæc diſputant, quam ſi cujus aures ad hanc diſputationem patent.* Quod diſputarant quidam, illud eſt, quod Cicero legationes iſtas, quæ ad Appium laudandum Romam ire voluerant impediuiſſent. Rurſus: *Diſputabant, ego contra diſſerebam: dicebant, ego negabam.*

Verba DISSENTIRE & DISSIDERE non tantum de hominibus vſurpantur, ſed & de rebus: ſuntque ſæpe nihil aliud, quam *differre, diſcrepare.* Cicero 1. Phil. *Vt mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo vno die diſſenſiſſe.* Ouid. ep. Helenæ.

A verbis facies diſſidet illa tuis.

Juſtinus l. 6. *Neque ab hoc vitæ propoſito mortis ratio diſſenſit.*

Contra DISCREPARE idem eſt, quod diſſentire. Plancus in ep. quæ eſt quarta lib. 10. ad Fam. *Neque, ſi facultas tibi præſentis eſſet, vnquam a tuis conſiliis diſcreparem.* Cic. 2. 13, ad Fam. *Ex eo quidam ſuſpicati fortaſſe ſunt, animorum contentione, non opinionum diſſenſione, me ab eo diſcrepare.* Vbi *opinionum diſſenſione diſcrepare* idem eſt, quod *diſſentire: animorum contentione diſcrepare* eſt ſimultates cum aliquo gerere, in ſimultate cum aliquo eſſe.

DVBITARE ſatis notum verbum, ſed vſus ejus tamen non perinde notus, neque ſatis in Lexicis notatus. In Lexico Fabri, locupletato illo a Buchnero notatum video, quod pro eo, quod Cicero dicit, *Non dubito, quin res ita ſe habeant.* Corn. Nepos dicat, *Non dubito, rem ita ſe habere*, ac deinde ſubjecta hæc verba, *itaque & hæc locutio elegans eſt, ſi dicam: Non dubitavit capitis periculum pro te adire.* Quaſi hæc locutio cum Nepotis illa congruat. Verum enim

enim vero multa ea differunt, & conſtructione, & ſignificatione. Nam cum dicitur: *Non dubito, rem ita ſe habere*, poſt *dubito* ponitur accuſatiuus cum infinitiuo, quomodo poſt verba ſenſuum & affectuum ſolet; cum autem dicitur: *Non vereor adire periculum capitis;* tum infinitiuus ſolus verbo ſubjicitur, & pertinet hoc ad Regulam Grammaticæ Rhenii: *Cum duo verba conjunguntur ſine præpoſitione, alterum eſt infinitiui modi.* Deinde & ſignificatio non parum diuerſa eſt. Cum enim dicitur, *non dubito adire periculum*, *dubito* idem eſt, quod vereor, metuo, non ſuſtineo. Nepos 23, 11, 3. *Prœlium ſtatim committere non dubitauit.* Item 16, 15, 3. *Non dubitauit, ſimulac conſpexit hoſtem, confligere.* Sed & nominis inde deriuati *dubitatio* eadem interdum vis eſt Cicero 3. de Nat. D. *Victoriolas aureas ſine dubitatione tollebat.* Loquitur de Dionyſio, Siciliæ tyranno, qui nihil dubitauit, nihil veritus eſt victoriolas aureas, id eſt, ſimulacra victoriæ, quæ majores ſtatuæ in manibus habebant, tollere.

EGREDI non tantum idem eſt, quod exire, vt, cum dicitur *egredi urbe, domo*,

domo, *caſtris*, vel addita præpoſitione, *ex urbe:* Sed & idem eſt, quod *aſcendere*. Saluſtius B. Jug. *jam ſcalis egreſſi milites prope ſumma ceperant.* Item: *Prope ad ſummum montis egreſſus eſt.* Tacitus 4. Hiſt. *Multos in mœnia egreſſos pugionibus fodere.* Et geminum huic eſt *euadere*, quod & ipſum ſic vſurpatum a Virgilio in 6. Æn. vbi dicit: *ſuperas euadere ad auras*, item *elabi* in eo, quod item Virgilius 2. Georg. de igne dicit: *Frondes elapſus in altas ingentem cœlo ſonitum dedit.* Eadem præpoſitionis E vis apparet in verbis *eleuare*, *emicare*, *eminere*, &, vt Cl. Gronouio videtur, in verbo *exſcendere*, de quo vide notas Gronouii ad Liu. 2, 28. Imo & in verbo *excedere* apparet, quod Valerius Max. 3, 4, extr. dicit, *excedere ad gloriam.*

ENUNTIARE vix nunc alia notione vſurpatur, quam in Logicis ſeu Dialecticis vſurpari ſolet, cum de altero enuntiari dicitur. Verum apud antiquos hoc verbum proprie idem erat, quam ſecreta & commiſſa reuelare. Et reſpondet noſtro *auſſagen.* Plautus Trin. 1, 2. *Ne enuntiem cuiquam.* Cæſar. 1. B. Gall. 31.

Non

31. *Non minus ſe id contendere & laborare, ne ea, quæ dixiſſent, enuntiarentur, quam vti ea, quæ vellent, impetrarent: Propterea quod, ſi enuntiatum eſſet, ſummum in cruciatum ſe venturos viderent.* Nepos 4,4, 6. *Orare cœpit, ne enuntiaret, nec ſe meritum de illo optime proderet.* Juſtinus 5. *Alcibiades inſimulatur myſteria Cereris nullo magis, quam ſilentio ſolemnia enuntiauiſſe.*

ERIPI atque ADIMI alicui non tantum dicuntur res bonæ, & *priuari* aliquis non tantum rebus bonis dicitur, ſed & res malæ, ac rebus malis. Cicero l. 9. ep. 6. ad Att. *Eripe* mihi hunc dolorem, aut minue ſaltem. Item. l. 10. ep. 4. ad Att. *Me libente eripies mihi nunc errorem.* Juſtinus 6. 3. 12. *Populo reſtituta dignitate conditio ſeruilis eripitur.* Cicero c. Rull. *ſimillime vt mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur, non enim hac exceptione vnus afficitur beneficio. Sed vnus priuatur injuria.* Quod miror Scioppio in Notis ad Phædrum ſatis noue dictum videri, vtpote qui Ciceronis nihil non ſuſpicere & admirari ſolet. Re-

 cogita-

cogitare tantum potuiſſet, pari modo eundem dixiſſe & *exilio priuare*, *dolore priuare*. Cicero L. 1. epiſt. 13. ad Att. *Erras, Clodi, non te judices vrbi, ſed carceri reſeruarunt. Neque te retinere in ciuitate, ſed exilio priuare voluerunt.* Deinde *priuari dolore* dixit in lib. 1. de fin. & *priuare aliquem ægritudine*. 3. Tuſc. vti Cario in Lexico, v. *ægritudo* notauit. Porro *adimi* quoque non tantum res bonæ, ſed & malæ dicuntur. Terentius Heaut. 2, 2. *Adimere alicui metum.*

Verbi ESSE multi quoque vſus ſunt, qui negliguntur: Vt quod dicunt, *in timore eſſe, in deſiderio eſſe, in opinione eſſe, in ſpe eſſe.* Et negliguntur talia, partim quod vernaculis noſtris phraſibus nimis affinia videntur, vel, quod non ſic, vt alia, obſervantur. Quod dicunt in timore eſſe, pro timere, id ſuſpectum nobis eſſe ſolet, quia nos ad eundem modum dicimus, *in Furcht ſeyn.* Quare in libello de Latinitate falſo ſuſpecta, vt de aliis, ita de hoc quoque noſtros monendos putaui, ne ad huius modi Phraſes cohorreſcant, ſed ſecure iis utantur. Videſis cap. VI. libelli noſtri.

ſtri. Sed ſciendum eſt ejusdem generis Phraſes ſubinde & ſic vſurpari, vt ſignificatione a noſtris Phraſibus non parum diſcrepent. Nam *in timore eſſe* non modo dicunt pro timere, ſed & pro timeri. Cicero 2, 10. ad Fam. *Ea, quæ ſequitur*, (æſtas) *magno eſt in timore*, i. e. valde timetur. Sic & Phraſes, *in ſpe eſſe*, *in deſiderio eſſe*, duplici notione vſurpantur, ſuntque tam pro ſperari & deſiderari, quam pro ſperare & deſiderare, vt prædicto loco demonſtrauimus: Et addatur iſtis, quæ ibi congeſta, illud Ciceronis 2, 12, ad Fam: *Si non ſſem tamdiu quidem in deſiderio rerum mihi cariſſimarum.* Eſſe in Exſpectatione idem talis Phraſis eſt, & tam pro exſpectare, quam pro exſpectari vſurpatur. Plancus in ep. ad Cic. quæ eſt quarta libri decimi: *Sum in exſpectatione omnium rerum, quid in Gallia, quid in vrbe geratur.*

EXHIBERE dubito an hunc in ſenſum referri mereatur, ſiquidem promo illi *tueri* ἰσοδύναμον ſit, idemque ſignificet, quod alere, ſuſtentare, tolerare, quidem apud antiquiores, Ciceronem, Cæſarem, Nepotem, ceterosque eam

vocabuli ſignificationem nondum obſeruare mihi licuit. At in Digeſtis, Juſtino, ac fortaſſe & alibi, ea vocabuli ſignificatio obſeruatur. Vid. index in Juſtinum Freinshemii, & noſtræ in Juſtini 9, 2, 7. Notæ. Sane quod S. Paulus 1. Tim. 6, v. 8. διατροφάς id eſt alimenta, id Cyprianus *exhibitionem* vocat.

Verbi FACERE multi vſus ſunt, qui hodie fere negliguntur: Idque vel eo, quod noſtræ dialecto nimis affines illæ videntur, vel quod veterum ſcriptis legendis non perinde, vt alia, obſeruantur. Ac de iis verbi vſibus, qui ſuſpecti noſtris eſſe ſolent, fuſius in cap. 9. Lib. de Latinitate f. ſuſp. egimus. Nunc vero alterius generis nonnulla videamus. Primo inter elegantias Latini ſermonis numerandum illud, quod τὸ facere ſubinde πλεονάζει, diciturque exempli cauſa: *Fac, bono animo ſis*, pro, ſis bono animo. Cic. 15. ad Fam. *Tu fac animo forte magnoque ſis.* Et 1, 7, ad Fam. *Lentulum noſtrum tum ceteris artibus, tum in primis imitatione tui, fac erudias.* Atque ita quidem in modo imperatiuo, vocula *vt* omiſſa & modo ſubaudita.

At

At in aliis modis *vt* diſerte additur. Cæſar in ep. quæ eſt octav. libri 9. epp. Cic. ad Att. *Mea ſponte facere conſtitueram, vt quam leniſſimum* me *præberem*, pro, mea ſponte conſtitueram quam leniſſime præbere Cic. 2, 18. ad Fam. *Exiſtima, eſſe faciendum, vt ad te ſtatores meos mitterem.* Et 3. 8. ad Fam. *faciendum mihi putaui, vt tuis literis breuiter reſponderem.*

Deinde idem verbum conjungitur cum nominibns operationem ſignificantibus, vt tota Phraſis nihil amplius ſit, quam verbum, vnde nomen eſt deriuatum, *ſic judicium facere* nihil amplius eſt quam *judicare*. Cic. 1, 7. ad Fam. *Totius facti tui judicium non tam ex conſilio tuo, quam ex euentu, homines eſſe facturos.* Vbi judicium facere facti alicujus ex aduentu, eſt, pro judicare de facto alicujus ex aduentu. Ac multa hujus generis ad latinitatem falſo ſuſpectam ante hac retulimus: vt *eruptionem facere* pro erumpere, & *irruptionem facere*, pro irrumpere, *precationes facere* pro precari, *excurſionem*, *incurſionem facere*, pro excurrere, incurrere. Videſis cap. 9. lib. de Lat. f. ſuſp. Et illuc quidem talia ideo

retulimus, quod ob conuenientiam cum noſtra lingua pleraque eorum noſtris ſunt ſuſpecta. Dicimus enim nos ſimiliter, *einen ausfall thun*, *einen anfall thun*, *ſein gebeth thun*. Sed multo frequentior iſte verbi Latini vſus in talibus, quam noſtri, videtur. Dicunt enim illi & *populationem facere* pro populari & *deſcenſionem facere in continentem* pro deſcendere in cont. & *conjurationem*, *conſpirationem facere* pro conjurare, conſpirare, & *introitum facere* pro introire; & infinita id genus alia.

FALLERE pro deſtituere, elegans eſt, ſed non ſatis vſu tritum. Cicero 1, 6. ad Fam. *A me omnia ſumma in te ſtudia exſpecta: non fallam opinionem tuam.* Juſtinus lib. 2. extr. *Nec in bello judicium deligentium fefellit.* Dicunt quoque, *id me fallit*, pro non reſpondet opinioni & ſpei meæ. Cic. 3, 1. ad Fam. *id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo.* Præcedit: *idem ſcribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras.* Deinde & hoc notetur, quod *fallere aliquem* dicunt, pro ab aliquo ignorari, non cognoſci. Liu. lib. 5. *Tanto ſilentio in ſummum euaſere*,

vt

vt non cuſtodes ſolum fallerent, ſed ne canes quidem excitarent. Anſeres non fefellere. Et lib. 22, 32. *ſpeculator Carthaginenſis, qui per biennium fefellerat Romæ deprehenſus, præciſisque manibus dimiſſus.*

FATIGARE quod ſignificet actionis crebritatem, hic itidem obſeruandum. Ita dicunt *fatigare aliquem precibus, oſculis, legationibus, per epiſtolas.* Juſt. lib. 1. *Cujus precibus fatigatus paſtor.* Saluſtius B. jug. *Hiempſal dextera ad berbalem aſſedit. Deinde tamen, vt ætati concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus eſt.* Sed hic *precibus* aut aliud hujusmodi eſt ſubaudiendum. Rurſus Juſtinus l. 6. *Diu rege per epiſtolas fruſtra fatigato* Et 9. 3. *legationibus Græciam fatigant.* Et l. 26. *Quos cupide & ultra modum veræ affectionis amplexus oſculis diu fatigat.*

FERRE varia adſciſcit adverbia, cumque his junctum varias animi affectiones deſignat. Nec tantum dicunt *forti & magno animo, æquo animo, iniquo animo, aliquid ferre,* ſed & *fortiter ferre, grauiter moleſteque ferre, acerbius ferre, remiſſius & placatius ferre, moderate, immoderate*

ferre, ſapienter ferre, læte ferre, clementer ferre, toleranter ferre; Sulpicius in Ep. quæ eſt quinta libri 4. epiſtolarum Ciceronis: *Sane quam pro eo ac debui grauiter molesteque tuli*, quod ſcil. de obitu filiæ tuæ renunciatum eſt mihi. Cicero 6, 13. ad Fam. *Mirifica eſt improbitas in quibusdam, qui tuliſſent acerbius veniam tibi dari.* Et 6, 14. *Hoc ipſum intelligimus, eum quotidie remiſſius & placatius referre.* Et 6, 15. *Et, ſi turbidiſſima ſapienter ferebas, tranquilliora læte feras.* Et. 4, 6. *Cum frangerem jam ipſe me cogeremque illa ferre toleranter.* Deinde *ferre* idem eſt, quod accipere, cum dicunt, *fructum ferre, palman ferre.* Juſtinus 4. 2. *Cujus moderationis haud mediocrem fructum tulit.* Nepos 25, 5. 1. *Quo facto tulit pietatis fructum.* Cicero pro Planc. *Fructus ex rep. magna acerbitate permixtos tuli:* Et quia dicunt *calamitatem accipere*, dicunt item *calamitatem ferre.* Cicero pro leg. Manil. *Quantas calamitates noſtri excercitus ferant, quis ignorat?* Ouidius 3. Am. el. 6.

Triſtia cum magno damna pudore tuli.

Rurſus de rebus gratis agens idem Ouidius ſcribit: *Opta-*

Optabam certe recipi; ſum nempe receptus.
Oſcula ferre; tuli: proximus eſſe fui.

Vbi *oſculum ferre* idem, quod Petronio *oſculum capere.* Item l. 1. de Art. am.
Quod petis, ex facili, ſi volet illa, feres.

Huc etiam pertinet, quod dicunt, *reſponſum ferre, repulſam ferre.* Eſt enim hoc perinde, ac ſi dicerent, *reſponſum accipere, repulſam accipere.* Porro notetur, quod *ferre* dicunt pro *præſcribere.* Cicero pro S. Roſc. *Hanc conditionem miſero ferunt.* Et 7, 21. ad Att. *Ad eum legatos miſimus, non vt pareret, ſed vt conditiones ferret, leges imponeret;* Alias dicunt etiam, *leges alicui ſtatuere, conſtituere.* Illud quoque hic obſeruetur, quod dicunt, *ferri cogitatione, ferri cupiditate, ferri odio, in aliquid vel ad aliquid.* Nepos 7, 9, 4. *Ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione.* Et 25, 10, 4. *Etſi tanto odio ferebatur in Ciceronem.* Valerius Max. 7, 3, c. 4. *Cum ad excidium ejus (vrbis) ſummo ſtudio ferretur.* Virgilius 2, Æn, *Furiata mente ferebat.*

FLORERE quoque crebrius vſurpandum

pandum videtur, quam vulgo fieri ſolet. Veteres ſane creberrime eo vſi. Nepos habet, *florere fama iuſtitiæ, florere modeſtia, florere majorum gloria, florere in re militari.* Cicero item, *florere virtutibus, omni genere virtutis, beneficiis, diſcipulorum nobilitate, acumine ingenii, lepore dicendi, exiſtimatione innocentiæ, gratia, incredibili hominum gratulatione.* Inſpiciantur modo indices in hos auctores. Et apparet, *florere* in talibus idem eſſe, quod eminere, clarum eſſe, excellere.

Verbi HABERE quoque multi vſus ſunt, qui vulgo fere negliguntur. Nos vnum atque alterum ſic exponemus. Primo idem eſt, quod *afferre, conciliare.* Virgilius 2, Æn. *Nec habet victoria laudem*, i. e. non affert, non conciliat. Nepos 8, 4, 1. Corona a *populo data nullam habuit inuidiam.* Cicero pro Mur. *Conſulatus hoc tempore nullam inuidiam habere poteſt.* Pari modo Pythaporas in aur. carm. πεφύλαξο γε, ταῦτα ποιεῖν, ὁπόσα φθόνον ἴχει. Et 2, de leg. ſuos Deos, aut nouos, aut alienigenos coli confuſionem habet religionis VI. 13. ad Fam. *Literæ ſecundis rebus delectationem*

modo

modo habere videbantur: Nunc vero etiam ſalutem. Et 5. 12. *Habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem.* Item. *Viri ſæpe excellentis ancipites variique caſus, habent admirationem, expectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem.* Et 7, 1. ad Fam. *Quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attuliſſent.* Ex quibus apparet, *habere* idem hic eſſe, quod *afferre, conciliare*, vt dixi. Quod enim apte *delectationem habere* dixit, id nunc dicit *delectationem afferre*, deinde notetur, quod dicunt, *res habet cautionem* pro res caueri poteſt. *Res habet facultatem*, pro res poteſt fieri; & id genus alia. Cicero II. 21. ad Fam. *Ego quæ prouideri poterunt, non fallar in iis, quæ cautionem non habebunt, de iis non ita valde laboro.* Et 1, 1. *Si res facultatem habitura videatur, vt Alexandriam tenere poſſis.* Et 1, 9. *vt nullam mutationem habitura res eſſe videatur.* Plancus 10, 18. inter epp. Cic. I. *Conſilium quod habere poſſet obtrectationem.* Item *quæ res nullam habebat dubitationem.* Rurſus ipſe Cicero 3, de Orat. *Linquamus igitur hæc, quæ cogitationem habent facilem.* Celſus 5, 26. *Incipiam*

am a vulneribus, in his autem ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Sed & cum nomine verbali *habere* idem eſt, quod ipſum verbum, vnde nomen ortum eſt. Cicero 1. de Diu. *Faba habet inflationem magnam.* i. e. Valde inflat. Scribonius L. *Celeres effectus habet* dicit, pro celeriter efficit, celeriter agit, vt c. 3. *Scio multa collyria, tametſi tarde, magnos tamen, effectus habere.* Et c. 23. *Cum interim hæc mirifica temperatura compoſita mirificos effectus habeat.* Vide & Rhodium in Lexico. Huc etiam referri poteſt, quod Paulo ante attulimus, *Res habet delectationem*, pro res delectat.

Verbi IACERE vſus notetur ille, quo idem eſt, quod dicere, ſermone proferre. Salluſt. B. Iug. *Inter alias res jacit.* Cic. Orat. *jacere & mittere ridicula.* Horatius lib. 1. Sat. 4. *vnde petitum hoc in me jacis?* Tacitus, Ann. *Quædam de habitu cultuque & inſtitutis ejus jecerat.* Liu. l. 6. *Theſauros Gallici auri occultari a patribus jecit.* Vide plura id genus in Lexico Fabri.

Fre-

Frequentatiuum IACTARE quoque eadem notione vſurpatur, niſi quod crebritatem fere ſimul ſignificat. Cæſ. 1. de B. Gall. *Sed quod pluribus præſentibus eas res jactari nolebat, celeriter conſilium dimittit.* Cujus generis plura itidem in prædicto Lexico vide.

INCIDERE idem quoque eſt, *quod accidere, contingere, vſu venire.* Liuius 1. 58. *Rem atrocem incidiſſe.* Nep. 25, 20, 5. *incidit æmulatio inter Cæſarem & Antonium.* item 25, 7, 1. incidit ciuile bellum. Cic. 1. de Orat. *Nihil incidit poſtea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto anteuiderint.* Et 5, 17, ad Fam. *Cogita, tales caſus incidiſſe multis viris fortiſſimis.* Giſanius in Obſ. in L. L. ait, hoc verbum Ciceroni vſitatiſſimum, hodie vero minus notum eſſe, quod non tam de ipſo verbo, quam de ea, quam nunc notamus, ſignificatione verum videtur. Nam quod dicatur incidere in morbum, in manus hoſtium, id vulgo notum eſt.

LÆDERE non modo perſonam dicimur, ſed & virtutes, pietatem, fidem, pudorem, ſi ſecundum eas non agamus. Cic. pro S. Roſc. *Vultu ſæpe læditur pietas.* Item: *Qui fidem lædit, oppugnat*

gnat omnium commune præſidium, i. e. qui ſidem, violat, ex fide non agit. Nep. dicit, *fidem amittere* 18. 10. 2. idem dicit quoque *pietatem lædere.* vt 20. 1, 5, *Nonnulli læſam ab eo pietatem putabant.* Vbi lædi pietatem eſt, non ſic agi, vt fratrem decet, & vt fraterna pietas requirit.

Verbi MERERE vel MERERI vſus notetur ille, quo dicitur, *Quid meres*, pro, quam mercedem accipis pro opera tua? Plautus Pſeud. 4, 7. *Quid meres? quantillo argento te conduxit Pſeudolus?* Cic. 2. de Fin. *Quid merearis igitur, vt te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſa facturum?* Paulo ante dixerat, *Quid mereri velis?* Noſtri dicerent, *Was wolteſtu nehmen*, vel *was ſolte man dir geben?* id. de Nat. D. *Quid mereas, vt Epicureus eſſe deſinas?* Plaut. Bacchid. 5. vet.

Quem quidem ego vt non excruciem
Alterum tantum auri non meream.

Menæch 1, 3, 34. *Neque hodie vt te perdam, meream Deum mihi divitias.* Et Stich. 1, 1, 22.

Neque ille ſibi mereat Perſarum
Montes, qui eſſe aurei perhibentur,
Vt iſthuc faciat, quod tu metuis

Nepos id dixerit, orbis terrarum

diui-

diuitias accipere nolo. Ejus enim verba 15,4,2. ſunt: *Orbis terrarum* diuitias accipere nolo pro patriæ caritate, id eſt, vt patriæ caritatem exuam & quaſi vendam. Noſtri dicerent, *ich wolte nicht aller Welt Gut nehmen, und die Liebe meines Vaterlandes fahren laſſen.* Alterius formulæ exemplum rurſus Cicero habet, 1. Philipp. *Putasne eum immortalitatem mereri voluiſſe, vt propter armorum habendorum licentiam metueretur.* Pertinet huc item illud Terentii Phorm. 2. 1. *Egone illam cum illo vt patiar nuptam vnum diem? nil ſuaue meritum eſt;* id eſt, vt Donatus explicat: Nihil mihi mercedis ſuaue eſt, vt ego il-lam cum illo nuptam feram. Nam *meritum* hic pro mercede. vide Grono-uii, Cap. 7, Obſer. in ſcript. Eccl. vbi c monetur, Plautum pro hoc dicere uoque *non poſſe conduci.* Vt Aſin. 5. 2. *gon' vt non Domi vxori meæ ſurripiam in eliciis pallam, quam habet, atque ad te deram? Non ædepol conduci poſſum vita Vris annua.* item Caſin. 2. 8. *Tribus non nduci poſſim libertatibus, quin ego illis die comparem magnum.* Notetur m, quod non de perſonis tantum, ſed

&

& de inanimis dicunt, *quid meret? quanti* conducitur? Plautus prædicto loco. *Chlamidem hanc commemorem, quanti conducta eſt? quid meret Machæra? quid mercedis Petaſus hodie Domino demeret?* Ex quo loco apparet, quod merces quoque non tantum dicatur id, quod præſtita opera datur, verum etiam, quod vſu alicujus rei penditur: qua de re & ſupra egimus.

MVNIRE non tantum eſt mœnibus, aggere, vallo & ſimilibus circumdare, ſed & ſtruere, parare; cum videlicet dicunt, *munire viam, munire clivum.* Suetonius Aug. 30. *Deſumpta ſibi flaminia via munienda reliquas triumphalibus viris ſternendas diſtribuit.* Vbi, quod ſemel *munire*, deinde *ſternere*, dicit. Cicero pro Mur. *Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſtruebant.* Item: *Illud dico, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam.* Et 2. de Orat. *Qui primum tibi muniſti ad te audiendum viam.* Sed hic per Metaphoram phraſis accipienda eſt. Ex quo tamen facile intelligitur, quid eadem proprie ſignificet. *Viarum munitio* dicitur proprie

prie in his Ciceronis pro Font. *Objectum eſt etiam, quæſtum M. Fonteium ex viarum munitione feciſſe, vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum eſſet, ne improbaret.* Figurate rurſus Quintilianus 3, 1, ſcribit. *Plurimi auctores, quamuis eodem tenderent, vias tamen diuerſas munierunt.* Phraſis *cliuum munire* eſt in his Feſti: *Publicius diuus appellatur, quem duo fratres L. M. Publici pecuarii, damnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, vt in Auentinum vehiculis Velia veniri poſſit.* Sic enim ſine dubio legendum; cum vulgo legatur *vehiculi* & *venire.* Ergo *munire cliuum* eſt, in cliuo viam parare, qua vehiculis veniri poſſit. Cicero & frequentatiuo *munito* vtitur. Vt pro S. Roſc. *Nunc, quam viam munit, et, quod iter affectet, videtis.* Nomen verbale *munitor* reperitur apud Liuium, cujus verba lib. 27. ſunt. *Caſtra inde ponentem pugnando vndique in munitores operibus probibet.* Sed non intelligendum hic de eo, qui viam parat, ſed, qui caſtra vallo ac foſſa munit atque ita vim hoſtilem defendit. Nec dubium tamen, quin is, qui viam parat, *munitor viæ* dici poſſit. Hugonem

M

nem Grotium ad verba Zachariæ, quæ ſunt in cap. 1. Lucæ προπορεύσῃ πρὸ προσώπου κυρίου, ſcribere video ſic, *Munitoris officium deſcribitur.* Vbi *munitorem* vocat, qui viam munit et parat. Sed, neſcio ego, an *munitor viæ* dicendus potius talis ſit, & vox *viæ* diſerte adjicienda, ſi talem quendam deſignare velis. Alioquin ambiguum erit, qua notione altera vox ſit accipienda. Ita Cicero in Orat. pro Font. *viarum munitionem* dicit; non omiſſa voce altera *munitionem.*

NEGARE. De hoc verbo Buchlerus ita: *Verbum negare eleganter ponitur, pro eo, quod vulgo vſitatius eſt, dicere, quod non; & exemplum* ſubjecit ex Cicerone. *Negat Epicurus jucunde poſſe vivi, niſi cum virtute viuatur*, item, *Nuper M. Craſſus negabat, vllam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet.* Sic autem paſſim & alii. Nepos 9. 4, 1. id *Arbitrium Conon negauit, ſui eſſe conſilii.* Juſtinus 1, 3. *Negat, ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe, quam virum.*

Verbum compoſitum NOLLE vſurpant pro non fauere. Cic. 1, 1, ad Fam.

Cui

Cui qui nolunt iidem tibi, quod eum ornaſti, non ſunt amici. Nec mirum illud. Quia enim nolle compoſitum eſt ex velle; & velle idem eſt, quod fauere, conſentaneum erat, vt nolle quoque idem eſſet, quod non fauere.

Verbi OFFENDERE ſignificationem Schorus notandam præcipit illam, qua idem eſt, quod impingere: vt, cum dicitur, in tenebris offendere, latus, pedem offendere, idem eſt, quod impingere: Sed ea ſignificatio vulgo ſatis nota videtur. Neque minus ea, qua idem eſt, quod reperire, vt quod Cicero lib. 5. ep. 14. ad Fam. ſcribit. *Niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas quam remp. offendiſſem.* Præcipue vero obſeruanda eſt ea, de qua ad epiſtolam Lucceji, quæ eſt decima quarta lib. 5. epp. Cic. Paulus Manutius monuit, quamque in vulgus minus notam idem judicauit. Luccejus ita: *Ex quibus* (rebus contrariis) *aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes; aut in altera non offendas.* Vult ille Ciceronem in aliqua re non offendere. Quod Manutius dictum vult pro in aliqua re non offendi,

M 2 vt

vt actiuum poſitum ſit pro paſſiuo. Noſtri dicerent, *ihm etwas nicht mißfallen laſſen, etwas nicht übel aufnehmen.* Latine dici quoque poſſit, rem non improbare. Sed congerendis aliis autorum locis vis verbi magis intelligetur. Cæſar. 2. B. C. *At, credo, ſi Cæſarem probatis, in me offenditis.* Vbi apparet, *offendere in aliquo*, idem eſſe, quod, non *probare aliquem* Cicero pro Mil. *Quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis?* Item l. 1, ep. 1. ad Q. Fr. *Si quis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationi tuæ commiſeris.* Et l. 1. act. 2, in Verr. *Hoſpes Janitor veritus, nequid in ipſo ſe offenderit, hominem ſumma vi retinere cœpit.* Hæc hujus ſignificationis exempla diligentiſſimus ille Manutius obſeruauit. Quibus nihil aliud addere nunc habeo, quam illud Gellii l. 9, c. 15. *Offendens in eo, quod ille apud Juliani aures in præcipi ſtare audebat.* Nimirum hic quoque *offendere in aliquo* idem eſt, quod, aliquid non probare. Sed nec illud negligendum hic fuerit,

fuerit, quod *offendere* idem quoque eſt, quod peccare, delinquere, & quod noſtri dicunt, *etwas verſeben.* Cic. 2. 18. ad Fam. *Si dignum ſe majoribus ſuis præbuerit, tua laus ex aliqua parte fuerit; ſin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi, offenderit,* & 1, 7, ad Fam. *Sin aliquid eſſet* offenſum. Nep. 19, 2, 2. *Neque in eo ſolum offenderat, quod patriæ male conſuluerat.* Dicunt quoque *offendere apud aliquem*, quemadmodum nos, *bey einem anſtoſſen.* Cic. 10, 4. ad Att. *Quod intelligeret ſe apud ipſam plebem offendiſſe de ærario.*

ONERARI non his tantum dicimur, quæ grauia & moleſta, ſed & quæ grata & jucunda ſunt, ſi horum multitudo quædam ſit. Salluſtius B. Jug. *Quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat.* Tacitus Hiſt. 1. *Poſtquam vario ſermone callidos audacesque cognouit, pretio & promisſis onerat.* Tale quoque eſt, quod Virgilius lib. 9. Æn. dicit *onerare æthera votis.* Juſtinus 5, 4. *Omnibus, non humanis tantum, verum & divinis, eum honoribus onerant.* Liu, 31. 32. *Præmiorum ingentium ſpe oneratus* Phædrus lib. 5. f. 86. *multis onerare laudibus*, ſic & Liuius lib. 4. Terentius Phorm. 5, 6, 2. *Quan-*

tis commoditatibus meo hero Antiphoni hunc oneraſtis diem. Sic & Plautus dicit *onerare lætitia, hilaritudine, voluptatibus.* Vide Cap. 4, 2, 47. Mil. 3, 1, 82. Stich. 4. 1, 27. Aul. 5, 1, 1. Vt adeo appareat, *onerare* idem quoque eſſe, quod *implere.*

ORNARE idem quoque eſt, quod adornare, inſtruere, parare. Hinc dicunt, *ornare claſſem, omni genere armorum ornatus, Elephantus ornatus,* & id genus alia. Subinde verba *parare* & *ornare;* itemque *ædificare* & *ornare,* nec non *inſtruere & ornare* conjungunt. Cic. pro Cæc. *Armatos appellamus, qui ſcutis armisque parati ornatique ſunt.* Et pro leg. Man. *Poſtquam maximas ædificaſſet ornaſſetque claſſes.* Item: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas & inſtructas eſſe deletas.* Et 2, 10, ad Fam. *Ad Amanum* (montem) *exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxiliis.* Rurſus 7, in Verr. *Si mihi reſpondere voles, hæc dicito, claſſem inſtructam atque ornatam fuiſſe.* Cæſar. 3. de B. Gall. *Naves eorum paratiſſimæ atque omni genere armorum ornatiſſimæ.* Vide

&

& Not. Ciacconii ad Columnam roſtratam, in qua itidem de C. Diulio legitur, quod *claſſes* primus *ornauerit parauerítque*. *Elephantus ornatus* pro inſtructo ad pugnam eſt apud Nepotem 23, 3, 4. *& ornatus armatusque ad Prælium Bucephalus* apud Gell. 5, 2. Noct. Att. *Nec aliter ornati equi* apud Valer. Max. 4, 3, 4, vide & indicem Nepotis & Buchnerum ad Theſ. Fab. Atque ea verbi ſimplicis ſignificatio apparet etiam in compoſito *adornare*, quod dicunt adornare bellum, fugam, *pro* parare, inſtruere.

OSTENDERE non tantum idem eſt, quod alicujus oculis aliquid objicere & videndum præbere, ſed & idem, quod dicere, ſcribere. Quæ quidem vis & ſignificatio vocis in optimorum Auctorum ſcriptis eſt frequentisſima. Nep. 9, 3, 2. *Conon Tithrauſtem acceſſit, ſeque, oſtendit, cum rege colloqui velle*, idem 17, 1, 4. vt oſtendimus ſupra. Et 23, 12, 5. *Puer cum celeriter, quid eſſet, renunciaſſet, omnesque exitus occupatos oſtendiſſet.* Cic. 1, 1. ad Att. *Demonſtraui hoc Cæcilio: Simul & illud oſtendi, ſi ipſe vnus cum illo*

M 4 *vno*

vno contenderet, me ei ſatisfacturum. Et 1, 1, ad Fam. *Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* Et 1, 9. *In eo ipſo quod te oſtendis eſſe facturum* Et 2, 18. *Placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni oſtendi.* Et 4, 1. *Eadem omnia, quæ a te de pace & de Hiſpaniis dicta ſunt, oſtendi, me eſſe dicturum.* Frequentatiuum *oſtentare* quoque ea notione vſurpatum video a Cicerone vt 9. 6. ad Fam. *Hoc ego idcirco noſſe te volui, vt ſcires, hoſpitium tibi vbi parares, & ſimul oſtentaui tibi me iſtis eſſe familiarem. Demonſtrare* quoque ſubinde ea notione, præcipue a Cæſare, vſurpatur. Cicero quoque dicebat, *Demonſtraui hoc Cæcilio.*

PARERE non perſonis modo, ſed & rebus, dicimur, ſed quotus quiſque eſt, qui id obſeruet, aut imitetur? Cic. pro l. Man. *Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati, paruiſſe.* Vbi parere conſuetudini, vtilitati, idem eſt, quod conſuetudinis, vtilitatis rationem habere, propter conſuetudinem aut vtilitatem aliquid facere Nep. 7. 4. 6. *Plus iræ ſuæ, quam vtilitati communi, paruiſſe.* Notetur & illud, quod non modo juſ-

ſis

ſis ac mandatis, ſed & conſiliis, parere dicunt. Cicero 2, 1, ad Fam. *Niſi meis puer olim fideliſſimis atque amantisſimis conſiliis paruiſſes.* Sed nec illud negligendum, quod *parere* idem eſt, quod in ditione & poteſtate alicujus eſſe. Vnde & *parentes* vocantur, qui vulgo ſubditi dici ſolent. Saluſtius B. Catil. *libertatem patriam, parentesque armis tegere.* Et B. Jug. *Parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuique hominum, ſatis fuit.* Vellejus Pat. 2, 108. *Ex voluntate parentium conſtans principatus.*

PERCIPERE pro accipere Latini ſæpe dicunt: ſed hodie rarius illud eſt. Valerius Max. 87, ext. *Admirationis ejus fructum quinquennio percipit.* Juſtinus 13, 7, 6, *Percepta jam parte ex promisſis*, i. e. accepta. Et 17, 2, 9. *Quod honeſtius a paterno hoſte perceperit.* Et 43, 5, 12, *Ciuitatem a Cn. Pompejo percepiſſe.*

Verbo POENITET non tantum vtuntur, cum aliquem ſuo ipſius facto dolere ſignificare volunt; verum etiam ſi ſignificandum ſit, aliquem ſua ſorte non contentum eſſe, aut rem quamcunque, quæ ad ipſum pertineat, nimis leuem & exigu-

res eorum defenderunt. Præcipitans tribunatus eſt, qui fere ad finem decurrit. Sic & *præcipitata ætas* dixit Mutius in ep. ad Cic. quæ eſt 28. libri 11. inter epp. Ciceronis, pro ſenectute, id eſt, ætate, quæ ad finem decurrit. Potuiſſet & *præcipitans ætas* ſubaudito *ſe* dicere. Verum vtitur nunc forma paſſiua. Sic & alias ſubinde forma paſſiua pro actiua cum pronomine reciproco vtuntur, dicuntque *vix teneor*, pro vix teneo me, *Exerceor*, pro exerceo me. *Paror ad aliquid* pro paro me ad aliquid. Nepos Epam. *Exercebatur plurimum pugnando, luctandoque*. Plautus Caſ. 2, 3. *Vix teneor quin, quæ decent te, dicam*. Juſtinus 6, 7. *Teneri non potuit, quin acie decerneret*, pro tenere ſe non potuit. Valerius M. 1, 4, 2. *Cum ad res nouas pararetur*, pro pararet ſe. Sed illuc redeamus. Virgilius 2. Aen. *Et jam nox humida cœlo præcipitat*, i. e. ingruit. Ergo alia hic vis vocabuli, quam in alteris illis. Hic enim initium, illic finem, rei ſignificat. Ceterum quod pronomen reciprocum *ſe* ad verbum iſtud ſit ſubaudiendum, id magis apparet ex eo, quod fluuius ex mon-

monte, imo ipſe homo *præcipitare* dicitur. Cicero 2. de leg. *Fibrenus ex eo loco præcipitat in Lirem.* Et de ſomn. Scip. vbi *Nilus præcipitat ex altiſſimis montibus.* Sane fluuius non ab alio præcipitatur, ſed præcipitat ipſe ſe ui naturali, qua omnia grauia deorſum feruntur, ex montibus. Cicero 4. Acad. *Suſtinenda potius omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temere proceſſerit.* Et pro Cluent. *Præcipitantem impellamus, & perditum proſternamus.* Lucretius. l. 4.

Cum vero deorſum per fauces præcipitauit,
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus.

PRÆDICERE quotuſquiſque eſt qui hodie dicat, pro grauiter monere? At veteres ita non raro locuti. Nepos 2, 7, 3, *Eis* (collegis ſuis, qui, vna cum Lacedæmoniorum legatis Athenas ibant) *prædixit, vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quam ipſe eſſet remiſſus.* Liuius 21, 10, *Prædixiſſe ſe, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent.* Item 23, 19, *Prædictum erat imperatoris, ne quid abſente eo rei gereret.* Valerius Max.

& de inanimis dicunt, *quid meret? quanti* conducitur? Plautus prædicto loco. *Chlamidem hanc commemorem, quanti conducta eſt? quid meret Machæra? quid mercedis Petaſus hodie Domino demeret?* Ex quo loco apparet, quod merces quoque non tantum dicatur id, quod præſtita opera datur, verum etiam, quod vſu alicujus rei penditur: qua de re & ſupra egimus.

MVNIRE non tantum eſt mœnibus, aggere, vallo & ſimilibus circumdare, ſed & ſtruere, parare; cum videlicet dicunt, *munire viam, munire clivum.* Suetonius Aug. 30. *Deſumpta ſibi flaminia via munienda reliquas triumphalibus viris ſternendas diſtribuit.* Vbi, quod ſemel *munire*, deinde *ſternere*, dicit. Cicero pro Mur. *Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſtruebant.* Item: *Illud dico, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam.* Et 2. de Orat. *Qui primum tibi muniſti ad te audiendum viam.* Sed hic per Metaphoram phraſis accipienda eſt. Ex quo tamen facile intelligitur, quid eadem proprie ſignificet. *Viarum munitio* dicitur proprie

prie in his Ciceronis pro Font. *Obje-ctum eſt etiam, quæſtum M. Fontejum ex viarum munitione feciſſe, vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum eſſet, ne improbaret.* Figurate rurſus Quintilianus 3, 1, ſcribit. *Plurimi auctores, quamuis eodem tenderent, vias tamen diuerſas munierunt.* Phraſis *cliuum munire* eſt in his Feſti: *Publicius diuus appellatur, quem duo fratres L. M. Publici pecuarii, damnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, vt in Auentinum vehiculis Velia veniri poſſit.* Sic enim ſine dubio legendum; cum vulgo legatur *vehiculi* & *venire*. Ergo *munire cliuum* eſt, in cliuo viam parare, qua vehiculis veniri poſſit. Cicero & frequentatiuo *munito* vtitur. Vt pro S. Roſc. *Nunc, quam viam munit, et, quod iter affectet, videtis.* Nomen verbale *munitor* reperitur apud Liuium, cujus verba lib. 27. ſunt. *Caſtra inde ponentem pugnando vndique in munitores operibus prohibet.* Sed non intelligendum hic de eo, qui viam parat, ſed, qui caſtra vallo ac foſſa munit atque ita vim hoſtilem defendit. Nec dubium tamen, quin is, qui viam parat, *munitor viæ* dici poſſit. Hugo-

M nem

nem Grotium ad verba Zachariæ, quæ ſunt in cap. 1. Lucæ *προπορεύσῃ πρὸ προσώπου κυρίου*, ſcribere video ſic, *Munitoris officium deſcribitur.* Vbi *munitorem* vocat, qui viam munit et parat. Sed, neſcio ego, an *munitor viæ* dicendus potius talis ſit, & vox *viæ* diſerte adjicienda, ſi talem quendam deſignare velis. Alioquin ambiguum erit, qua notione altera vox ſit accipienda. Ita Cicero in Orat. pro Font. *viarum munitionem* dicit; non omiſſa voce altera *munitionem.*

NEGARE. De hoc verbo Buchlerus ita: *Verbum negare eleganter ponitur, pro eo, quod vulgo vſitatius eſt, dicere, quod non; & exemplum* ſubjecit ex Cicerone. *Negat Epicurus jucunde poſſe vivi, niſi cum virtute viuatur,* item, *Nuper M. Craſſus negabat, vllam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet.* Sic autem paſſim & alii. Nepos 9. 4, 1. id *Arbitrium Conon negauit, ſui eſſe conſilii.* Juſtinus 1, 3. *Negat, ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe, quam virum.*

Verbum compoſitum NOLLE vſurpant pro non fauere. Cic. 1, 1, ad Fam.

Cui

Cui qui nolunt iidem tibi, quod eum ornaſti, non ſunt amici. Nec mirum illud. Quia enim nolle compoſitum eſt ex velle; & velle idem eſt, quod fauere, conſentaneum erat, vt nolle quoque idem eſſet, quod non fauere.

Verbi OFFENDERE ſignificationem Schorus notandam præcipit illam, qua idem eſt, quod impingere: vt, cum dicitur, in tenebris offendere, latus, pedem offendere, idem eſt, quod impingere: Sed ea ſignificatio vulgo ſatis nota videtur. Neque minus ea, qua idem eſt, quod reperire, vt quod Cicero lib. 5. ep. 14. ad Fam. ſcribit. *Niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas quam remp. offendiſſem.* Præcipue vero obſeruanda eſt ea, de qua ad epiſtolam Lucceji, quæ eſt decima quarta lib. 5. epp. Cic. Paulus Manutius monuit, quamque in vulgus minus notam idem judicauit. Lucceius ita: *Ex quibus* (rebus contrariis) *aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes; aut in altera non offendas.* Vult ille Ciceronem in aliqua re non offendere. Quod Manutius dictum vult pro in aliqua re non offendi,

vt actiuum poſitum ſit pro paſſiuo. Noſtri dicerent, *ihm etwas nicht mißfallen laſſen, etwas nicht übel aufnehmen.* Latine dici quoque poſſit, rem non improbare. Sed congerendis aliis autorum locis vis verbi magis intelligetur. Cæſar. 2. B. C. *At, credo, ſi Cæſarem probatis, in me offenditis.* Vbi apparet, *offendere in aliquo*, idem eſſe, quod, non *probare aliquem* Cicero pro Mil. *Quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis?* Item l. 1, ep. 1. ad Q. Fr. *Si quis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil credideris, nullam partem exiſtimationi tuæ commiſeris.* Et l. 1. act. 2, in Verr. *Hoſpes Janitor veritus, nequid in ipſo ſe offenderit, hominem ſumma vi retinere cœpit.* Hæc hujus ſignificationis exempla diligentiſſimus ille Manutius obſeruauit. Quibus nihil aliud addere nunc habeo, quam illud Gellii l. 9, c. 15. *Offendens in eo, quod ille apud Juliani aures in præcipi ſtare audebat.* Nimirum hic quoque *offendere in aliquo* idem eſt, quod, aliquid non probare. Sed nec illud negligendum hic fuerit,

tuerit, quod *offendere* idem quoque eſt, quod peccare, delinquere, & quod noſtri dicunt, *etwas verſehen.* Cic. 2. 18. ad Fam. *Si dignum ſe majoribus ſuis praebuerit, tua laus ex aliqua parte fuerit; ſin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi, offenderit*, & 1, 7, ad Fam. *Sin aliquid eſſet* offenſum. Nep. 19, 2, 2. *Neque in eo ſolum offenderat, quod patriae male conſuluerat.* Dicunt quoque *offendere apud aliquem*, quemadmodum nos, *bey einem anſtoſſen.* Cic. 10, 4. ad Att. *Quod intelligeret ſe apud ipſam plebem offendiſſe de aerario.*

ONERARI non his tantum dicimur, quae grauia & moleſta, ſed & quae grata & jucunda ſunt, ſi horum multitudo quaedam ſit. Salluſtius B. Jug. *Quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat.* Tacitus Hiſt. 1. *Poſtquam vario ſermone callidos audacesque cognouit, pretio & promisſis onerat.* Tale quoque eſt, quod Virgilius lib. 9. Æn. dicit *onerare aethera votis.* Juſtinus 5, 4. *Omnibus, non humanis tantum, verum & divinis, eum honoribus onerant.* Liu, 31. 32. *Praemiorum ingentium ſpe oneratus* Phaedrus lib. 5. f. 86. *multis onerare laudibus*, ſic & Liuius lib. 4. Terentius Phorm. 5, 6, 2. *Quantis*

tis commoditatibus meo hero Antiphoni hunc oneraſtis diem. Sic & Plautus dicit *onerare lætitia, hilaritudine, voluptatibus.* Vide Cap. 4, 2, 47. Mil. 3, 1, 82. Stich. 4. 1, 27. Aul. 5, 1, 1. Vt adeo appareat, *onerare* idem quoque eſſe, quod *implere.*

ORNARE idem quoque eſt, quod adornare, inſtruere, parare. Hinc dicunt, *ornare claſſem*, *omni genere armorum ornatus*, *Elephantus ornatus*, & id genus alia. Subinde verba *parare* & *ornare*; itemque *ædificare* & *ornare*, nec non *inſtruere & ornare* conjungunt. Cic. pro Cæc. *Armatos appellamus, qui ſcutis armisque parati ornatique ſunt.* Et pro leg. Man. *Poſtquam maximas ædificaſſet ornaſſetque claſſes.* Item: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas & inſtructas eſſe deletas.* Et 2, 10, ad Fam. *Ad Amanum* (montem) *exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxiliis.* Rurſus 7, in Verr. *Si mihi reſpondere voles, hæc dicito, claſſem inſtructam atque ornatam fuiſſe.* Cæſar. 3. de B. Gall. *Naves eorum paratiſſimæ atque omni genere armorum ornatiſſimæ.* Vide &

& Not. Ciacconii ad Columnam roſtratam, in qua itidem de C. Diulio legitur, quod *claſſes* primus *ornauerit parauerit que*. *Elephantus ornatus* pro inſtructo ad pugnam eſt apud Nepotem 23, 3, 4. *& ornatus armatusque ad Prœlium Bucephalus* apud Gell. 5, 2, Noct. Att. *Nec aliter ornati equi* apud Valer. Max. 4, 3, 4, vide & indicem Nepotis & Buchnerum ad Theſ. Fab. Atque ea verbi ſimplicis ſignificatio apparet etiam in compoſito *adornare*, quod dicunt adornare bellum, fugam, *pro* parare, inſtruere.

OSTENDERE non tantum idem eſt, quod alicujus oculis aliquid objicere & videndum præbere, ſed & idem, quod dicere, ſcribere. Quæ quidem vis & ſignificatio vocis in optimorum Auctorum ſcriptis eſt frequentisſima. Nep. 9, 3, 2. *Conon Tithrauſtem acceſſit, ſeque, oſtendit, cum rege colloqui velle*, idem 17, 1, 4. vt oſtendimus ſupra. Et 23, 12, 5. *Puer cum celeriter, quid eſſet, renunciaſſet, omnesque exitus occupatos oſtendiſſet.* Cic. 1, 1. ad Att. *Demonſtraui hoc Cæcilio: Simul & illud oſtendi, ſi ipſe vnus cum illo*

 vno

vno contenderet, me ei ſatisfacturum. Et 1, 1, ad Fam. *Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* Et 1, 9. *In eo ipſo quod te oſtendis eſſe facturum* Et 2, 18. *Placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni oſtendi.* Et 4, 1. *Eadem omnia, quæ a te de pace & de Hiſpaniis dicta ſunt, oſtendi, me eſſe dicturum.* Frequentatiuum *oſtentare* quoque ea notione vſurpatum video a Cicerone vt 9. 6. ad Fam. *Hoc ego idcirco noſſe te volui, vt ſcires, hoſpitium tibi vbi parares, & ſimul oſtentaui tibi me iſtis eſſe familiarem. Demonſtrare* quoque ſubinde ea notione, præcipue a Cæſare, vſurpatur. Cicero quoque dicebat, *Demonſtraui hoc Cæcilio.*

PARERE non perſonis modo, ſed & rebus, dicimur, ſed quotus quiſque eſt, qui id obſeruet, aut imitetur? Cic. pro l. Man. *Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati, paruiſſe.* Vbi parere conſuetudini, vtilitati, idem eſt, quod conſuetudinis, vtilitatis rationem habere, propter conſuetudinem aut vtilitatem aliquid facere Nep. 7. 4. 6. *Plus iræ ſuæ, quam vtilitati communi, paruiſſe.* Notetur & illud, quod non modo juſ-

ſis

ſis ac mandatis, ſed & conſiliis, parere dicunt. Cicero 2, 1, ad Fam. *Niſi meis puer olim fideliſſimis atque amantisſimis conſiliis paruiſſes.* Sed nec illud negligendum, quod *parere* idem eſt, quod in ditione & poteſtate alicujus eſſe. Vnde & *parentes* vocantur, qui vulgo ſubditi dici ſolent. Saluſtius B. Catil. *libertatem patriam, parentesque armis tegere.* Et B. Jug. *Parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuique hominum, ſatis fuit.* Vellejus Pat. 2, 108. *Ex voluntate parentium conſtans principatus.*

PERCIPERE pro accipere Latini ſæpe dicunt: ſed hodie rarius illud eſt. Valerius Max. 87, ext. *Admirationis ejus fructum quinquennio percipit.* Juſtinus 13, 7, 6, *Percepta jam parte ex promisſis,* i. e. accepta. Et 17, 2, 9. *Quod honeſtius a paterno hoſte perceperit.* Et 43, 5, 12, *Ciuitatem a Cn. Pompejo percepiſſe.*

Verbo POENITET non tantum vtuntur, cum aliquem ſuo ipſius facto dolere ſignificare volunt; verum etiam ſi ſignificandum ſit, aliquem ſua ſorte non contentum eſſe, aut rem quamcunque, quæ ad ipſum pertineat, nimis leuem & exigu-

 am

am ei videri. Cic. l. 6. ep. 1. *Ea perturbatio eſt omnium rerum, vt ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat.* Liuius 26, 18. *Ætatis maxime pœnitebat*, puta, quod Scipionem viginti quatuor annos natum imperatorem conſtituiſſent. Iuſtinus 28, 3, *Commemorat deinde beneficia ſua. Quorum ſi illos pœniteat, deponere imperium & reddere illis munus ſuum.* Terentius Heaut 1, 1. 20. *At enim dices, me, quantum hic operis fiat, pœnitet*, i. e. opus nimis leue & exiguum mihi videtur, Cicero rurſus 1. Off. *Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit.* Item 12, 27, ad Att. *Quod me ipſe per litteras conſolatus ſum, non pœnitet me, quantum profecerim.* Vbi itidem *quantum* ſequitur, vt in Terentianis. Sic & alibi in iisdem epp. ad Att. *A ſenatu quanti fiam, minime pœnitet me*, i. e. ſatis habeo, facile contentus ſum. Plautus Pœn. 1, 3. 71, *Cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet exornatæ vt ſimus.* Plura id genus Plauti nota videas in Lexico Plautino Paræi.

PRÆCIPERE non ſemper idem eſt, quod jubere, mandare, ſed ſubinde quoque

que idem,quod docere,hortari. Sulpicius in ep. ad Cic. quæ eſt quinta libri 4. ad Fam. *Noli te oblivisci Ciceronem eſſe, & eum, qui aliis conſueveris præcipere & dare conſilium.* Item: *Quæ alius præcipere ſoles, ea tute tibi ſubjice atque apud animum propone.* Nep. 2, 6, 5. *Reliqui legati, vt tum exirent, cum ſatis altitudo muri exſtructa videretur, præcepit.* Et 15, 1, 1, *Præcipere lectoribus nihil aliud eſt, quam admonere eos.* Vide plura hujus generis in indice. Atque inde eſt, quod, qui aliquem docet, præceptor, ipſæque doctrinæ præcepta vocantur. Nepos 25, 17, 3. *Principum Philoſophorum ita percepta habuit præcepta.* Cicero 5, 13, ad Fam. *Quanquam tuis monitis præceptiſque omnis eſt abjiciendus dolor,* vbi præcepta idem, quod monita, conſilia.

Verbi PRÆCIPITARE vſus notetur ille, quo *præcipitare* dicitur pro *præcipitare ſe. Cæſar.* 1, de B. G. *Multi jam Menſes præterierant, & hyems jam præcipitauerat.* i. e. ad finem fere decurrerat. Eadem vis verbi in illo Ciceronis de Aruſp. reſp. *Reliqua jam præcipitantis tribunatus etiam poſt tribunatum obtrectatores*

res

am a vulneribus, in his autem ante omnia ſcire medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Sed & cum nomine verbali *habere* idem eſt, quod ipſum verbum, vnde nomen ortum eſt. Cicero 1. de Diu. *Faba habet inflationem magnam.* i. e. Valde inflat. Scribonius L. *Celeres effectus habet* dicit, pro celeriter efficit, celeriter agit, vt c. 3. *Scio multa collyria, tametſi tarde, magnos tamen, effectus habere.* Et c. 23. *Cum interim hæc mirifica temperatura compoſita mirificos effectus habeat.* Vide & Rhodium in Lexico. Huc etiam referri poteſt, quod Paulo ante attulimus, *Res habet delectationem*, pro res delectat.

Verbi IACERE vſus notetur ille, quo idem eſt, quod dicere, ſermone proferre. Salluſt. B. Iug. *Inter alias res jacit.* Cic. Orat. *jacere & mittere ridicula.* Horatius lib. 1. Sat. 4. *vnde petitum hoc in me jacis?* Tacitus, Ann. *Quædam de habitu cultuque & inſtitutis ejus jecerat.* Liu. l. 6. *Theſauros Gallici auri occultari a patribus jecit.* Vide plura id genus in Lexico Fabri.

Fre-

Frequentatiuum IACTARE quoque eadem notione vſurpatur, niſi quod crebritatem fere ſimul ſignificat. Cæſ. 1. de B. Gall. *Sed quod pluribus præſentibus eas res jactari nolebat, celeriter conſilium dimittit.* Cujus generis plura itidem in prædicto Lexico vide.

INCIDERE idem quoque eſt, *quod accidere, contingere, vſu venire.* Liuius 1. 58. *Rem atrocem incidiſſe.* Nep. 25, 20, 5. *incidit æmulatio inter Cæſarem & Antonium.* item 25, 7, 1. incidit ciuile bellum. Cic. 1. de Orat. *Nihil incidit poſtea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto anteuiderint.* Et 5, 17, ad Fam. *Cogita, tales caſus incidiſſe multis viris fortiſſimis.* Gifanius in Obſ. in L. L. ait, hoc verbum Ciceroni vſitatiſſimum, hodie vero minus notum eſſe, quod non tam de ipſo verbo, quam de ea, quam nunc notamus, ſignificatione verum videtur. Nam quod dicatur incidere in morbum, in manus hoſtium, id vulgo notum eſt.

LÆDERE non modo perſonam dicimur, ſed & virtutes, pietatem, fidem, pudorem, ſi ſecundum eas non agamus. Cic. pro S. Roſc. *Vultu ſæpe læditur pietas.* Item: *Qui fidem lædit, oppugnat*

gnat omnium commune præſidium, i. e. qui fidem, violat, ex fide non agit. Nep. dicit, *fidem amittere* 18. 10. 2. idem dicit quoque *pietatem lædere*. vt 20. 1, 5, *Nonnulli læſam ab eo pietatem putabant*. Vbi lædi pietatem eſt, non ſic agi, vt fratrem decet, & vt fraterna pietas requirit.

Verbi MERERE vel MERERI vſus notetur ille, quo dicitur, *Quid meres*, pro, quam mercedem accipis pro opera tua? Plautus Pſeud. 4, 7. *Quid meres? quantillo argento te conduxit Pſeudolus?* Cic. 2. de Fin. *Quid merearis igitur, vt te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſa facturum?* Paulo ante dixerat, *Quid mereri velis?* Noſtri dicerent, *Was wolteſtu nehmen*, vel *was ſolte man dir geben?* id. de Nat. D. *Quid mereas, vt Epicureus eſſe deſinas?* Plaut. Bacchid. 5. vet.

Quem quidem ego vt non excruciem
Alterum tantum auri non meream.

Menæch 1, 3, 34. *Neque hodie vt te perdam, meream Deum mihi divitias*. Et Stich. 1, 1, 22.

Neque ille ſibi mereat Perſarum
Montes, qui eſſe aurei perhibentur,
Vt iſthuc faciat, quod tu metuis

Nepos id dixerit, orbis terrarum diui-

diuitias accipere nolo. Ejus enim verba, 15, 4, 2. ſunt: *Orbis terrarum* diuitias accipere nolo pro patriæ caritate, id eſt, vt patriæ caritatem exuam & quaſi vendam. Noſtri dicerent, *ich wolte nicht aller Welt Gut nehmen, und die Liebe meines Vaterlandes fahren laſſen.* Alterius formulæ exemplum rurſus Cicero habet, 1. Philipp. *Putasne eum immortalitatem mereri voluiſſe, vt propter armorum habendorum licentiam metueretur.* Pertinet huc item illud Terentii Phorm. 2. 1. *Egone illam cum illo vt patiar nuptam vnum diem? nil ſuaue meritum eſt*; id eſt, vt Donatus explicat: Nihil mihi mercedis ſuaue eſt, vt ego illam cum illo nuptam feram. Nam *meritum* hic pro mercede. vide Gronouii, Cap. 7, Obſer. in ſcript. Eccl. vbi & monetur, Plautum pro hoc dicere quoque *non poſſe conduci.* Vt Aſin. 5. 2. *Egon' vt non Domi vxori meæ ſurripiam in deliciis pallam, quam habet, atque ad te deferam? Non ædepol conduci poſſum vita Vxoris annua.* item Caſin. 2. 8. *Tribus non conduci poſſim libertatibus, quin ego illis hodie comparem magnum.* Notetur item, quod non de perſonis tantum, ſed

&

& de inanimis dicunt, *quid meret? quanti* conducitur? Plautus prædicto loco. *Chlamidem hanc commemorem, quanti conducta eſt? quid meret Machæra? quid mercedis Petaſus hodie Domino demeret?* Ex quo loco apparet, quod merces quoque non tantum dicatur id, quod præſtita opera datur, verum etiam, quod vſu alicujus rei penditur: qua de re & ſupra egimus.

MVNIRE non tantum eſt mœnibus, aggere, vallo & ſimilibus circumdare, ſed & ſtruere, parare; cum videlicet dicunt, *munire viam, munire clivum.* Suetonius Aug. 30. *Deſumpta ſibi flaminia via munienda reliquas triumphalibus viris ſternendas diſtribuit.* Vbi, quod ſemel *munire*, deinde *ſternere*, dicit. Cicero pro Mur. *Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſtruebant.* Item: *Illud dico, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam.* Et 2. de Orat. *Qui primum tibi muniſti ad te audiendum viam.* Sed hic per Metaphoram phraſis accipienda eſt. Ex quo tamen facile intelligitur, quid eadem proprie ſignificet. *Viarum munitio* dicitur proprie

prie in his Ciceronis pro Font. *Objectum eſt etiam, quæſtum M. Fonteium ex viarum munitione feciſſe, vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum eſſet, ne improbaret.* Figurate rurſus Quintilianus 3, 1, ſcribit. *Plurimi auctores, quamuis eodem tenderent, vias tamen diuerſas munierunt.* Phraſis *cliuum munire* eſt in his Feſti: *Publicius-diuus appellatur, quem duo fratres L. M. Publici pecuarii, damnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, vt in Auentinum vehiculis Velia veniri poſſit.* Sic enim ſine dubio legendum; cum vulgo legatur *vehiculi* & *venire*. Ergo *munire cliuum* eſt, in cliuo viam parare, qua vehiculis veniri poſſit. Cicero & frequentatiuo *munito* vtitur. Vt pro S. Roſc. *Nunc, quam viam munit, et, quod iter affectet, videtis.* Nomen verbale *munitor* reperitur apud Liuium, cujus verba lib. 27. ſunt. *Caſtra inde ponentem pugnando vndique in munitores operibus probibet.* Sed non intelligendum hic de eo, qui viam parat, ſed, qui caſtra vallo ac foſſa munit atque ita vim hoſtilem defendit. Nec dubium tamen, quin is, qui viam parat, *munitor viæ* dici poſſit. Hugo-

M nem

nem Grotium ad verba Zachariæ, quæ ſunt in cap. 1. Lucæ *προπορεύσῃ πρὸ προσώπου κυρίου*, ſcribere video ſic, *Munitoris officium deſcribitur.* Vbi *munitorem* vocat, qui viam munit et parat. Sed, neſcio ego, an *munitor viæ* dicendus potius talis ſit, & vox *viæ* diſerte adjicienda, ſi talem quendam deſignare velis. Alioquin ambiguum erit, qua notione altera vox ſit accipienda. Ita Cicero in Orat. pro Font. *Viarum munitionem* dicit; non omiſſa voce altera *munitionem.*

NEGARE. De hoc verbo Buchlerus ita: *Verbum negare eleganter ponitur, pro eo, quod vulgo vſitatius eſt, dicere, quod non; & exemplum* ſubjecit ex Cicerone. *Negat Epicurus jucunde poſſe vivi, niſi cum virtute viuatur*, item, *Nuper M. Craſſus negabat, vllam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet.* Sic autem paſſim & alii. Nepos 9. 4, 1. id *Arbitrium Conon negauit, ſui eſſe conſilii.* Juſtinus 1, 3. *Negat, ſe ei parere poſſe, qui ſe feminam malit eſſe, quam virum.*

Verbum compoſitum NOLLE vſurpant pro non fauere. Cic. 1, 1, ad Fam. *Cui*

Cui qui nolunt iidem tibi, quod eum ornaſti, non ſunt amici. Nec mirum illud. Quia enim nolle compoſitum eſt ex velle; & velle idem eſt, quod fauere, conſentaneum erat, vt nolle quoque idem eſſet, quod non fauere.

Verbi OFFENDERE ſignificationem Schorus notandam præcipit illam, qua idem eſt, quod impingere: vt, cum dicitur, in tenebris offendere, latus, pedem offendere, idem eſt, quod impingere: Sed ea ſignificatio vulgo ſatis nota videtur. Neque minus ea, qua idem eſt, quod reperire, vt quod Cicero lib. 5. ep. 14. ad Fam. ſcribit. *Niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas quam remp. offendiſſem.* Præcipue vero obſeruanda eſt ea, de qua ad epiſtolam Lucceji, quæ eſt decima quarta lib. 5. epp. Cic. Paulus Manutius monuit, quamque in vulgus minus notam idem judicauit. Luccejus ita: *Ex quibus* (rebus contrariis) *aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes; aut in altera non offendas.* Vult ille Ciceronem in aliqua re non offendere. Quod Manutius dictum vult pro in aliqua re non offendi,

 vt

vt actiuum poſitum ſit pro paſſiuo. Noſtri dicerent, *ihm etwas nicht miſſfallen laſſen, etwas nicht übel aufnehmen.* Latine dici quoque poſſit, rem non improbare. Sed congerendis aliis autorum locis vis verbi magis intelligetur. Cæſar. 2. B. C. *At, credo, ſi Cæſarem probatis, im me offenditis.* Vbi apparet, *offendere in aliquo*, idem eſſe, quod, non *probare aliquem* Cicero pro Mil. *Quæ ſi vos cepit obliuio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis?* Item l. 1, ep. 1. ad Q. Fr. *Si quis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris, huic nihil crediderìs, nullam partem exiſtimationi tuæ commiſeris.* Et l. 1. act. 2, in Verr. *Hoſpes Janitor veritus, nequid in ipſo ſe offenderit, hominem ſumma vi retinere cœpit.* Hæc hujus ſignificationis exempla diligentisſimus ille Manutius obſeruauit. Quibus nihil aliud addere nunc habeo, quam illud Gellii l. 9, c. 15. *Offendens in eo, quod ille apud Juliani aures in præcipi ſtare audebat.* Nimirum hic quoque *offendere in aliquo* idem eſt, quod, aliquid non probare. Sed nec illud negligendum hic fuerit,

fuerit, quod *offendere* idem quoque eſt, quod peccare, delinquere, & quod noſtri dicunt, *etwas verſehen.* Cic. 2. 18. ad Fam. *Si dignum ſe majoribus ſuis præbuerit, tua laus ex aliqua parte fuerit; ſin quid offenderit, ſibi totum, nihil tibi, offenderit*, & 1, 7, ad Fam. *Sin aliquid eſſet* offenſum. Nep. 19, 2, 2. *Neque in eo ſolum offenderat, quod patriæ male conſuluerat.* Dicunt quoque *offendere apud aliquem*, quemadmodum nos, *bey einem anſtoſſen.* Cic. 10, 4. ad Att. *Quod intelligeret ſe apud ipſam plebem offendiſſe de ærario.*

ONERARI non his tantum dicimur, quæ grauia & moleſta, ſed & quæ grata & jucunda ſunt, ſi horum multitudo quædam ſit. Salluſtius B. Jug. *Quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat.* Tacitus Hiſt. 1. *Poſtquam vario ſermone callidos audacesque cognouit, pretio & promisſis onerat.* Tale quoque eſt, quod Virgilius lib. 9. Æn. dicit *onerare æthera votis.* Juſtinus 5, 4. *Omnibus, non humanis tantum, verum & diuinis, eum honoribus onerant.* Liu, 31. 32. *Præmiorum ingentium ſpe oneratus* Phædrus lib. 5. f. 86. *multis onerare laudibus*, ſic & Liuius lib. 4. Terentius Phorm. 5, 6, 2. *Quan-*

tis commoditatibus meo hero Antiphoni hunc oneraſtis diem. Sic & Plautus dicit *onerare lætitia, bilaritudine, voluptatibus.* Vide Cap. 4, 2, 47. Mil. 3, 1, 82. Stich. 4. 1, 27. Aul. 5, 1, 1. Vt adeo appareat, *onerare* idem quoque eſſe, quod *implere.*

ORNARE idem quoque eſt, quod adornare, inſtruere, parare. Hinc dicunt, *ornare claſſem, omni genere armorum ornatus, Elephantus ornatus,* & id genus alia. Subinde verba *parare* & *ornare;* itemque *ædificare* & *ornare,* nec non *inſtruere & ornare* conjungunt. Cic. pro Cæc. *Armatos appellamus, qui ſcutis armisque parati ornatique ſunt.* Et pro leg. Man. *Poſtquam maximas ædificaſſet ornaſſetque claſſes.* Item: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas & inſtructas eſſe deletas.* Et 2, 10, ad Fam. *Ad Amanum* (montem) *exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxiliis.* Rurſus 7, in Verr. *Si mihi reſpondere voles, hæc dicito, claſſem inſtructam atque ornatam fuiſſe.* Cæſar. 3. de B. Gall. *Naves eorum paratiſſimæ atque omni genere armorum ornatiſſimæ.* Vide

&

& Not. Ciacconii ad Columnam roſtratam, in qua itidem de C. Diulio legitur, quod *claſſes* primus *ornauerit parauerit que. Elephantus ornatus* pro inſtructo ad pugnam eſt apud Nepotem 23, 3, 4. *& ornatus armatusque ad Prœlium Bucephalus* apud Gell. 5, 2, Noct. Att. *Nec aliter ornati equi* apud Valer. Max. 4, 3, 4, vide & indicem Nepotis & Buchnerum ad Theſ. Fab. Atque ea verbi ſimplicis ſignificatio apparet etiam in compoſito *adornare*, quod dicunt adornare bellum, fugam, *pro* parare, inſtruere.

OSTENDERE non tantum idem eſt, quod alicujus oculis aliquid objicere & videndum præbere, ſed & idem, quod dicere, ſcribere. Quæ quidem vis & ſignificatio vocis in optimorum Auctorum ſcriptis eſt frequentisſima. Nep. 9, 3, 2. *Conon Tithrauſtem acceſſit, ſeque, oſtendit, cum rege colloqui velle*, idem 17, 1, 4. vt oſtendimus ſupra. Et 23, 12, 5. *Puer cum celeriter, quid eſſet, renunciaſſet, omnesque exitus occupatos oſtendiſſet.* Cic. 1, 1. ad Att. *Demonſtraui hoc Cæcilio: Simul & illud oſtendi, ſi ipſe vnus cum illo*

vno contenderet, me ei ſatisfacturum. Et 1, 1, ad Fam. *Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* Et 1, 9. *In eo ipſo quod te oſtendis eſſe facturum* Et 2, 18. *Placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni oſtendi.* Et 4, 1. *Eadem omnia, quæ a te de pace & de Hiſpaniis dicta ſunt, oſtendi, me eſſe dicturum.* Frequentatiuum *oſtentare* quoque ea notione vſurpatum video a Cicerone vt 9. 6. ad Fam. *Hoc ego idcirco noſſe te volui, vt ſcires, hoſpitium tibi vbi parares, & ſimul oſtentaui tibi me iſtis eſſe familiarem. Demonſtrare* quoque ſubinde ea notione, præcipue a Cæſare, vſurpatur. Cicero quoque dicebat, *Demonſtraui hoc Cæcilio.*

PARERE non perſonis modo, ſed & rebus, dicimur, ſed quotus quiſque eſt, qui id obſeruet, aut imitetur? Cic. pro l. Man. *Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati, paruiſſe.* Vbi parere conſuetudini, vtilitati, idem eſt, quod conſuetudinis, vtilitatis rationem habere, propter conſuetudinem aut vtilitatem aliquid facere Nep. 7. 4. 6. *Plus iræ ſuæ, quam vtilitati communi, paruiſſe.* Notetur & illud, quod non modo juſ-

ſis

ſis ac mandatis, ſed & conſiliis, parere dicunt. Cicero 2, 1, ad Fam. *Niſi meis puer olim fideliſſimis atque amantisſimis conſiliis paruiſſes.* Sed nec illud negligendum, quod *parere* idem eſt, quod in ditione & poteſtate alicujus eſſe. Vnde & *parentes* vocantur, qui vulgo ſubditi dici ſolent. Saluſtius B. Catil. *libertatem patriam, parentesque armis tegere.* Et B. Jug. *Parentes abunde habemus; amicorum neque nobis, neque cuique hominum, ſatis fuit.* Vellejus Pat. 2, 108. *Ex voluntate parentium conſtans principatus.*

PERCIPERE pro accipere Latini ſæpe dicunt: ſed hodie rarius illud eſt. Valerius Max. 87, ext. *Admirationis ejus fructum quinquennio percipit.* Juſtinus 13, 7, 6, *Percepta jam parte ex promisſis*, i. e. accepta. Et 17, 2, 9. *Quod honeſtius a paterno hoſte perceperit.* Et 43, 5, 12, *Ciuitatem a Cn. Pompejo percepiſſe.*

Verbo POENITET non tantum vtuntur, cum aliquem ſuo ipſius facto dolere ſignificare volunt; verum etiam ſi ſignificandum ſit, aliquem ſua ſorte non contentum eſſe, aut rem quamcunque, quæ ad ipſum pertineat, nimis leuem & exigu-

am ei videri. Cic. l. 6. ep. 1. *Ea perturbatio eſt omnium rerum, vt ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat.* Liuius 26, 18. *Ætatis maxime pœnitebat*, puta, quod Scipionem viginti quatuor annos natum imperatorem conſtituiſſent. Iuſtinus 28, 3, *Commemorat deinde beneficia ſua. Quorum ſi illos pœniteat, deponere imperium & reddere illis munus ſuum.* Terentius Heaut 1, 1. 20. *At enim dices, me, quantum hic operis fiat, pœnitet*, i. e. opus nimis leue & exiguum mihi videtur, Cicero rurſus 1. Off. *Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit.* Item 12, 27, ad Att. *Quod me ipſe per litteras conſolatus ſum, non pœnitet me, quantum profecerim.* Vbi itidem *quantum* ſequitur, vt in Terentianis. Sic & alibi in iisdem epp. ad Att. *A ſenatu quanti ſiam, minime pœnitet me*, i. e. ſatis habeo, facile contentus ſum. Plautus Pœn. 1, 3. 71, *Cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet exornatæ vt ſimus.* Plura id genus Plauti nota videas in Lexico Plautino Paræi.

PRÆCIPERE non ſemper idem eſt, quod jubere, mandare, ſed ſubinde quoque

que idem,quod docere,hortari. Sulpicius in ep. ad Cic. quæ eſt quinta libri 4. ad Fam. *Noli te oblivi*ſ*ci Ciceronem e*ſſ*e, & eum, qui aliis con*ſ*ueveris præcipere & dare con*ſ*ilium.* Item: *Quæ alius præcipere* ſ*oles, ea tute tibi* ſ*ubjice atque apud animum propone.* Nep. 2, 6, 5. *Reliqui legati, vt tum exirent, cùm* ſ*atis altitudo muri ex*ſ*tructa videretur, præcepit.* Et 15, 1, 1, *Præcipere lectoribus nihil aliud e*ſ*t, quam admonere eos.* Vide plura hujus generis in indice. Atque inde eſt, quod, qui aliquem docet, præceptor, ipſæque doctrinæ præcepta vocantur. Nepos 25, 17, 3. *Principum Philo*ſ*ophorum ita percepta habuit præcepta.* Cicero 5, 13, ad Fam. *Quanquam tuis monitis præcepti*ſ*que omnis e*ſ*t abjiciendus dolor,* vbi præcepta idem, quod monita, conſilia.

Verbi PRÆCIPITARE vſus notetur ille, quo *præcipitare* dicitur pro *præcipitare* ſ*e. Cæ*ſ*ar.* 1, de B. G. *Multi jam Men*ſ*es præterierant, & hyems jam præcipitaverat.* i. e. ad finem fere decurrerat. Eadem vis verbi in illo Ciceronis de Aruſp. reſp. *Reliqua jam præcipitantis tribunatus etiam po*ſ*t tribunatum obtrectatores*

res

res eorum defenderunt. Præcipitans tribunatus eſt, qui fere ad finem decurrit. Sic & *præcipitata ætas* dixit Mutius in ep. ad Cic. quæ eſt 28. libri 11. inter epp. Ciceronis, pro ſenectute, id eſt, ætate, quæ ad finem decurrit. Potuiſſet & *præcipitans ætas* ſubaudito *ſe* dicere. Verum vtitur nunc forma paſſiua. Sic & alias ſubinde forma paſſiua pro actiua cum pronomine reciproco vtuntur, dicuntque *vix teneor*, pro vix teneo me, *Exerceor*, pro exerceo me. *Paror ad aliquid* pro paro me ad aliquid. Nepos Epam. *Exercebatur plurimum pugnando, luctandoque*. Plautus Caſ. 2, 3. *Vix teneor quin, quæ decent te, dicam.* Juſtinus 6, 7. *Teneri non potuit, quin acie decerneret*, pro tenere ſe non potuit. Valerius M. 1, 4, 2. *Cum ad res nouas pararetur*, pro pararet ſe. Sed illuc redeamus. Virgilius 2. Aen. *Et jam nox humida cœlo præcipitat*, i. e. ingruit. Ergo alia hic vis vocabuli, quam in alteris illis. Hic enim initium, illic finem, rei ſignificat. Ceterum quod pronomen reciprocum *ſe* ad verbum iſtud ſit ſubaudiendum, id magis apparet ex eo, quod fluuius ex

mon-

monte, imo ipſe homo *præcipitare* dicitur. Cicero 2. de leg. *Fibrenus ex eo loco præcipitat in Lirem.* Et de ſomn. Scip. vbi *Nilus præcipitat ex altiſſimis montibus.* Sane fluuius non ab alio præcipitatur, ſed præcipitat ipſe ſe ui naturali, qua omnia grauia deorſum feruntur, ex montibus. Cicero 4. Acad. *Suſtinenda potius omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temere proceſſerit.* Et pro Cluent. *Præcipitantem impellamus, & perditum proſternamus.* Lucretius. l. 4.

Cum vero deorſum per fauces præcipitauit,
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus.

PRÆDICERE quotuſquiſque eſt qui hodie dicat, pro grauiter monere? At veteres ita non raro locuti. Nepos 2, 7, 3, *Eis* (collegis ſuis, qui, vna cum Lacedæmoniorum legatis Athenas ibant) *prædixit, vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quam ipſe eſſet remiſſus.* Liuius 21, 10, *Prædixiſſe ſe, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent.* Item 23, 19, *Prædictum erat imperatoris, ne quid abſente eo rei gereret.* Valerius Max.

Max. 2, 4, 4, *Eo prædicto* (quod ſcil. pueros Tarentum deportare deberet) *magnopere confuſus*. Vbi *prædictum* pro monitu, præcepto. Vellejus Paterc. 2, 82, 2, *Prædixit, ne deſtinatum iter peterent.* Tacitus Ann. 13, 36, 1, *Ne pugnam priores auderent prædixit.* Martialis 3, 86.

Ne legeres partem laſcivi caſta libelli.
Prædixi & monui: tu tamen ecce legis.

Juſtinus 12, 13, 3, *Quidam ex magis prædixit, ne vrbem introiret.*

PROCEDERE quod & pro præterire, elabi, ponatur, non adeo notum in vulgus videtur: Certe hodie ea notione vſurpari vix obſerues. Saluſtius B. Iug. *Vbi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine, milites Iugurthini caſtra hoſtium inuadunt.* Liuius lib. 3. *jam & proceſſerat pars major anni.* Virgilius lib. 3. Aen.

Jamque dies alterque dies, proceſſit: & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus Auſtro.

Nec dubito ego, veterem quoque inter-

terpretem Latinum in Cap. 13. ep. ad Romanos vertiſſe, *Nox proceſſit, dies autem appropinquauit;* pro quo nunc legitur: *Nox praceſſit*, neque enim interpres latinus neſcire potuit, προκόπτειν, quo vocabulo Apoſtolus ibi vſus eſt, ſignificare *præterire*.

PRODERE non tantum eſt latentem manifeſtare, ſed & deſerere, deſtituere, atque ita facere, vt in aliorum manus quis perueniat. Liuius 7, 31 *Tum jam fides agi viſa, deditos non prodi.* Romanis dediderant ſe Campani. Quos non prodendos, id eſt, non deſerendos, vt ſamnites in eos pro lubitu conſulere poſſent, non putarunt. Iuſtinus 12, 5, 10, *Beſſus regem non ſolum prodiderat, ſed & interfecerat.* Et 19, 3, 11. *Quos inter hoſtium exercitus relictos morte ſua proderet*, i. e. ſi morte voluntaria periret, deſereret & periculo exponeret. Hinc Agathocles 22, 8, 12, *filiorum proditor.* i. e. deſertor, dicitur. Præcedit, *rex exercitus ſui deſertor.* Item quod milites Agathoclis queſti fuerint: *bis ſe a rege ſuo in mediis hoſtibus relictos eſſe, ſalutemque*

que ſuam deſertam ab eo eſſe, quorum ne ſepultura quidem relinquenda fuerit. Vide & notas noſtras ad Juſtin. 19. 3, 11. Ceterum *prodere* ponitur quoque pro tradere in alterius poteſtatem, quod non debebas. Nepos 19,3, 4. *Accuſatus eſt, quod Piraeum Nicanori prodidiſſet.* Item 18, 10, 2. Fidem amittere maluerunt, quam eum non prodere. Sic & *prodere ſupplicem, prodere amicum*, dicit idem Nepos 2, 8, 5. 91, 2, 3.

Verborum PVGNARE & REPVGNARE vſus notetur ille, quo, quæ contraria ſunt, pugnare & repugnare inter ſe dicuntur; idque eo magis, quod vulgo aliis quibusdam minus elegantibus ac parum latinis, pro eo vtuntur, dicuntque, *hoc implicat contradictionem, hoc importat contradictionem*, vt in libello de Latinitate merito ſuſp. jam oſtendimus. Cicero 4. Acad. Q. *Quomodo quid cuique rei conſentaneum eſſet, quid repugnans, videremus?* Et 2, de Fin. *Hæc bene dicuntur: Nec ego repugno: Sed inter ſe ipſa pugnant.* Et 3, Tuſc. *Hæc inter ſe repugnant.* Plura in hanc ſententiam vide prædicti libelli cap. vltimo.

PVLSA-

PVLSARE non tantum *januam* ſeu *oſtium* dicunt, ſed & *hominem:* ubi tum *pulſare* idem eſt, quod verberare. Liuius 2, 29. *Pulſet tum mihi lictorem, qui ſciet jus de tergo vitaque ſua penes vnum illum eſſe, cujus majeſtatem violauit.* Cic. 4. in Verr. *Si quis eum pulſaſſet, edixit ſeſe judicium injuriarum non daturum.* item 5, in Verr. *Videtis pendere alios ex arbore, pulſare alios atque verberari.*

RAPI Cupiditate, ſtudio, amore, affectu, ad aliquid quotusquisque eſt, qui hodie dicat? At veteres Latini ita locuti omnino ſunt. *Laudis amore rapi* dicit Prudentius hymno in Cyprianum. Sed is fortasſis non ſatis antiquus eſt. Valerius igitur Max. 9, 11, vlt. pari modo. *Pio affectu ad id lacerandum rapior.* Et paulo adhuc antiquiores Cicero & Nepos ille in Or. pro L. Manil. *Studio inflammato ad Italiam rapi*: Hic in vita Eum. *Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam*, i. e. ſin in Macedoniam remigrare cuperet. Pari modo dicunt, *ferri ſummo ſtudio ad excidium vrbis, ferri omni cogitatione ad liberandam patriam.* Vide Nep. 7, 9, 4. Val.

N Max.

Max, 7, 3. ex 4. Atque de hoc verbi *ferri* vſu dictum jam ſupra. Ceterum verbi rapere & iſte vſus hic obſeruandus, quo *rapere* idem eſt, quod celeriter capere. Lucanus 4, 346.

Non deerat fortis rapiendo dextera leto.

Vbi rapere letum eſt celeriter ſibi ipſi vitam eripere. Valerius 7, 3, 3. *Rapuit conditionem imbellis ac timida, juuentus* i. e. ſtatim accepit conditionem, vt ſcil. arma & equos militibus Scipionis traderet. Item 7, 3, ex 1. *Occaſionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit.* Horatius Epod. 13. *Rapiamus amici occaſionem de die.* Symmachus 1, 7. *Occaſionem rapere prudentis eſt.* Cato lib. 4. diſt. *Quamprimum rapienda tibi eſt occaſio prima.* Et Seneca Conſol. ad Marc. c. 10. *Rapite ex liberis voluptates*, i. e. feſtinanter & auide, dum licet, capite. Plurà hujus verbi vſus exempla notauit Cl. Buchnerus ad Theſ. Fabri. Sed nec illud negligendum, quod *raptus* & pro mortuo dicitur. Ouidius 5, Triſt. 4.

Quid Priamus doleat, mirabitur, Hectore rapto.

Vale-

Valerius Max. 9, 12, 1. *Accidit vt columen vrbis,* Tullius Hoſtilius puta, *in ipſa vrbe raptum, ne ſupremo quidem funeris honore a ciuibus decorari poſſet.* Item 9, 9, 1. *Aduerſus Cæſarem nefarie raptum impiam pro Roſtris orationem habuiſſet.* Nec tantum de eo, qui ferro, ſed & de eo, qui fato moritur ita loquuntur. Certe Tullius Hoſtilius, quem Valerius Max. in *vrbe raptum* dicebat, non ferro, ſed fulmine, ictus periit. Deinde Gifanius in Obſeru. L. L. ex Plinio affert. *Statim ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt, quanquam Cathone anno ſequente rapto.* Cato autem non ferro, ſed fato, periit, ſuadere quoque videtur illud, quod Horatius 2. Od. 13. ſcribit. *Improuiſa leti vis rapuit, rapietque gentes.* Vbi ipſa vis leti gentes *rapere* dicitur. Cui geminum illud, quod Juſtinus, 2, 2, 13. habet. *Neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio, raperet.* Vbi naturalis fatorum conditio æque ac ferrum, homines *rapere* dicitur.

REFUTARE plerique nihil amplius eſſe putant, quam verba alicujus redarguere atque refellere, id eſt, oſten-

tis commoditatibus meo hero Antiphoni hunc oneraſtis diem. Sic & Plautus dicit *onerare lætitia, bilaritudine, voluptatibus.* Vide Cap. 4, 2, 47. Mil. 3, 1, 82. Stich. 4. 1, 27. Aul. 5, 1, 1. Vt adeo appareat, *onerare* idem quoque eſſe, quod *implere.*

ORNARE idem quoque eſt, quod adornare, inſtruere, parare. Hinc dicunt, *ornare claſſem, omni genere armorum ornatus, Elephantus ornatus,* & id genus alia. Subinde verba *parare* & *ornare;* itemque *ædificare* & *ornare,* nec non *inſtruere & ornare* conjungunt. Cic. pro Cæc. *Armatos appellamus, qui ſcutis armisque parati ornatique ſunt.* Et pro leg. Man. *Poſtquam maximas ædificaſſet ornaſſetque claſſes.* Item: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas & inſtructas eſſe deletas.* Et 2, 10, ad Fam. *Ad Amanum* (montem) *exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxiliis.* Rurſus 7, in Verr. *Si mihi reſpondere voles, hæc dicito, claſſem inſtructam atque ornatam fuiſſe.* Cæſar. 3. de B. Gall. *Naves eorum paratiſſimæ atque omni genere armorum ornatiſſimæ.* Vide &

& Not. Ciacconii ad Columnam roſtratam, in qua itidem de C. Diulio legitur, quod *claſſes* primus *ornauerit paraueritque. Elephantus ornatus* pro inſtructo ad pugnam eſt apud Nepotem 23, 3, 4. *& ornatus armatusque ad Prœlium Bucephalus* apud Gell. 5, 2, Noct. Att. *Nec aliter ornati equi* apud Valer. Max. 4, 3, 4, vide & indicem Nepotis & Buchnerum ad Theſ. Fab. Atque ea verbi ſimplicis ſignificatio apparet etiam in compoſito *adornare*, quod dicunt adornare bellum, fugam, *pro* parare, inſtruere.

OSTENDERE non tantum idem eſt, quod alicujus oculis aliquid objicere & videndum præbere, ſed & idem, quod dicere, ſcribere. Quæ quidem vis & ſignificatio vocis in optimorum Auctorum ſcriptis eſt frequentisſima. Nep. 9, 3, 2. *Conon Tithrauſtem acceſſit, ſeque, oſtendit, cum rege colloqui velle*, idem 17, 1, 4. vt oſtendimus ſupra. Et 23, 12, 5. *Puer cum celeriter, quid eſſet, renunciaſſet, omnesque exitus occupatos oſtendiſſet.* Cic. 1, 1. ad Att. *Demonſtraui hoc Cæcilio: Simul & illud oſtendi, ſi ipſe vnus cum illo*

 vno

vno contenderet, me ei ſatisfacturum. Et 1, 1, ad Fam. *Se acerrimum tui defenſorem fore oſtendit.* Et 1, 9. *In eo ipſo quod te oſtendis eſſe facturum* Et 2, 18. *Placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni oſtendi.* Et 4, 1. *Eadem omnia, quæ a te de pace & de Hiſpaniis dicta ſunt, oſtendi, me eſſe dicturum.* Frequentatiuum *oſtentare* quoque ea notione vſurpatum video a Cicerone vt 9. 6. ad Fam. *Hoc ego idcirco noſſe te volui, vt ſcires, hoſpitium tibi vbi parares, & ſimul oſtentaui tibi me iſtis eſſe familiarem. Demonſtrare* quoque ſubinde ea notione, præcipue a Cæſare, vſurpatur. Cicero quoque dicebat, *Demonſtraui hoc Cæcilio.*

PARERE non perſonis modo, ſed & rebus, dicimur, ſed quotus quiſque eſt, qui id obſeruet, aut imitetur? Cic. pro l. Man. *Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati, paruiſſe.* Vbi parere conſuetudini, vtilitati, idem eſt, quod conſuetudinis, vtilitatis rationem habere, propter conſuetudinem aut vtilitatem aliquid facere Nep. 7. 4. 6. *Plus iræ ſuæ, quam vtilitati communi, paruiſſe.* Notetur & illud, quod non modo juſ-

ſis

s ac mandatis, ſed & conſiliis, parere icunt. Cicero 2, 1, ad Fam. *Niſi meis pu- olim fideliſſimis atque amantisſimis conſi- is paruiſſes.* Sed nec illud negligen- lum, quod *parere* idem eſt, quod in di- ione & poteſtate alicujus eſſe. Vnde x *parentes* vocantur, qui vulgo ſubditi lici ſolent. Saluſtius B. Catil. *liberta- em patriam, parentesque armis tegere.* Et B. Jug. *Parentes abunde habemus; amico- rum neque nobis, neque cuique hominum, ſa- tis fuit.* Vellejus Pat. 2, 108. *Ex voluntate parentium conſtans principatus.*

PERCIPERE pro accipere Latini ſæpe dicunt: ſed hodie rarius illud eſt. Valerius Max. 87, ext. *Admirationis ejus fructum quinquennio percipit.* Juſtinus 13, 7, 6, *Percepta jam parte ex promisſis*, i. e. accepta. Et 17, 2, 9. *Quod honeſtius a paterno hoſte perceperit.* Et 43, 5, 12, *Ciuitatem a Cn. Pompejo percepiſſe.*

Verbo POENITET non tantum vtuntur, cum aliquem ſuo ipſius facto dolere ſignificare volunt; verum etiam ſi ſignificandum ſit, aliquem ſua ſorte non contentum eſſe, aut rem quamcunque, quæ ad ipſum pertineat, nimis leuem & exigu-

am ei videri. Cic. l. 6. ep. 1. *Ea perturbatio eſt omnium rerum, vt ſuæ quemque fortunæ maxime pœniteat.* Liuius 26, 18. *Ætatis maxime pœnitebat*, puta, quod Scipionem viginti quatuor annos natum imperatorem conſtituiſſent. Iuſtinus 28, 3. *Commemorat deinde beneficia ſua. Quorum ſi illos pœniteat, deponere imperium & reddere illis munus ſuum.* Terentius Heaut 1, 1. 20. *At enim dices, me, quantum hic operis fiat, pœnitet*, i. e. opus nimis leue & exiguum mihi videtur, Cicero rurſus 1. Off. *Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit.* Item 12, 27, ad Att. *Quod me ipſe per litteras conſolatus ſum, non pœnitet me, quantum profecerim.* Vbi itidem *quantum* ſequitur, vt in Terentianis. Sic & alibi in iisdem epp. ad Att. *A ſenatu quanti ſiam, minime pœnitet me*, i. e. ſatis habeo, facile contentus ſum. Plautus Pœn. 1, 3. 71, *Cum ornatum aſpicio noſtrum ambarum, pœnitet exornatæ vt ſimus.* Plura id genus Plauti nota videas in Lexico Plautino Paræi.

PRÆCIPERE non ſemper idem eſt, quod jubere, mandare, ſed ſubinde quoque

e idem, quod docere, hortari. Sulpicius ep. ad Cic. quæ eſt quinta libri 4. ad ım. *Noli te oblıviſci Ciceronem eſſe, & m, qui aliis conſueveris præcipere & dare nſilium.* Item: *Quæ alius præcipere ſoles, ı tute tibi ſubjice atque apud animum ·pone.* Nep. 2, 6, 5. *Reliqui legati, vt tum virent, cùm ſatis altitudo muri exſtructa ideretur, præcepit.* Et 15, 1, 1, *Præcipere le-toribus nihil aliud eſt, quam admonere eos.* Vide plura hujus generis in indice. Atque inde eſt, quod, qui aliquem docet, præceptor, ipſæque doctrinæ præcepta vocantur. Nepos 25, 17, 3. *Principum Philoſophorum ita percepta habuit præcepta.* Cicero 5, 13, ad Fam. *Quanquam tuis monitis præceptiſque omnis eſt abjiciendus dolor,* vbi præcepta idem, quod monita, conſilia.

Verbi PRÆCIPITARE vſus notetur ille, quo *præcipitare* dicitur pro *præcipitare ſe. Cæſar.* 1, de B. G. *Multi jam Menſes præterierant, & hyems jam præcipitaverat.* i. e. ad finem fere decurrerat. Eadem vis verbi in illo Ciceronis de Aruſp. reſp. *Reliqua jam præcipitantis tribunatus etiam poſt tribunatum obtrectatores*

res eorum defenderunt. Præcipitans tribunatus eſt, qui fere ad finem decurrit. Sic & *præcipitata ætas* dixit Mutius in ep. ad Cic. quæ eſt 28. libri II. inter epp. Ciceronis, pro ſenectute, id eſt, ætate, quæ ad finem decurrit. Potuiſſet & *præcipitans ætas* ſubaudito *ſe* dicere. Verum vtitur nunc forma paſſiua. Sic & alias ſubinde forma paſſiua pro actiua cum pronomine reciproco vtuntur, dicuntque *vix teneor*, pro vix teneo me, *Exerceor*, pro exerceo me. *Paror ad aliquid* pro paro me ad aliquid. Nepos Epam. *Exercebatur plurimum pugnando, luctandoque*. Plautus Caſ. 2, 3. *Vix teneor quin, quæ decent te, dicam.* Juſtinus 6, 7. *Teneri non potuit, quin acie decerneret*, pro tenere ſe non potuit. Valerius M. 1, 4, 2. *Cum ad res nouas pararetur*, pro pararet ſe. Sed illuc redeamus. Virgilius 2. Aen. *Et jam nox humida cœlo præcipitat*, i. e. ingruit. Ergo alia hic vis vocabuli, quam in alteris illis. Hic enim initium, illic finem, rei ſignificat. Ceterum quod pronomen reciprocum *ſe* ad verbum iſtud ſit ſubaudiendum, id magis apparet ex eo, quod fluuius ex mon-

onte, imo ipſe homo *præcipitare* dici-
r. Cicero 2. de leg. *Fibrenus ex eo loco* *æcipitat in Lirem.* Et de ſomn. Scip. bi *Nilus præcipitat ex altiſſimis montibus.* ane fluuius non ab alio præcipitatur, ed præcipitat ipſe ſe ui naturali, qua mnia grauia deorſum feruntur, ex montibus. Cicero 4. Acad. *Suſtinenda potius mnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temere proeſſerit.* Et pro Cluent. *Præcipitantem mpellamus, & perditum proſternamus.* Lucretius. l. 4.

Cum vero deorſum per fauces præcipitauit,
Nulla voluptas eſt, dum diditur omnis in artus.

PRÆDICERE quotuſquiſque eſt qui hodie dicat, pro grauiter monere? At veteres ita non raro locuti. Nepos 2, 7, 3, *Eis* (collegis ſuis, qui, vna cum Lacedæmoniorum legatis Athenas ibant) *prædixit, vt ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quam ipſe eſſet remiſſus.* Liuius 21, 10, *Prædixiſſe ſe, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent.* Item 23, 19, *Prædictum erat imperatoris, ne quid abſente eo rei gereret.* Valerius Max.

Max. 2, 4, 4, *Eo prædicto* (quod ſcil. pueros Tarentum deportare deberet) *magnopere confuſus.* Vbi *prædictum* pro monitu, præcepto. Vellejus Paterc. 2, 82, 2, *Prædixit, ne deſtinatum iter peterent.* Tacitus Ann. 13, 36, 1, *Ne pugnam priores auderent prædixit.* Martialis 3, 86.

Ne legeres partem laſciui caſta libelli,
Prædixi & monui: tu tamen ecce legis.

Juſtinus 12, 13, 3, *Quidam ex magis prædixit, ne vrbem introiret.*

PROCEDERE quod & pro præterire, elabi, ponatur, non adeo notum in vulgus videtur: Certe hodie ea notione vſurpari vix obſerues. Salluſtius B. Iug. *Vbi plerumque noctis proceſsit, obſcuro etiam tum lumine, milites Iugurthini caſtra hoſtium inuadunt.* Liuius lib. 3. *jam & proceſſerat pars major anni.* Virgilius lib. 3. Aen.

Jamque dies alterque dies, proceſsit: & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbaſus Auſtro.

Nec dubito ego, veterem quoque inter-

terpretem Latinum in Cap. 13. ep. ad Romanos vertiſſe, *Nox proceſſit, dies autem appropinquauit;* pro quo nunc legitur: *Nox præceſſit*, neque enim interpres latinus neſcire potuit, προκόπτειν, quo vocabulo Apoſtolus ibi vſus eſt, ſignificare *præterire*.

PRODERE non tantum eſt latentem manifeſtare, ſed & deſerere, deſtituere, atque ita facere, vt in aliorum manus quis perueniat. Liuius 7, 31. *Tum jam fides agi viſa, deditos non prodi.* Romanis dediderant ſe Campani. Quos non prodendos, id eſt, non deſerendos, vt ſamnites in eos pro lubitu conſulere poſſent, non putarunt. Iuſtinus 12, 5, 10, *Beſſus regem non ſolum prodiderat, ſed & interfecerat.* Et 19, 3, 11. *Quos inter hoſtium exercitus relictos morte ſua proderet*, i. e. ſi morte voluntaria periret, deſereret & periculo exponeret. Hinc Agathocles 22, 8, 12, *filiorum proditor.* i. e. deſertor, dicitur. Præcedit, *rex exercitus ſui deſertor.* Item quod milites Agathoclis queſti fuerint: *bis ſe a rege ſuo in mediis hoſtibus relictos eſſe, ſalutemque*

que ſuam deſertam ab eo eſſe, quorum ne ſepultura quidem relinquenda fuerit. Vide & notas noſtras ad Juſtin. 19. 3. 11. Ceterum *prodere* ponitur quoque pro tradere in alterius poteſtatem, quod non debebas. Nepos 19,3, 4. *Accuſatus eſt, quod Piraeum Nicanori prodidiſſet.* Item 18, 10, 2. Fidem amittere maluerunt, quam eum non prodere. Sic & *prodere ſupplicem, prodere amicum*, dicit idem Nepos 2, 8, 5. 9, 2, 3.

Verborum PVGNARE & REPVGNARE vſus notetur ille, quo, quæ contraria ſunt, pugnare & repugnare inter ſe dicuntur; idque eo magis, quod vulgo aliis quibusdam minus elegantibus ac parum latinis, pro eo vtuntur, dicuntque, *hoc implicat contradictionem, hoc importat contradictionem*, vt in libello de Latinitate merito ſuſp. jam oſtendimus. Cicero 4. Acad. Q. *Quomodo quid cuique rei conſentaneum eſſet, quid repugnans, videremus?* Et 2, de Fin. *Hæc bene dicuntur: Nec ego repugno: Sed inter ſe ipſa pugnant.* Et 3, Tuſc. *Hæc inter ſe repugnant.* Plura in hanc ſententiam vide prædicti libelli cap. vltimo.

PVLSA-

PVLSARE non tantum *januam* ſeu *oſtium* dicunt, ſed & *hominem:* ubi tum *pulſare* idem eſt, quod verberare. Liuius 2, 29. *Pulſet tum mihi lictorem, qui ſciet jus de tergo vitaque ſua penes vnum illum eſſe, cujus majeſtatem violauit.* Cic. 4. in Verr. *Si quis eum pulſaſſet, edixit ſeſe judicium injuriarum non daturum.* item 5, in Verr. *Videtis pendere alios ex arbore, pulſare alios atque verberari.*

RAPI Cupiditate, ſtudio, amore, affectu, ad aliquid quotusquisque eſt, qui hodie dicat? At veteres Latini ita locuti omnino ſunt. *Laudis amore rapi* dicit Prudentius hymno in Cyprianum. Sed is fortasſis non ſatis antiquus eſt. Valerius igitur Max. 9, 11, vlt. pari modo. *Pio affectu ad id lacerandum rapior.* Et paulo adhuc antiquiores Cicero & Nepos ille in Or. pro L. Manil. *Studio inflammato ad Italiam rapi*: Hic in vita Eum. *Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam*, i. e. ſin in Macedoniam remigrare cuperet. Pari modo dicunt, *ferri ſummo ſtudio ad excidium vrbis, ferri omni cogitatione ad liberandam patriam.* Vide Nep. 7, 9, 4. Val.

N Max.

Max, 7, 3. ex 4. Atque de hoc verbi *ferri* vſu dictum jam ſupra. Ceterum verbi rapere & iſte vſus hic obſeruandus, quo *rapere* idem eſt, quod celeriter capere. Lucanus 4, 346.

Non deerat fortis rapiendo dextera leto.

Vbi rapere letum eſt celeriter ſibi ipſi vitam eripere. Valerius 7, 3, 3. *Rapuit conditionem imbellis ac timida, juuentus* i. e. ſtatim accepit conditionem, vt ſcil. arma & equos militibus Scipionis traderet. Item 7, 3, ex 1. *Occaſionem in aliquanto viliore animali expiandæ religionis rapuit.* Horatius Epod. 13. *Rapiamus amici occaſionem de die.* Symmachus 1, 7. *Occaſionem rapere prudentis eſt.* Cato lib. 4. diſt. *Quam primum rapienda tibi eſt occaſio prima.* Et Seneca Conſol. ad Marc. c. 10. *Rapite ex liberis voluptates*, i. e. feſtinanter & auide, dum licet, capite. Plura hujus verbi vſus exempla notauit Cl. Buchnerus ad Theſ. Fabri. Sed nec illud negligendum, quod *raptus* & pro mortuo dicitur. Ouidius 5, Triſt. 4.

Quid Priamus doleat, mirabitur, Hectore rapto.

Vale-

Valerius Max. 9, 12, 1. *Accidit vt columen vrbis,* Tullius Hoſtilius puta, *in ipſa vrbe raptum, ne ſupremo quidem funeris honore a ciuibus decorari poſſet.* Item 9, 9, 1. *Aduerſus Cæſarem nefarie raptum impiam pro Roſtris orationem habuiſſet.* Nec tantum de eo, qui ferro, ſed & de eo, qui fato moritur ita loquuntur. Certe Tullius Hoſtilius, quem Valerius Max. in *vrbe raptum* dicebat, non ferro, ſed fulmine, ictus periit. Deinde Gifanius in Obſeru. L. L. ex Plinio affert. *Statim ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt, quanquam Catone anno ſequente rapto.* Cato autem non ferro, ſed fato, periit, ſuadere quoque videtur illud, quod Horatius 2. Od. 13. ſcribit. *Improuiſa leti vis rapuit, rapietque gentes.* Vbi ipſa vis leti gentes *rapere* dicitur. Cui geminum illud, quod Juſtinus, 2, 2, 13. habet. *Neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio, raperet.* Vbi naturalis fatorum conditio æque ac ferrum, homines *rapere* dicitur.

REFUTARE plerique nihil amplius eſſe putant, quam verba alicujus redarguere atque refellere, id eſt, oſten-

 dere

dere atque demonſtrare, rem aliter, ac quis dixerat, ſeſe habere. Verum ſciendum, ei verbo olim & alias notiones ſubjectas fuiſſe. Et primo quidem idem quoque eſt, quod reprimere, cohibere. Cicero. 1, 9. ad Fam. *Cum ſine ſuſpicione tuæ cupiditatis non poſſis illius* (ſucceſſoris puta) *cupiditatem refutare.* Vult ille, quod, ſi Lentulus in ſuum Proconſulis Ciliciæ locum alium ſurrogari ægre ferat, & cupiditatem ſucceſſoris reprimere nec prouincia decedere velit, ſuſpicio oritura ſit, ipſum prouinciæ retinendæ adeo cupidum eſſe. Eam igitur ob cauſam ſucceſſoris cupiditatem non refutandam, id eſt, reprimendam ac cohibendam eſſe. Pari modo lib. 3. de Orat. ſcribit: *Libidinem tuam libertas* (loquendi puta, hanc enim & *libertatem* ſimpliciter dicunt) *mea refutabit.* Sed non de eo tantum, quod verbis fit, ſed & de ipſa vi externa, verbum vſurpatur. Rurſus Cicero in Orat. de prou. conſul. *Semper illas gentes noſtri imperatores refutandas potius, quam bello laceſſendas, putauerunt.* Vbi *refutare gentes* nihil aliud

aliud eſt, quam reprimere, cohibere. Nec aliud eſt in his, quæ ſunt in Orat. de Aruſp. reſp. *ſi in me impetum facere conabitur, reſiſtam, & ejus conatum refutabo.* Sed & idem eſt, quod rejicere, repudiare. Cicero pro Rabir. *Quam quidem virtutem non modo non aſpernari & refutare, ſed etiam complecti atque augere, debetis.* In lib. 2. Tuſc. qq. *refutare* & *rejicere* vt ἰσοδύναμα ſunt conjuncta. *Inprimisque refutetur*, inquit, *ac rejiciatur Philocteteus ille clamor.* Saluſtius. *Celtiberi ſe regibus deuouent, & poſt eos vitam refutant.* In Theſauro Fabri, locupletato illo a Buchnero, ſcriptum video, ſequioris æui ſcriptores *refutare* dixiſſe pro reſpuere, repudiare. Vt Ammianum lib. 17. *Non refutamus hanc* (parem) *neque repellimus.* Adſit modo cum Decore & honeſtate. Et Hieronymum in Vita Malchi, *Dominus videns gregem ſuum creſcere, nihilque in me deprehendens fraudulentiæ, & volens me renuntiare, quo fidum ſibi magis faceret, tradidit mihi illam conſeruam meam aliquando captiuam. Et cum ego refutarem, dicéremque me Chriſtianum, nec licere ſibi viuentis vxorem ma-*

 riti

riti accipere. Quibus addere licet illud Sulpicii Seueri ex Dial. 2. *Nihil, ex his quæ virgo venerabilis miſerat, refutauit, dicens benedictionem illius a ſacerdote minime reſpuendam.* Quod autem ſequioris tantum æui ſcriptores ita locutos volebat Buchnerus, non omnino ei aſſentior. Annon in verbis quoque Ciceronis *aſpernare* & *refutare*; itemque *refutare* & *rejicere* vt ἰσοδύναμα apparebant? Quidni ergo ipſe quoque Cicero dixiſſet, vt Ammianus, *refutare pacem*, pro rejicere pacem? Et, vt Sulpicius Seuerus, *refutare donum?* Ceterum ſeruata ea vocabuli notio eſt in idiotiſmo italico, quod *rifiutare* dicunt pro ricuſare. Sed & ἰσοδύναμον Gallicum *refuſer* inde ortum videtur.

REPRÆSENTARE prorſus ſublatum de Lingua latina videri; adeo paucos eſſe, qui eo vtantur, Ant. Schorus ſcribit: Ignoratione enim ejus vulgus dicere, *prompta pecunia ſoluere*, *cum pecunia prompta emere*: at Latinos *repræſentare* aut *repræſentatione emere.* Ego plane negligi verbum non dixerim. Minimum enim nota vulgo *repræſentare imago*-

maginem alicujus, *repræſentare mores alicujus*. At *repræſentare pecuniam*, pro *pecuniam præſentem exhibere*, præſenti pecunia aliquid emere, paulo abſtruſius eſt. Veteres tamen ſubinde ita ſunt locuti. Suetonius Aug. *extra quam ſummam repræſentari juſſit. Nam et confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat. Reliqua legata varie dedit, produxitque quædam ad vicena ſeſtertia, quibus ſolvendis annuam diem finiit.* In quibus oppoſita ſunt *ſummum repræſentare* & *ſolvendæ ſummæ annuam diem finire.* Idem Nerone: *Inquilinos privatarum ædium atque inſularum, penſionem annuam repræſentare fiſco.* Sic & Othone. *Omnibus dena ſeſtertia repræſentata & quinquagena promiſſa.* Ipſe Cicero. 12, 25, ad Att. *Reliqua pecunia vel uſuram filio pendemus, dum a Faberio, vel ab alio, qui Faberio debet, repræſentabimus*, Et 12, 30, ad Att. *ſi Faberianum venderem explicare vel repræſentatione non dubitarem.* Item: *Magno etiam Adjumento nobis Hermogenes poteſt eſſe in repræſentando.* Ita de ſolutione pecuniarum, quæ ſtatim fit. Et putant viri docti, proprie locum habere verbum in pecunia perſolvenda; hinc

vero ad alia transferri. Vide Buchnerum ad Lexicon Fabri. Et ſane de cujusuis rei exhibitione, quæ ſtatim fit, vſurpari videas. Cicero 5. 16. ad Att. *Quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus.* Medicinam hic doloris atque ægritudinis intelligit. Atque eam repræſentari, id eſt, ſtatim exhiberi, vult ratione; neque expectari, dum longinquitas temporis dolorem minuat. Seneca ep. 95. *Petis, vt id, quod in diem ſuum dixeram debere differri, repræſentem, & ſcribam tibi &c.* Vbi *repræſentem* idem eſt quod ſtatim faciam. Cæſar. 1. B. Gall. *Itaque ſe, quod in longiorem diem collaturus eſſet, repræſentaturum, & proxima nocte de quarta vigilia caſtra moturum.* Dicunt etiam *repræſentare pœnas, ſupplicia,* pro ſtatim exigere vel ſumere. Suetonius Claud. 34. *Tormenta quæſtionum, pœnasque parricidarum repræſentabat, exigebatque coram.* Curtius l. 10. *Præceps ad repræſentanda ſupplicia.* Valerius M. 6, 5, ext. 4. *Cumque liceret culpam vel diſſimulare, vel errore defendere, pœnam tamen repræſentare ma-*

maluit. Vide & Gronouium l. 1. de pec. vet. c. 6. & Buchnerum ad Lex. Fabri.

SERVIRE non id modo ſignificat, quod ſeruorum eſt, ſed & idem, quod ſtudere, dare operam. Nep. 25, 6, 5. *Qua in re non ſolum dignitati ſeruiebat, ſed etiam tranquillitati.* item 15, 2, 4. *Non tam magnitudini virium ſeruiuit, quam velocitati.* Rurſus 2, 1, 3. *Diligentius amicis, famaque ſeruiens.* Cic. 5, 16. ad Fam. *Tuenda tibi vt ſit grauitas, & conſtantiæ ſeruiendum* Et 9. 14. *Quid eſt, quod ego te hortor, vt dignitati & gloriæ ſeruias?* Idem quoque dicit, *ſeruire valetudini, ſeruire rei familiari, ſeruire litteris, ſeruire alicujus commodis, ſuis commodis, ſeruire iracundiæ, ſeruire cupiditatibus.* Quæ ipſa & id genus alia a Nizolio congeſta videbis. Vtuntur autem & compoſito inſeruire in talibus. Nepos 7, 11, 13. *Beotii magis firmitati corporis, quam ingenii acumini, inſeruiunt.*

Verbi SONARE ſignificatio hic notetur illa, qua idem eſt, quod ſignificare. Cic. 3. Off. *Sic hæc duo verba inter ſe diſcrepant, vt tamen vnum ſonare videantur.*

antur. Et l. 2. de Fin. *Epicurum, qui crebro dicat oportere exprimi, quæ vis ſubjecta ſit vocibus, non intelligere interdum, quid ſonet hæc vox voluptatis.* Atque hic & alia quædam elegans & vulgo neglecta locutio apparet; quod videlicet dicitur: *Quæ vis ſubjecta ſit vocibus*, pro *Quid voces ſonent, quid voces ſignificent.* Pari modo dicunt, *notionem, ſententiam, ipſamque rem vocibus ſubjectam eſſe*; itemque *vim in verbis eſſe*, cum voces aliquid ſignificare volunt dicere. Cicero. 1. de Orat. *Verborum ſonitus inanis nulla ſubjecta*, verbis puta ſiue vocibus, *ſententia.* Et 5. Tuſc. q. *Huic verbo cum beatum dicimus, ſubjecta notio eſt ſecretis malis omnibus cumulata complexio.* Rurſus 2. de Fin. *Neque vident, ſub hac voce honeſtatis quæ ſit ſubjicienda ſententia.* Item *Quæ res huic voci ſubjiciatur.* Item *Tanta vis erat in verbis*; ſed de verbo *ſonare* notetur adhuc, quod idem quoque ſit, quod *pronuntiare, eloqui*, Virgilius 6. Æneid. *Nil mortale ſonans*, Horatius l. 1. ſat. 4. *Os magna ſonaturum S.* Cicero de clar. Or. *Cotta ſonabat contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam planeque ſubruſticum.*

SVPPE-

SVPPEDITARE non tantum idem eſt, quod præbere, ſignificationemque habet actiuam; ſed & idem, quod ſuppetere, præſto eſſe, in promptu eſſe. Cic. 7, 19. ad Fam. *An hoc ſignificas, ne chartam quidem tibi ſuppeditare.*

TEMPERARE quod idem ſit quod *moderari*, dicaturque *temperare remp. temperare ſibi, temperare linguæ, manibus*, id notum eſt. Obſeruandum autem, quod præterea idem ſit, quod *abſtinere* ab aliquo, nec injuria eum afficere. Cicero pro Corn. *Noſtras inimicitias ipſi inter nos geramus: amicis noſtrorum inimicorum temperemus.* Et 4. in Verr. *Verrem nemini vlla in re temperaſſe.* Et 3. in eund. *Te putet quiſquam, cum ab Italia freto disjunctus eſſes, ſociis temperaſſe?* Liuius alicubi, *Templis Deorum temperatum eſt.* Notetur autem & illa verbi ſignificatio, qua idem eſt, quod *miſcere.* Cicero 1. Off. *Quod ſimplex eſſe debet ex diſſimilibus rebus, miſceri & temperari non poteſt.* Valerius Max. 2, 6. *Venenum cicuta temperatum.* Atque hac ſignificatione ſæpe vſurpant rerum naturalium ſcriptores. Scribo-

nio

nio Largo *medicamentum temperatum* idem eſt, quod *mixtum*. Palladius 1,30. *Polentæ duas partes & furfuris quatuor aqua calida temperabit*. Et 2, 19. *Ex mellis optimi decem libris omnia temperabis*. Vide & judicem Rhodii in Largum.

TOLERARE, quod τοῖς *alere, tueri*, ἰσοδύναμον poſuimus, ipſi quoque antiquiores ea notione vſurpant, dicuntque tunc *tolerare vitam*, tum *tolerare aliquem*. Cæſar 13. B. Ciu. 47. *Tolerare equos* dixit pro alere, tueri equos. Virgilius 8. Æn.

Tolerare colo vitam tenuique Minerua.

De verbo TRAHERE non ſatis notum videtur, quod idem quoque ſit, quod *ducere, ſecum ducere*. Virgilius 2, Æn. *Auo puerum Aſtyanaſta trahebat*, pro *ad auum ducebat*. Et ibidem:

Sacra manu, victosque Deos, paruumque
nepotem ipſe trahit.

Curtius lib. 3. *Fœmineæ pleraque paruos trahentes liberos ibant*. Valerius Max. 3, 2, ext. 8. *Uxor Aſdrubalis dextra leuaque communes filios trahens*. Et 5, 8, 1. *Veturia liberos, ſecum trahens*. Nec de hominibus tantum & pueris, ſed & de Brutis uſurpatur. Idem Valerius, 1, 2, 4.

1, 2, 4. *Sectorius per aſperos Luſitaniæ colles ceruam albam trahebat.*

TUERI non modo ſignificat vim ſibi, vel aliis, illatam defendere ac propulſare, ſed idem quoque eſt, quod alere, ſuſtentare, tolerare. Cicero pro Dejot. *Antea alere majores copias poterat, nunc exiguas vix tueri poteſt.* Liu. 39, 9. *Scortum nobile libertina Hiſpala non digna quæſtu, cui ancillula aſſueuerat, etiam poſtquam manumiſſa erat, eodem ſe genere tuebatur.* i. e. alebat, tolerabat: Nepos. 15, 3, 4. *Amicorum in ſe tuendo caruit facultatibus.* Pari modo dicunt *tueri exercitum, tueri animalia.* Plinius 32. 10. *Craſſus negabat locupletem eſſe, qui reditu annuo tueri legionem non poſſet.* Sed & dicunt *tueri ædificia*, pro ſarta tecta conſervare. Nomen quoque inde deriuatum *tutela* eadem notione vſurpatur. Valerius Max. 7, 1, 2. *Vnum atque alterum jugum boum facilis tutelæ*, i. e. quos tueri atque alere facile. item 7, 6, 6. *Amariſſimam tempeſtatem Auguſti, cura tutelæ tunc terrarum vacans, diſpulit. Tutela terrarum eſt* ſuſtentatio earundem. Præcedit enim, *Tanta commeatus penuria inceſſit.*

VEL-

VELLE vulgo fere non niſi de ea voluntate vſurpant, quæ imperium ſimul inuoluit, vt quod pôeta dicit:

Sic volo, ſic jubeo: ſit pro ratione voluntas.

Quod autem idem verbum etiam idem eſt, quod *cupere, optare*, atque ita jucunditatem & voluptatem quandam ſimul inuoluit, ea ſignificatio fere negligitur. At veteres frequentiſſime ſic vſurpabant. Cicero 4, 14. ad Fam. *Alteris dicebas, te velle, quæ egiſſem, bene ac feliciter euenire.* Et 1, 7. *Quod ſcribis, te velle ſcire, qui ſit reip. ſtatus, ſumma diſſenſio eſt.* Et pro l. Manil. *Quod vt illi proprium ac perpetuum ſit, cum communis ſalutis atque imperii, tum ipſius hominis, cauſa, ſicuti facitis, velle & optare debetis.*

Deinde *Velle* quoque idem eſt, quod bene velle, fauere. Vbi tum peculiari ratione & conſtruitur, diciturque *velle alicui & velle alicujus cauſa*, & denique, *velle omnia alicujus cauſa*. Quæ loquendi genera Schorus neglecta adeo nunc eſſe dicit, vt ſublata de Lingua latina videantur. At veteres ſæpiſſime ſic loquebantur. Cicero 6, 7, ad Att. *Plane volo his Magiſtratibus, quorum volun-*

voluntatem in Supplicatione ſum expertus. Et 16, 17. ad Fam. *Valde ejus cauſa volo.* Et 13, 22. *Varro magnopere ejus cauſa vult omnia.* Et 1, 1. *Regis cauſa, ſi qui ſunt, qui velint; qui pauci ſunt, omnes rem ad Pomp. referri volunt.*

Plura hujus generis congeſta videas a Schoro. Hic vero & illud notetur, quod *voluntas* quoque idem eſt, quod beneuolentia, fauor: Cicero 5. 7. ad Fam. *Ad me autem literas, quas miſiſti, quanquam exiguam ſignificationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamen mihi ſcito jucundas fuiſſe.* Item 1, 8. ad Fam. *Eam voluntatem, quam exceptaram, præſtiterunt.*

Verbi VIDERE elegans vſus eſt cum dicunt, *videre, videndum eſt ne, videamus ne.* Qua formula ſe ab aliis diſſentire, aut rem adhuc dubiam eſſe, ſignificare ſolent. Terentius Eun. 2, 3, *Vide, ne nimium calidum hoc ſit modo.* Nepos 15, 10, 1. *Vide, ne tu pejus conſulas.* Cicero 5, 4. ad Fam. *Vide, ne, cum velis reuocare tempus omnium conſeruandorum, cum qui ſeruetur non erit, non poſſit.* Et 1. Off. *Videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum.* Et de

Orat.

Orat. *Vide, ne hoc totum, Scæuola, ſit à me.* Et de fato, *Vide, ne non eadem illorum cauſa ſit & ſtricorum.* Et 4. Acad. *Vide, ne illarum quoque rerum pulcherrimarum a te ipſo minuatur auctoritas.* Seneca ep. 39. *Vide, ne plus profectura ſit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgo breviarium dicitur.* Rurſus Cicero 3. Tuſc. *Videamus, ne hæc oratio ſit hominum aſſentantium noſtræ imbecillitati & indulgentium mollitudini:* Et 4. 9. ad Fam. *Vide, ne ſuperbi ſit aſpernari ejusdem liberalitatem.* Sed quid *videre* hic ſignificat, cum dicunt *vide, ne, videndum eſt, ne, videamus, ne.* Cl. Voſſius lib. 7. Grammat. p. 601. de vi ipſius verbi non adeo ſollicitus, putat, voculam *ne*, quæ ſubjuncta eſt, eſſe pro, *vt ne, vt non.* Ipſi quoque tantum de vocula *ne* ſolliciti ſcripſimus alibi, *ne* eſſe pro *annon*: quod quidem nunc non placet. Optimum autem videtur, vt *videre* in talibus idem putemus eſſe, quod *cogitare, conſiderare.* Et quia τὸ *cogitare, conſiderare* ſubinde aliquid metus ſecum habet, fieri inde, vt τῷ *videre* quoque *ne* & *vt* ſubjiciantur; non aliter, quam ipſis verbis *timere* & *vereri.* Sane ipſis quoque

que verbis *cogitare*, *conſiderare*, *circumſpicere*, voculæ *ne* & *vt* ſubjiciuntur. Videre pro cogitare. Plaut. Barch. 4, 9, *Quæ conditiones ſunt, vtrum tu accipias vide.* Nep. & quomodo verbo *vereri* additum *ne* affirmationem, *vt* autem negationem ſignificat, ita & verbo *videre* additum *ne* affirmationem, *vt* autem negationem ſignificare. Idque aſſentior Andreæ Schotto, qui Not. Cic. 2, 9, ſcribit, obſeruaſſe ſe, video cum particulis *ne* & *vt* non raro eundem, quem *timeo*, *metuo*, *vereor*, vſum habere apud Ciceronem, ſubjicit autem & exemplum ex 14. 14. ad Fam. *Reliquum eſt, quod ipſæ optime conſiderabitis, veſtri ſimiles feminæ ſint ne Romæ. Si enim non ſunt, videndum eſt, vt boneſte vos eſſe poſſitis.* Hic poſt *videndum eſt* ponitur *vt*; *&* manifeſte *videndum* eſt pro *verendum*. Quod & amplius apparet ex eo, quod in eadem ep. Ciceronis mox additur, *etiam illud verendum eſt.* Quaſi diceret, non tantum illud *verendum* eſſe, vt vxor & filia Ciceronis honeſte eſſe poſſint Romæ, ſed & aliud verendum eſſe. Pari modo & Cicero in ep. ad Tiron. quæ

eſt penultima libri XV. epp. Cic. Vide vt *ſcribit* pro *verere vt.* Verba ſunt: *Isque diu & multis lucubrationibus commentata oratione vide, vt probare posſit, te non peccaſſe.* Quod ex 1, Off. citabamus *videndum eſt ne*, in eo item adeo manifeſtum eſt, *videndum eſſe* pro *verendum*, vt Lambinus hoc pro illo ſubſtituendum putauerit, quod quidem cum Schotto minime nos probamus, quandoquidem notum eſſe poteſt, ipſum *videre* idem quoque eſſe, quod *vereri.* Perperam autem ab ipſo quoque Schotto eſt factum, quod locum illum Ciceronis citauit ſic. *Videndum eſt, vt non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt.* Legendum enim omnino eſt: *Videndum eſt ne non ſatis ſit.*

Eadem vis, quæ verbi *videre* eſt, cum poſt illud *ne* aut *vt* poſitum, apparet, eſt quoque ſimilium quorundam verborum, cum poſt eadem *ne* ponitur. Varro. *Cum circumſpiceret Atticus, ne quid præteriiſſet.* Hic *circumſpicere* notionem itidem verendi aut metuendi inuoluit; proindeque eodem modo, quo verba metuendi, conſtruitur. Cicero

4, 9,

4, 9, ad Fam. *Caput illud eſt, vt, ſi iſta vita tibi commodior eſſe videatur, cogitandum tamen ſit, ne tutior non ſit.* Vbi *cogitandum, ne tutior non ſit*, eſt itidem pro *verendum, ne tutior non ſit.* Præcedunt, quæ jam paulo ante produximus, *Vide, ne ſuperbi ſit aſpernari ejusdem liberalitatem.*

Verbi VOCARE elegans, nec cuiuis notus, vſus, quod dicunt, *vocare aliquem in diſcrimen, inuidiam, ſuſpicionem, portionem, conditionem eandem*, Juſtinus 5, 2, 9. *Vocandos enim in portionem muneris Jouios, quorum pro libertate bellum ſuſceptum ſit*, Vbi Sebizius conjecit legendum eſſe *oneris.* Eſt autem *vocare aliquem in portionem oneris* nihil aliud, quam partem oneris alicui imponere. Cicero.7. in Verr. *Vocari in crimen & inuidiam*, item, *Vocari in ſuſpicionem conjurationis.* Et pro Seſt. *Qui claros viros in inuidiam aliquam vocauerunt* Et 1. Off. *Vocare aliquem in odium aut inuidiam falſis criminibus.* Et pro Cluent. *Vocari in periculum & diſcrimen.* In quibus *vocari* idem eſt, quod *trahere, adducere.*

VRERE non ignis tantum, ſed &

ipſum frigus dicitur Juſtinus 2, 2, 9. *Quanquam continuis frigoribus vrantur.* Virgilius 1. Georg. *Boreæ penetrabile frigus adurat.* Quod ne poëticum videatur, aut Juſtinus poëtam tantum imitatus notetur, quod ipſe Cicero 2. Tuſc. ſcribit: *Pernoctant venatores in niue, in montibus ſe vri patiuntur,* Et quod Liuius l. 4. *Hiems eo anno niue ſæua & omni tempeſtatum genere fuit: arbores, quæ obnoxiæ frigoribus ſunt, deusſit cunctas.* In Curtio quoque locutionem hujusmodi obſeruare memini. Ceterum & Ouidius 3. Tr. 4.

Me tenet aſtricto terra peruſta gelu.

Nec mirum, frigus & gelu Latinis dici *vrere;* cum moleſtum omnino frigus ſit homini, & Latini, quicquid moleſtum & graue eſt, *vrere* dicant. Vellejus 2, 77. *Tum expoſtulante conſenſu populi, quem grauis vrebat annona* Florus 2. 6. *Vrebat nobilem populum ablatum mare.* Cujus generis plura congeſſit Buchnerus ad Lex. Fabri.

Verbi VTOR varii vſus ſunt, qui vulgo non ſatis noti eſſe atque negligi videntur. Vt, quod idem eſt, quod *habere.* Nep. 4, 2, *Pari felicitate in ea re vſus.* Et

Et 25, 13. 3, *Vſus eſt familia optima.* Et 25,1,2. *Patre vſus eſt diligente.* Plura hujus generis vide in Jnd. Nepotis: Sic & Cicero 8, 3. ad Att. *Cum in ea vrbe ſummis honoribus imperiisque vſus ſit*, item 2,15. *Neque erat ſuperiore honore vſus, quem præficerem* i. e. *non erat, qui ſuperiorem honorem habuiſſet* atque geſſiſſet, quam quæſtor ille. Item Or. 2. Phil. *Antonius Cæſari regnum detulit, Cæſar uti noluit*, item 14, 5. ad Fam. *Cum aduerſis ventis vſi eſſemus.* Vide & Theſaurum Nizolii. Deinde vſus verbi notetur ille, quod jungitur nominibus, quæ ſignificant virtutes & affectiones animi, atque ita ex affectionibus iſtis proficiſcentes operationes notat, ſic dicunt, *vti libertate, fortitudine, prudentia, moderatione*, pro *liberaliter, fortiter, prudenter, moderate agere.* Nep. 25, 11, 5. *Sic liberalitate vtens nullas inimicitias geſſit.* Item 7, 5, 6. *in captos clementes fuerant vſi.* Cujus generis plura vide in indice. Adjiciunt etiam nomina ipſas actiones ſignificantia, dicuntque *conſolatione vti, prædicatione vti*, pro *conſolari, prædicare*. Cic. 6, 11, ad Fam. *Conſolatione non vtebatur, quod ex multis au-*

audiebam &c. Et 6, 12, *Hæc prædicatio tua mihi valde grata eſt, eaque te vti facile patior.* Et 6. 18. *Quo magis expetam promiſſum tuum quo in litteris vteris.* Hic *vti promiſſo* nihil aliud eſt, quam promittere. Virgilius pro eo dicit, *dare promiſſa*, vt in lib. de Lat. f. ſuſp. notauimus. *At facere promiſſa* aliud, vt ibidem monuimus. Rurſus 9, 14. *Hortatio non eſt neceſſaria: gratulatione magis vtendum eſt.* Et in Or. pro Marc. *Quo ſilentio eram his temporibus vſus.* Notandum denique, quod dicunt, *vti aliquo multum, vti aliquo familiariter*, pro multum verſari cum aliquo, & familiariter cum aliquo viuere, quæ quidem paſſim ſunt obuia.

CAPVT VI.
ACCESSIO SPECIALIOR DE VERBORUM VSU.

Verba, quæ affectum aut actionem mentis ſignificant, ſubinde orationem externam ſignificare, quæ affectus aut actionis mentis ſignum eſt.

VOcabula, quæ affectum aut actionem mentis proprie ſignificant, ſubinde non ipſum affectum, aut actio-

actionem mentis, quæ quidem intra nos ſunt, ſed orationes externam, qua affectus & actiones mentis exprimuntur, ſignificant. Quod quia & ipſum vulgo non ſatis notum videtur, hic itidem ob oculos ponendum videtur. Sunt autem inter ea vocabula *miſerari*, *deteſtari*, *opinari*, *exiſtimare*. Cæſar 1. de B. Gall. *Abditi in tabernaculis aut ſuum factum querebantur, aut cum familiaribus ſuis commune periculum miſerabantur.* Et l. 2, de B. ciu. c. 41. *Hi de ſalute ſua deſperantes, vt extremo vitæ tempore homines facere ſolent, aut ſuam mortem miſerabantur, aut parentes ſuos commendabant.* Saluſtius B. Jug. *Eos multa pollicendo, ac miſerando caſum ſuum confirmat* (Atherbal) *vt per hoſtium munitiones noctu ad proximum mare, deinde Romam, pergerent.* Tacitus 1. Ann. *Planci grauem & immeritum caſum, ſimul quantum dedecoris adierit legio, facunde miſeratur.* Vbi ipſum quoque aduerbium *facunde*, declarat, quod *miſerari* hic orationem externam ſignificet. Idem Tacitus lib. 15. Ann. *Nulla edita voce, qua ſemet miſeraretur.* Veſtinus puta, cui juſſu Neronis abſciſ-

ſæ venæ. Nomen quoque verbale *miſeratio* eadem notione, & quidem ab ipſo Cicerone, vſurpatur. Vt in Oratione: *Miſeratione mens judicum permouenda eſt.* Et in epp. ad Att. *Tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio.* Ex quibus itidem ſatis intelligitur, vocem *miſeratio* hic ad ſermonem pertinere. Nec tantum de hoc vocabuli vſu & ſignificatione monendum fuerit, ſed & de vocabulo ipſo. Obſeruat enim Antonius Schorus, *ipſum hoc vocabulum miſeratio pro miſericordia paucos quotidiano ſermone vſurpare.* Vide librum ejus de Phraſibus Lat. L. Atque id ſane ita verum eſt, quod Schorus obſeruat. Ceterum ipſa illa, quam dixi, notione vocabulum vſurpari adhuc rarius eſt. Compoſitum verbum *commiſerari* eadem notione vſurpatur. Nepos XVII, 5, 2. *Tantum abfuit ab inſolentia gloriæ, vt commiſeratus ſit fortunam Græciæ.* In quibus verbum *commiſerari* de ſermone intelligendum eſſe, recte monet Bœclerus in Indice.

Superioribus verbis ſimilia fere ſunt DEFLERE & DEPLORARE. Hæc enim

nim ſubinde non ipſum fletum, ſed orationem cum fletu conjunctam & querimoniam, ſignificant. Curtius 8, 6, 7. *Quam ignominiam ægre ferens deflere apud Soſtratum cœpit.* Vbi *deflere* idem, quod *queri*, *conqueri*. Et quomodo dicitur *queri apud aliquem*, ita hic *deflere apud aliquem*. Vellejus Pat. 2. 119. 1. *Ordinem atrociſſimæ calamitatis juſtis voluminibus, vt alii, ita nos, conabimur exponere. Nunc ſumma deflenda eſt.* Vbi *deflere* eſt ſcribendo & conquerendo exponere. Suetonius Calig. 30. *Hanc vt crudeliſſimam cædem & defleuit edicto, & eos, qui ſpectare ſuſtinuerant, execratus eſt.* Vbi tam *execrari*, quam *deflere*, itidem ad orationem & ſermonem pertinent. Sequitur ilico. *Queri etiam palam de conditione temporum ſuorum ſolebat.* Liuius 4, 3, 7. *Cum ſibi nihil viui reliquum, præter linguam, ad deplorandas patriæ ſuæ calamitates præfatus eſſet.* Rurſus Suetonius Cæſ. 20. *Cicerone in judicio quodam deplorante temporum ſtatum.*

Porro de Verbo DETESTARI videamus. Hoc de ſermone & verbis vſurpatum reperio a Liuio in Lib. XL.

Quoties ego audientibus vobis deteſtatus exempla diſcordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli? Et a Cicerone lib. 9. ep. 12. ad Att. *Cum tu ad me quædam* Γενικώτερον *ſcripſiſſes, & ego mihi a te quædam ſignificari putaſſem, vt Italia cederem, deteſtaris hoc diligenter XI. Kal. Mart.* Sequuntur deinde ipſa verba Attici, quibus id deteſtatus fuerat.

Pari modo & EXECRARI interdum non affectionem animi, ſed eum, quo hæc proditur, Sermonem deſignat. Valerius Max. 3, 2, 20. *Vibius Accæus vexillum trans Punicum vallum projecit, ſeipſum ſuosque commilitones, ſi eo hoſtes potiti eſſent, exſecratus.* Eodem verbo eadem de re vſus quoque Liuius lib. 25. Qui idem ſubinde & *execrari aliquid in aliquem*, aut *in aliquid* ſcribit. Vt l. 10. *Hæc exſecratus in ſe hoſtesque, qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum.* Et l. 30. *In ſe quoque ac ſuum ipſius caput exſecratum.* Ita enim ex MſT. ibi legendum, vti monuit Gronouius. Et l. 39. *Exſecratus deinde in caput regnumque Pruſiæ & hoſpitales Deos violatæ ab eo fidei teſtes inuocans.* Et l. 40. *Execratio-*

crationes in agminibus proficiſcentium in regem. Sic & ſuperiore ἰσοδυνάμῳ verbo vtitur in lib. 39. *In caput eorum deteſtari minas periculaque qui id ſuaviſſent.* Obſeruauit hæc proxima & in Notis ad Liu. 30, 29. Congeſſit vir ſummus, Joh. Fred. Gronouius.

Verba EXISTIMARE & OPINARI quoque in Auctoribus ſubinde de ſermone intelligenda ſunt. Nepos X, 7, 3. de Dione. *Inſuetus male audiendi non æquo animo ferebat de ſe ab iis male exiſtimari, quorum paulo ante in cœlum fuerat elatus laudibus.* Vbi *male de aliquo exiſtimare* nihil aliud, quam *male de aliquo loqui.* Quibus adde, quæ Berneggerus ad Iuſtini 12, 5, obſeruauit. Seneca de ira 3, 22. Pari modo dicunt *bene* & *male de aliquo opinari.* Juſtinus 12. 5. *In unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerunt, contribuit. Vbi durius de rege* Alexandro *opinati* dicuntur, qui ſequius de illo in epiſtolis, quas in Macedoniam mittere voluerant, ſcripſerunt. Suetonius Aug. 51. *Inter cetera crimina abjiciebatur, quod male opinari de Cæſare ſoleret.* Et

67.

67. *Seruam grauiſſime de ſe opinantem compedibus coërcuit.*

Porro de verbis exiſtimandi & ad intellectum pertinentibus notandum, quod ſubinde ad voluntatem ſignificandam transferantur. Præcipue vero de verbo *cenſeo* hic monendum. Sane Varro apud Nonium ſic habet: *Verbum cenſeo & arbitror idem poterat ac valebat.* Et Nonius ipſe ait: *Cenſere et arbitrari veteres cognatione quadam ſocia ac ſimilia eſſe verba voluerunt.* Et pro exemplo adjecit illud Plauti ex Rudente: *Non vidiſſe undas majores cenſeo.* Item illud ex Menæchmis. *Vt ſi ſequetur me hac abiiſſe cenſeat.* Verum factum fuit, vt idem verbum & ad voluntatem & ad juſſionem quandam ſignificandam transferretur. Cujus rei occaſio videtur hæc fuiſſe, quod Senatus Romanus cum cenſuit & exiſtimauit aliquid faciendum eſſe, ita cenſuit & exiſtimauit, vt magnæ ejus auctoritas eſſet, & vt vim mandati ea cenſio haberet. Liuius lib. 10. *Bellum Samnitibus & cenſuere Patres, & populus juſſit.* Et lib. 31. *Sulpicius conſul popu-*

populum concione aduocata alloquens, quia Fratres, ait, cenſuere, vos jubete. Ita mollius verbum de ſenatu vſurpabant, quam de populo; Sed vt vtriusque eadem fere vis eſſet. Salluſtius B. Jug. *Tres adoleſcentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, S. P. Q. R. verbis nuntient, velle & cenſere* (ſenatum, populumque Rom.) *eos ab armis diſcedere.* Hic *velle* & *cenſere* conjunguntur: vt appareat, *cenſere* itidem ad voluntatem hic pertinere. Nec dicitur, *Cenſere eis ab armis diſcedendum eſſe,* quod non niſi ad intellectum & ad exiſtimationem pertinere videri poſſit; ſed *Cenſere eos ab armis diſcedere.* Cicero lib. 1. ep. 1. *Craſſus tres legatos decernit: nec excludit Pompejum, cenſet enim etiam ex iis, qui priuati ſunt.* Ex quibus apparet, *cenſere* itidem fere hic eſſe, quod illud, quod præcedit *decernere.* At *decernere* vtique non nudum intellectum, ſed ſimul voluntatis actum, exprimit. Craſſus cum ſententiam diceret de Ptolemæo rege Ægypti reſtituendo, decreuit omnino, dixitque, quid ipſe vellet: idemque dum decreuit, etiam cenſuit.

ſuit. Cæſar. 1. B. Ciu. *M. Calidius cenſebat, vt Pompejus in ſuas prouincias proficiſceretur.* Valerius Max. l. 7. c. 6. ex 1. *Senatus cenſuit vti publice ſerui aduerſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur.* Et ſane de ea verbi *cenſere* ſignificatione, qua idem eſt, quod *decernere*, monuerunt quoque veteres Iuriſconſulti. In Digeſtorum titulo de verborum ſignificationibus verba *Iaboleni* hac de re ſunt iſta. *Cenſere, eſt conſtituere & præcipere. Vnde etiam dicere ſolemus: Cenſeo, vt hoc facias. Et ſenatum: aliquid cenſuiſſe.* Etiam Feſtus ſic habet: *Cenſere nunc ſignificat putare, nunc ſuadere, nunc decernere.* Nec tantum, cum de ſententiis in ſenatu dicendis agitur, ſed & alias ea verbi *cenſere* videtur vis eſſe, vt non tam ad intellectum, quam ad voluntatem, pertineat. Cicero Bruto: *Imo plane, inquam, Brute, legas cenſeo.* Idem lib. 7. ep. 13. *Treuiros vites, cenſeo.* Non dicit, *cenſeo, legendum tibi eſſe, cenſeo, Treuiros vitandos tibi eſſe*, quæ ad nudum intellectum pertinere videre poſſent; ſed *cenſeo legas*, id eſt, vt legas, *cenſeo vites* i. e. *vt vites.* Quæ ſane idem eſſe videntur, quod *Volo*

& ſua-

& ſuadeo ſeu *hortor*, *vt legas*, *vt vites.* Eſtque hæc loquendi formula multo frequentiſſima. Cicero. 7. in Verr. *Magnopere cenſeo deſiſtas.* Et 4. Acad. Q. *Illud vero non cenſuerim, vt ejus Auctoritate moueare.* Et 10, 12. ad Att. *Ad Cæſarem mittas cenſeo, & ab eo hoc petas.* Item 2, 4. ad Att. *Cenſeo tamen adhibeas Vettium*, Liuius 36, 7, *Nunc quoque arceſſas cenſeo omnes nauales terreſtresque copias.* Ita enim legendum, non *arceſſendas*, vti docet Gronouius. Iuſtinus 9, 5, 2. *Demoſthenes cenſere cœpit, vt abirent Sicilia.* Quemadmodum autem alia verba, quæ ad voluntatem pertinent, non tantum *vt* cum conjunctiuo, ſed & Accuſatiuus cum infinitiuo ſequitur, ita & fieri obſeruamus. Iuſtinus. 13, 2, 5, *Perdicca cenſet Roxanis expectari partum*, pro cenſet, vt Roxanis partus expectetur; ſic & ſupra ex Liuio citabamus, *Velle & cenſere eos ab armis diſcedere*, pro velle & cenſere, vt ipſi ab armis diſcederent.

Quod dixi verba exiſtimandi ſubinde & ad voluntatem ſignificandam transferri, id & ad verbum *videtur* pertinet. Eſt enim hoc ſubinde idem, quod

quod *placet*. Cicero in epp. ad Att. *Puero de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas*. Vbi *quæ tibi videbitur* eſt, pro *quæ tibi placuerit attribuere?* ſi dixiſſet *quæ tibi videbuntur attribuenda*, pertineret id ad intellectum & ad exiſtimationem. Nunc autem dicit, *quæ tibi videbitur* ſcil. *attribuere*. Quod nihil aliud eſſe poteſt, quam *quæ tibi placuerit attribuere*. Rurſus Cicero lib. 14. ep. 7. *ſi tibi videbitur, villis illis vtere, quæ longiſſime aberunt a militibus*, ſi dixiſſet, *ſi tibi videbitur, conſultum*, intelligendum omnino eſſet de exiſtimatione, verum vox conſultum aut ſimilis non eſt addita. Nepos Pauſania, *ſi tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum*. Et Datame; *De qua re, ſi ei videretur, in colloquium veniret*. Liuius lib. 3. *Victi conſenſu decemuiri, futuros ſe, quando ita videatur in poteſtate patrum affirmant*. Item: *Miſſi ad plebem conditionibus quibus videretur reuocandam*.

Porro OMINARI cum ad animum pertineat, reperitur tamen itidem de ſermone, quo ipſa animi cogitatio exprimitur, vſurpatum. Vellejus 2, 71. *Varro ad ludibrium moriturus Antonii digna illo*

ac

ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus eſt. *Libertas* hic eſt libertas loquendi. Pari modo igitur & *ominari* ad ſermonem hic pertinet.

PLACET verbum ad voluntatem pertinens ſubinde & ad actionem intellectus ſignificandam transfertur. Cicero 1. de Diu. *Vt doctiſſimis ſapientiſſimisque placuit*, id eſt, viſum fuit, vt doctisſimi ſapientisſimique exiſtimarunt. Item 4. Acad. *Duo placet eſſe Carneadi viſorum genera*, id eſt, Carneades cenſet, exiſtimat. Et 17, ad Fam. *Quod ſi hæc ratio rei gerendæ periculoſa tibi videbitur, placebat illud, vt, ſi rex amicis tuis, qui per prouinciam imperii tui pecunias ei crediddiſſent, fidem ſuam præſtitiſſet, & auxiliis eum tuis & copiis adjuuares.* Vbi *placebat*, eſt, pro conſultum videtur. Item 16, 1. ad Fam. *Mihi placebat, ſi firmior eſſes, vt te Leucadem deportares, vt ibi te plane confirmares. Videbis quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat.* Vbi *mihi placebat*, eſt, pro mihi conſultum videtur, & *quid medico placeat* pro, quid medico conſultum videatur, quid medicus faciendum putet. Et l. 1. ep. 2. ad F.

Itaque poſtridie placuit, vt breuiter ſententias diceremus. Plura id genus vide congeſta ab Ant. Schoro. Ait ille, qui verbi *placet* vſum ignorent, eos pro *placet* dicere *bonum videtur.* Notat item quod pro *placuit* dicunt etiamplacitum eſt. Horatius quoque ea notione vocabulo vtitur, quod Epod. 16. ſcribit, *Sic placet, an melius quis habet, ſuadete?*

Verba SENTIRE & PUTARE itidem de ſermone vſurpata reperias. Cicero l. 10. ep. 2. *Sed nec ſine periculo quiſquam libere de rep. ſentiens verſari poteſt in ſumma impunitate gladiorum.* Vbi *libere de rep. ſentire*, eſt, vtique *libere de rep. loqui*; alioqui dici haud poſſet, non poſſe quenquam libere de rep. ſentientem ſine periculo verſari. Nam ſi quis, quod de rep. ſentit, non eloquatur, ſed tacitus ſecum reputet, in diſcrimen venire ideo non poteſt. Sed & Adverbium *libere* argumento eſt, quod *ſentire* de ſermone intelligendum hic ſit.

Sunt & alia quædam, quæ modo ad intellectum, modo ad voluntatem pertinent, vt *ſtatuo, induxi animum, decreui*

creui. Si dicas, *ſtatuo, rem ita ſe habere*, verbum *Statuo* pertinet ad intellectum: Si vero dicas *ſtatuo id facere*, pertinet idem ad voluntatem. Et vtriusque phraſeos exempla paſſim obuia ſunt.

CAPVT. VII.

DE

ADVERBIORVM QVORVNDAM SIGNIFICATIONIBVS ATQVE VSIBVS VVLGO FERE NEGLECTIS.

INter Aduerbia, quorum vſus quosdam vulgo fere negligi obſeruo, eſt primo ADHVC, pro *etiam, praterea*, ſatis frequenter iſtud vocabulum vſurpatur. Nec male illud. Nam & veteres paſſim ita vſos inuenias. Cicero Læl. *Ortum amicitia videtis; Niſi quid adhuc forte vultis.* Plinius 33, 2. *Sunt adhuc aliqua non omittenda in auro differentia.* In talibus *adhuc* eſt pro *ad hoc*, *prater hoc*, *praterea*. At veteres frequentiſſime *ad*

hoc dixerunt quoque pro *ad hoc tempus*, vſque *ad hoc tempus*. Qui vſus vocabuli valde hodie negligitur, diciturque pro eo perpetuo fere *hactenus*. Cum obſervare liceat, Ciceronem aliosque veteres, cum dicere voluerunt, ad hoc vſque tempus aliquid factum aut non factum eſſe, vocabulo *adhuc*, non vocabulo *hactenus* vſos eſſe. Corn. Nepos Milt. *Qua pugna nihil adhuc eſt nobilius*, i. e. ad hoc vſque tempus. Cicero lib. 6. ep. 6. ad Fam. *Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt?* Et ep. 14. *Etſi tali tuo tempore me aut conſolandi aut juuandi tui cauſa ſcribere ad te aliquid pro noſtra amicitia oportebat: Tamen id adhuc non feci.* Et l. 10. ep. 6. Att. *Me adhuc nihil præter tempeſtatem moratur*. Et l. 6. ep. 1. ad Fam. *Qui in te adhuc injuſtior quam tua dignitas poſtulabat, fuit.* Et 5, 5, ad Fam. *Quod adhuc majore in varietate verſata eſt tua cauſa, quam homines volebant*. Liuius l. 40. *Adhuc ſeu cura mea, ſeu fortuna, reſtitit parricidio tuo.* Seneca ep. 24. *Non pro mea adhuc, ſed pro patria libertate, pugnaui.*

BENE. vide infra *male*

CELE-

CELERITER pro breui apud veteres frequentius, quam hodie eſt, Cæſar. 7. de B. Gall. *Sed factum imprudentia Biturigum & nimia obſequentia reliquorum, vti hoc incommodum acciperetur: Id tamen ſe celeriter majoribus commodis ſanaturum.*

COMMODE vſurpant Cicero & alii pro recte, bene, concinne. Cicero 2. Off. *Has res commodiſſime Xenophon perſecutus eſt.* Et de Am. *Multa breuiter & commode dicta.* Et c. Rull. *Commodius feciſſent.* Nepos præf. *Commode ſaltare.* Et 2, 10. 1. *Commode verba facere:* Pro quo Cicero non ſemel *commode dicere.*

DENIQVE quod poſt pluſcula recenſita adhiberi, idemque, quod *breuiter* ſignificare ſolet, hic itidem monendum videtur. Salluſtius B. Jug. *Gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno ſcelere nitebatur.* Nepos 21, 2, 2. *Minime libidinoſus, non luxurioſus, non auarus, nullius rei denique cupidus, niſi ſingularis perpetuique imperii.* Quod non libidinoſum, non luxurioſum, non avarum Dionyſium fuiſſe dixerat, trium jam ge-

P 3 nerum

nerum cupiditates ab eodem abfuiſſe ſignificarat. Et ne plura ſpeciatim recenſere opus eſſet, addit, *nullius rei denique cupidum fuiſſe:* Atque ita *denique* idem eſt, ac *breuiter vt dicam.* Idem Nepos 18, 12, 1. *A quo tot annos adeo eſſent male habiti, vt ſæpe ad deſperationem forent adducti; quique maximos duces interfeciſſet; denique in quo uno eſſet tantum, vt, quoad ille viueret, ipſi ſecuri eſſe non poſſent.* Vide & Ind. in Nepotem: Itemque Freinsheimii in Curtium & Florum. Nam paſſim in auctoribus iſte vocis *denique* vſus obſeruatur. Notetur deinde & ille vſus, quod *tum denique* dicunt pro tum demum.

JAM idem quoque eſt, quod *amplius.* Cicero 1, 2, ad Fam. *Cui rei jam obſiſti non poterat.*

Elegans quoque vſus ejus in connexionibus. Salluſtius B. Iug. c. 15. *Iam primum adoleſcens Catilina multa nefanda ſtupra fecerat.* Conf. etiam Liu. lib. 1. ineunte.

MALE non ad prauitatem tantum & ad turpitudinem pertinet, ſed & idem eſt, quod *infeliciter:* vt, cum dicunt, *male*

pugna-

pugnare, *male rem gerere*. Vide Indicem in Nepotem a nobis locupletatum. Liuius l. 4. *Mœſtæ ciuitati ab re male geſta Poſthumius objectus*. Contra *bene* idem quoque eſt, quod *feliciter*. Liuius L. 1. 23. *Nec ceſſabant Sabini feroces ab re priore anno bene geſta laceſſere & inſtare*. Et l. 23. *Ab re bene geſta lætum exercitum*. Cicero 5, 13. ad Fam. *Non aliunde pendere, nec extrinſecus aut bene, aut male viuendi ſuſpenſas habere rationes*. Deinde de voce *male* notetur, quod idem, quod *valde*, & quod voces *pejus* & peſſime conſimili notione vſurpentur. Ita dicunt, *male odiſſe*, *male metuere*, *formidare* pro *valde*, *vehementer odiſſe*, & ſimiliter, *pejus odiſſe*, *peſſime metuere* pro *magis odiſſe*, *maxime metuere*. Terentius Heaut. 4. 1. 56. *Vt præter ſpem euenit, quam timui male*. Vide & Heaut. 3, 2, 20. Plautus Curc. *Peſſime metui, ne mihi hodie apud prætorem ſolueret*. Et Pſeud. 4, 3. *Nimis ego illum hominem metuo & formido male*. Cicero 13, 50. ad Att. *Non dubito, quin me male oderit*. Et 7, 2. ad Fam. *Oderam multo pejus hunc, quam ipſum illum Clodium*. Horatius l. 1. ep. 17. *Cane*

pejus & angue vitare dicit pro *magis quam canem & anguem.* Videtur autem vtraque illa ſignificatio vocis *male* imitatione Græci vocabuli *κακῶς* exorta eſſe. Nam & Græci dicunt *κακῶς πράττειν, κακῶς δέδια.* Vide Henr. Stephanum de Latinitate Plauti. pag. 400. Ceterum nec alia quam dixi, vocis *male* vis eſt, cum dicunt *male multare aliquem*, quod paſſim apud Plautum, Terentium, ipſumque Ciceronem obſeruatur.

De voce MAGIS non ſatis notum in vulgus videtur, quod ſæpe ea vtuntur, vbi vernacula lingua ſuadet potius contraria voce *minus* vti; quodque adeo oratione fere inverſa vtuntur. Juſtinus 2, 1, *Nec virorum imperio magis, quam fœminarum virtutibus claruere*, pro *non minus virtutibus fœminarum quam imperio virorum claruere;* vel, quod idem eſt, æque virtutibus fœminarum, atque imperio virorum. Noſtri dicerent, *Nicht weniger wegen der Weiber Tugenden, eben ſo wohl wegen der Weiber Tugenden, als.* Nepos 1, 2, *Neque id magis imperio, quam juſtitia, conſecutus*, pro *non minus juſt. quam imp.* Idem 25, 6, 1, *Non magis eos in*

ſua

ſua poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe iis (fluctibus ciuilibus puta) *dediſſent, quam qui maritimis jactarentur.* Vbi *non magis* idem, quod æque non. Noſtri, *ſie ſind eben ſo wenig ihrer ſelbſt mächtig.* Item 10, 3, 2. *Homo amicus non magis tyranno quam tyrannidi.* Cicero 1, 8. ad Fam. *Quæ propoſita fuerant nobis ea ſublata tota, ſed nec mihi magis, quam omnibus.* Notetur item, quod dicunt, *neque eo magis* pro *&* *tamen non.* Saluſtius B. Iug. *Neque eo magis cupido Jugurthæ minabatur.* Nep. 21, 3, 3. *Neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuiſſet.*

De adverbiis *magis, plus, amplius, minus,* notetur, quod vſurpentur pro nominibus adjectiuis *plures* & *pauciores*, & quidem omnibus horum caſibus. Cicero in Verr. *Dum ea demolitio fieret, ſenatores non minus triginta adeſſent,* pro *non pauciores, quam triginta.* Nam & ellipſis voculæ *quam* eſt in talibus. Nepos. 2, 5, 4. *Minus diebus triginta in Aſiam reuerſus eſt* pro paucioribus *quam diebus trig.* Petronius: *Minus duabus horis mecum moraris.* Cicero pro Roſc. *Annos natus magis quadraginta* pro

plures quam quadrag. Terentius Adelph. 2, 1. *Plus quingentos colaphos infringi* pro *plures quam quing.* Nepos 8, 4, 2. *Nolo amplius, quam centum jugera,* pro *nolo plura.* Idem 16, 2, 3. *Cum non eſſent amplius centum,* pro *non plures, quam centum.* Vide & Indicem in Nep. v. *amplius.*

MOX, quod Latini pro *deinde, poſtea,* dicant, non ſatis obſeruari, vel ſaltem raro ea notione vſurpari hodie videtur. Juſtinus 2, 4, 4. *Summouentes primo, mox etiam inferentes bella.* Item 9, 7, 3, *Vt in conuiuio antea primum cum Attalo, mox cum ipſo patre jurgaret.* Item 12, 12, 11. *Dotibus primo formæ pueritiæque, mox obſequiis regi percharus,* item 13, 1, *Quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat.* Et 43, 3, *Primum Italiæ & mox orbis imperium quæſitum.*

NEQVICQVAM pro fruſtra elegans; ſed non vſu tritum. De hoc Feſtus: *Nequicquam ſignificare idem, quod fruſtra, plurimis auctorum exemplis manifeſtum eſt.* Salluſt. Bel. Cat. *Vbi ſocordiæ tete ignauiæque tradideris, nequicqaam Deos implores.*

NIHIL, quamuis reuera nomen, idem-

idemque ſit, quod nulla res, tamen ſubinde ponitur aduerbialiter. Porro Comparatiuis cum additur pro *nihil* ponitur fere *nihilo;* idque ibidem pro *non* Liuius. 1, 23, *Si ſecum congreſſus ſit, ſatis ſcire, ea ſe allaturum, quæ nihilo minus ad rem Romanam, quam ad Albanam pertineant*: Vbi *Nihilo minus* eſt pro *nihil minus, non minus.* Idem Liuius 2, 29, *Exprobrantibus Conſulibus nihilo plus ſanitatis in curia, quam in foro eſſe.* Terentius Eun. 1, 1, *incerta hæc, ſi tu poſtules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam ſi cum ratione inſanias.* Vbi rurſus *nihilo plus* eſt pro *nihil plus, non plus.* Cicero 4, 14. ad Fam. *Niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas quam remp. offendiſſem.* Vbi *nihilo meliores* eſt pro *nihil meliores, non meliores.* Pari modo comparatiuis addunt ablatiuos *tanto, quanto, aliquanto, multo, paulo* dicuntque, *tanto melior, quanto melior, paulo melior.* Pro quibus tamen etiam dicunt *tantum, quantum, aliquantum, multum, paulum melior,* vt Groſippus, id eſt Schoppius in Parad. liter. ep. 5. demonſtrat. Exempli gratia Liuius 3, 15, *Quantum magis juniores patrum*

plebi

plebi ſe inſinuabant. Et 44, 7, *Quantum longius procederet.*

Præcipue vero hic notandum id, quod dixi, *nibilo minus* per ablatiuum dici pro, *nihil minus* ſeu *nihilum minus*, id eſt, non minus, quemadmodum *quanto minus, tanto minus, paulo minus.* Id enim vulgo non ſatis obſeruari videtur, putarique, *nihilo minus* reſpondere tantum noſtro *nichts deſto weniger;* non autem noſtro *nicht weniger.* Differunt ſane hæc nobis. Nam cum dicimus *nichts deſto weniger*, idem id eſt, ac ſi diceremus, *darum nicht weniger.* Et notius noſtris eſt quod *nihilominus* ſignificet *nichts deſto weniger*, quam quod ſignificet *nicht weniger.* Obſeruetur autem & illud, *nihilo minus*, cum reſpondet noſtro *nichts deſto weniger*, pro quo illud dicatur, nam & hoc vulgo ignorari videtur. Cum *nihilo minus* ſignificat *nicht weniger*, tum, vt dixi, eſt pro *nihil minus* vel *nihilum minus*, id eſt, non minus, *nihilo* enim eſt pro *nihilum*, vt *quanto minus* pro *quantum minus.* At cum *nihilo minus* reſpondet noſtro *nichts deſto weniger*, tum *nihilo minus* eſt pro *nihil eo minus*, id eſt, *non*

eo

eo minus: quaſi Germanice dicas, *deſwegen nicht vveniger.* Sic & *nihilo magis* dicunt pro *nihil eo magis, non eo magis.* Nepos 14, 10, 3, *Nihilo magis neque Colloquium ejus petiuit, neque in Conſpectum venire ſtuduit.* Sic & *nihilo ſecius* eſt pro *nihil eo ſecius, non eo ſecius.* Nepos 9, 2, 4. *Conon nihilo ſecius apud præfectos regis verſabatur.* Item, *nihilo ſegnius,* pro *nihil eo ſegnius, non eo ſegnius.* Nepos 14, 2, 4. *In quo cum ab Ariobarzane deſertus eſſet, nihilo ſegnius perſeuerauit.* Ipſum quoque *eo*, id eſt, ideo, in talibus ſeparatim vſurpant, dicuntque, *neque eo magis* pro *nihilo magis.* Nepos 4, 3, 5. *Neque eo magis carebat ſuſpicione,* pro *& nihilo magis carebat ſuſpicione,* vel, quod idem eſt, & *nihilo minus ſuſpicionem habebat.* Item 18, 4, 1, *Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo magis ex prœlio exceſſit, ſed acrius hoſtibus inſtitit.* Item 16, 1, 3, *Neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt.* Et 25, 8, 5, *Neque eo magis potenti adulatus eſt Antonio.* Sic & *neque eo minus* dicunt pro *nihilominus*, id eſt, nihil eo minus, non eo minus. Nepos 20, 4, 1, *Neque eo minus priuatis publicisque rebus interfuit.* Et

pari

pari modo *neque eo ſecius* pro *nihilo ſecius*, i. e. vt diximus, *nihil eo ſecius*. Nepos. 1, 2, 3, *Neque eo ſecius Athenienſibus officia præſtabat*. Sed quid noſtrum *deſto*, quod in talibus vſurpamus, & cujus originis illud? in antiquis MSTS. ſcriptum reperio *thes te mehr*, *thes te weniger*: Videturque *deſto* vox compoſita ex *des* & *te*; vt *des* ſit Genitiuus pro *deſſen*, & amplius pro *deswegen*, vt *nichts deſto weniger* dicatur pro *nichts deswegen zu weniger*.

PARVM pro non ſatis huc itidem referendum. Saluſtius B. Jug. *Parum tuta per ſe ipſa probitas eſt*. Et B. Catil. *Nobis ea res pro magnitudine parum comperta eſt*. Cicero 2. fin. *Sed tu iſtud dixiſti bene latine, parum plane*. Seneca de ir. c. 17. *Alexander Clitum, cariſſimum ſibi & vna educatum, inter epulas transfodit, & manu quidem ſua, parum adulantem & pigre ex Macedone & libero in Perſicam Seruitutem tranſeuntem*. Sic & *paruum* dicunt pro non ſatis magno. Juſtinus 8, 1, *Quaſi parua ſupplicia cædibus & ruinis luiſſent*.

PRIVATIM vulgo opponitur tantum

tum ei, quod ſit publice. At veteres *priuatim fieri* etiam illud dixerunt, quod vulgo dicunt *ſpecialiter* & *in ſpecie fieri*. Cicero pro Quint. *Neque interea verbum interpoſuit Neuius, aut ſocietatem ſibi quippiam debere, aut priuatim Quintium debuiſſe.* Plinius l. 24. *Picis natura, excalfacit, explet, aduerſatur priuatim ceraſtæ morſibus.*

QVANDOQVE pro *interdum, nonnunquam*, frequenter hodie vſurpari videas; pro *olim aliquando*, non item. Atqui prior ille vſus in antiquiorum Scriptis. Nam quod in Theſauro Fabri, aliisque id genus libris ex Horatio citatur. *Quandoque bonus dormitat Homerus*, in eo *quandoque* non eſt pro *interdum, nonnunquam;* Sed pro *quando* vel *quandocunque*. Ceterum pro *olim, aliquando* vſurpari apud ceteres pasſim invenies. Juſtinus 7, 5, 5. *Cui Amyntas in ſcelere deprehenſæ, propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitioſam fore, pepercerat.* Ipſe Cicero 6, 20. ad Fam. *Ego me Aſturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* Suetonius Cæſ. 1. *Dummodo ſcirent, eum, quem incolumem*

mem

mem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus exitio futurum. Item Tib. 14. *Etiam regnaturum quandoque, ſed ſine regio inſigni.* Tacitus 6. Ann. 20. 3. *Et tu Galba quandoque deguſtabis imperium.*

QVARE vulgo putant tantum idem eſſe, quod, quam ob cauſam, & ſignificare finem. Verum & aliter vſurpatur, & ſignificat cauſam efficientem, ſic, vt aliquid fere παρέλκον habeat. Cicero pro Roſc. Am. *Permulta ſunt, quæ dici poſſunt, quare intelligatur.* Nepos Catone. *Multas res nouas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur.* In priore *quare* eſt pro *per quæ:* In poſteriore pro *per quas.* *Quare* vulgo fere non niſi, pro *propter quod* vſurpatur: vt *Quare hoc feciſti? Neſcio, quare mihi non ſit amicus.* Sed ſciendum, veteres vſurpaſſe etiam pro *per quod;* imo & pro *per quæ*, vt ad numerum pluralem referrent. Cicero pro Roſc. Am. *Multa ſunt, quæ* dici poſſunt, quare intelligatur, i. e. ex quibus, vel per quæ. Nepos 24, 2, 3. *Multas res novas in edictum addidit quare luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare*, i. e. per quas luxuria repri-

reprimeretur. Eſtque in talibus aliquid pleonaſmi. Quoniam præcedit *res nouas*, nihil attinebat *re* in *quare* repetere, ſed poterat ſcribi *per quas*, vt pronomen relatiuum cum præpoſitione *per* ſolum poneretur. Idem pleonaſmus eſt cum *quare* ponitur pro *propter quid*, aut numero plurali *propter quæ*. Cicero pro S. Roſc. *Quæramus igitur, quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri diſpliceret.* Pari modo & *quamobrem* aliquid pleonaſmi interdum habet. Exempli cauſa quod Cicero 7. in Verr. ſcribit, *Iſte multa ſigna dederat quamobrem aliquibus reſponſurus non videretur*, i. e. propter quæ ſcil. ſigna.

Aduerbii SECVS vſus notetur ille, quo pro *infauſte*, *infeliciter*, *male* vſurpatur; qui vſus & ipſe vulgo fere negligitur. Saluſtius B. Iug. *Prius tamen omnia pati decreuit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea, ſecus ceſſerat.* Et ep. 2. de Rep. Ord. *Si morbo jam aut fato huic imperio ſecus accidat: cui dubium eſt, quin per orbem terrarum vaſtitas, bella, cædes oriantur?* Suetonius *Tib. 2. Multa multorum*

Claudiorum egregia merita: multa ſecus admiſſa in remp. exſtant. Cicero 6. 22. ad Fam. *Magna conſolatio eſt, cum recordere, etiamſi ſecus acciderit, te tamen recte vereque ſenſiſſe.* Et 3, 6. ad Famil. *De tuo in me animo ne quis ſecus exiſtimandi videris nonnihil loci dediſſe.* Ad quem locum Caſaubonus: *Vt Græcis ἄλλο καὶ ἕτερον, Latinis* aliud *per εὐφημισμὸν ponitur in ſignificatione mali,* ſic & ſecus *vſurparunt pro κακῶς.* Liuius, 7, 6. *Perinde vt eueniret res, ita communicatos honores pro bene aut ſecus conſulto habitura.* Tacitus 2. Ann. *Quæ de matre ejus locuta ſecus argueretur.* Plinius Paneg. *Meminerint ſic maxime laudari incolumem imperatorem, ſi priores ſecus meriti reprehendantur.* Atque ita extra viciniam quoque τȣ̃ *bene* ea notione collocatur: quo de & Gronouius ad Liuii 7, 6, monuit.

VEHEMENTER fieri non tantum illud dicitur, quod cum motu & ſtrepitu aliquo fit, ſed &, quod a quieſcentibus, & vel prorſus tacitis, peragitur. Cicero 1, 3. ad Fam. *Vehementer confidit his meis literis, ſe apud te gratia-*

tioſum fore. Et 1, 9. *Quem ego auctorem*, Platonem puta, *vehementer ſequor.*

VSQVAM & NVSQVAM non putandum eſt idem modo eſſe, quod *vllo in loco*, & *nullo in loco*, ſunt enim idem quoque, quod *ullum ad locum* & *nullum ad locum.* Cicero 1. Philipp. *Nec vero usquam diſcedebam, nec a rep. dejiciebam oculos.* Idem 6. in Verr. *Oculos de iſto nusquam dejicere.* Et 7, Att 3. *Mihi certum eſt ab honeſtisſima ſententia digitum nusquam*, ſcil. diſcedere. Nepos 25, 4, 2. *Nusquam eam a ſe dimittebat.* Præterea ſunt quoque idem, quod *ex vllo loco*, & *ex nullo loco.* Nepos 1, 4. 3. *Auxilium nusquam, niſi a Lacedæmoniis petiuerunt.* Quia dicunt *auxilium nusquam petere*, dixerint quoque *auxilium usquam petere.*

CAPVT. VIII.

DE

PRÆPOSITIONVM QVARVNDAM VSIBVS VVLGO FERE NEGLECTIS.

ANTE, quod in narrationibus vſurpatur, cum, quid vno, aut pluribus annis ante factum ſit, ſignificandum eſt, hic quoque obſeruari meretur. Solet in talibus *ante* vt adverbium vſurpari, ac præcedere ablatiuus. Cæſar. 1. B. Gall. 31. *Propterea quod pluribus menſibus ante Harudum millia hominum XXIV ad eum veniſſent.* Cicero 1. Tuſc. *Themiſtocles aliquot ante annis, cum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior.* Nepos 1, 8, 1. *Athenienſes propter Piſiſtrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium ſuorum ciuium potentiam extimeſcebant.* Sed potuiſſet in his ipſa quoque præpoſitio vſurpari, ſcribique *ante paucos menſes, aliquot ante annos, ante paucos annos.* Et vnius ſane iſto-

iſtorum diuerſam lectionem Gothofredus notauit; quod ſcil. in Tuſc. Quæſt. quidam Codd. habeant, *aliquot ante annos*. Sed hujus generis plura videamus. Nepos 14, 11, 2. *Huc Mithridates cum vno, cui maxime habebat fidem, ante aliquot dies venit.* Liuius 23, 44. *Victis ante diem tertium,* fugatis paucis diebus ante. Suetonius Aug. 98. *Masgubæ ante annum defuncti tumulum cum animaduertiſſet magna turba frequentari*, pro *anno ante.* Sic & ſequente *quam.* Suetonius Cæſ. 9. *Ante paucos dies quam ædilitatem iniret*, pro paucis diebus ante quam æd. in. Et Tib. 14, *Ante paucos quam reuocaretur dies.* Item c. 24. *Ante paucos quam obiret dies.* Sic Iuſtinus 18, 3, 5. *ante annum Trojanæ cladis* dicit pro anno ante Trojanam cladem. Deinde & conciſe dicunt *ante hæc ſponſalia* pro antequam hæc ſponſalia fierent, Nepos 25, 20, 1. & *ante illum imperatorem* pro antequam ille imperator fieret, idem 11, 1, 3, Sed nec illud negligendum, quod dicunt, *ante diem aliquem aliquid fieri,* cum tamen ipſo illo die id fieri intelligendum ſit. Seneca in lib. de morte Claudii Imp. quem

ἀποκολοκύνθωσιν inſcripſit: *Quid actum ſit in cœlo ante diem tertium* Id. *octobris Aſinio Marcello, Acilio Auiola Coſſ. anno nouo initio ſeculi feliciſſimi, volo memoriæ tradere.* Voluit ille exponere, quod Claudius Imp. exſtinctus eſſet: idque factum dicit *ante diem tertium Iduum Octobris.* Suetonius autem in Claudio eadem de re ſic habet: *Exceſſit III.* Idus Oct. Aſinio Marcello, *Acilio Auiola Coſſ.* Et Tacitus 12. Ann. Sic: *Tunc medio diei, tertio ante idus Octob. foribus palatii repente diductis comitante Burro Nero egreditur.* Ex quibus apparet, *tertio id. Oct.* & *tertio ante Id. Oct.* & *ante diem tertium Id. Octobris*, vnum eundemque diem ſignificare, & quidem decimum tertium Octobris. Vide Ciacconii Notas in Cæſaris de B. Gall. 1, 7, 6, Pro *ante* in talibus dicunt quoque *in ante* & *ex ante.* Cicero in Catil. *in ante diem VIII. Kal. Nou.* pro octauo die Kal. Nouembr. Vide & Theſ. Fab. a Buchnero locupletatum.

CVM quod ſubinde pro *apud* ponatur, vulgo non ſatis obſeruari videtur. Plautus Ciſtell. 1, 2, 15. *Quæ ſæpe me-*

mecum mentionem fecerat, Puerum aut puellam aliunde vt reperirem tibi recens natum. Cicero 5, 2, ad Fam. *Satis habeas, nihil, me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri.*

EX quod ſubinde pro *a* vel *ab* ponitur, vulgo parum animaduerti videtur. Virgilius 12, Æn. *Pœnam ſcelerato ex Sanguine ſumit.* Liuius 23, 2, *Vt ſupplicii ſumendi vobis ex improbo & deteſtabili ſenatu poteſtas eſſet.* Valerius M. 7, 6, ext. 3, *Ex hoc nimirum hoſte tanto duci pœna magis, quam victoria petenda fuit.* Dicunt vulgo *pœnam ſumere, capere, recipere, exigere, petere, expetere, repetere ab aliquo.* Deinde pro *a* vſurpant quoque *de* in talibus, dicuntque, *ſupplicium ſumere de aliquo, pœnas exigere de aliquo.* Ouidius 8. Metam.

Nam de matre manus diri ſibi conſcia facti
Exegit pœnas.

Vide & Ind. in Nep. a nobis locupletatum v. *Supplicium.* Denique in talibus, vt dixi, & *ex* vſurpant. Valerius Max. qui ſupra dicebat *victoriam petere ex aliquo*, dicit & *victoriam referre, triumphum referre ex aliquo* pro *ab aliquo.* Vt 3, 6, 4, *Naualem*

ualem triumphum ex Pœnis retulit, Et 9, 3, 4, *Ex Latinis victoriam in vrbem referenti*. Porro hic notetur, quod *ex* pro *poſt* ponunt. Cæſar 1. B. Ciu. 22. *Prouinciam ex pretura habuerat*. Et c. 70. *Ex magnis rupibus nactus planitiem*. Nepos, 3, 4, 2, *Ex maximo bello tantum otium conciliauit*. Lucceius in ep. ad Cic. quæ eſt XIV. Libri V. *Animus defatigatus, qui nunc requietem quærat ex magnis occupationibus*. Notetur & illud, quod dicunt, *ex pecunia ædificare, reficere aliquid*. Nepos 13, 4, 1. *Quos muros auus ex hoſtium præda reſtituerat, eos nepos ex ſua re familiari reficere coactus eſt*. Vide & Ind. in Nep. a nobis locuplet. Plin. l. 10. ep. 34. *Erit pecunia ex qua fiat*. Vetus Inſcriptio ap. Gruterum p. 242, *Addito ex pecunia ſua portu*.

IN, quod ſubinde pro *propter* vſurpetur, notandum hic videtur, Valerius Max. 5, 9, 3, *Vt ſuſpectus in parricidio, & ob id latens, per triumuirum conquireretur*. Salluſtius pro eo diceret ſuſpectus ſuper parricidio. Ad hunc modum enim ille B. Jugurth. *Suſpectus ſuper aliquo ſcelere*. Ita dicunt *gloriari in aliqua re, re-*

pre-

prehendi in aliqua re, plecti in aliqua re. Cicero 2, 16, ad Fam. *Memini in hoc genere gloriari ſolitum, quod nunquam bello ciuili interfuiſſet.* Nepos 25, 11, 6, *Cauit, ne qua in re jure plecteretur.* Idem 4, 1, 3, *Primum in eo eſt reprehenſus, quod ex præda tripodem aureum Delphis poſuiſſet. &c.* Et 20, 4, 3. *ſe in ea re maximas Diis gratias agere atque habere:* Et 4, 2, 6. *In quo facto domum reuocatus.* Rurſus Cicero 3, 1, ad Quint. Fr. *Quantum ego dolui in Cæſaris ſuauiſſimis literis.* Et 6, 2, ad Fam. *Nihil eſſe præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat vniuerſis.* Item 3, 8, ad Fam. *Ne, in quo te objurgem, id ipſum videar imitari.*

Inter ea, quæ a Latine ſcribentibus hodie fere negliguntur, eſt & illud, quod Latini dixerunt, hanc vel illam affectionem animi, hanc vel illam virtutem eſſe in aliquo, cum dicendum fuit, aliquem hac vel illa affectione animi, hac vel illa virtute præditum eſſe. Exempli gratia, cum dicendum fuit, *aliquem eſſe comem,* dixerunt *comitatem eſſe in aliquo.* Quarum enunciationum, cum o-

mnimoda ſit æquipollentia, propter modum prædicandi tamen, vt cum Dialecticis loquar, eædem diſcrepant. Cum enim prior ſit logice enuntians, & aliquid eſſe aliquid dicat, altera Phyſice enuntians eſt, quippe quæ ita enuntiant, vt aliquid alicui ineſſe, vel in aliquo eſſe ſignificet. Neque vero rarum iſtud loquendi genus, ſed longe frequentiſſimum eſt, ac proinde in vſum merito reuocandum. Cicero l. 16. ep. 1. *Vide, quanta in te ſit ſuauitas*, pro *vide, quam ſuauis tu ſit*. Item lib. 1. ep, 1: *Si eſſet in iis fides, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus*, pro *ſi ii fideles eſſent, qui maxime tales eſſe debebant*. Item lib. 1. ep. 7. *ſi eſſet fides, ſi grauitas in hominibus conſularibus: ſed tanta eſt in pleriſque leuitas*. Rurſus l. 2. ep. 5. *Ea para, meditare, cogita, quæ eſſe in eo Ciue ac Viro debent, qui ſit remp. in libertatem vindicaturus*. Quæ in Curione eſſe debere cenſebat, nihil aliud ſunt quam virtutes. Sic & l. 3. ep. 10. *Illud mihi per mirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe in eo adoleſcente*. Item: *Quibus temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit*. Et l. 4.

c. 2.

c. 2. *Similis in vtroque noſtrum error fuit.* Et l. 4. ep. 13. *Ea quidem facultas vel tui vel alterius conſolandi in te ſumma eſt.* Et l. 9. ep. 19. ad Att. *Ea in me eſt beneuolentia.* Præcedit, *Tanta ejus humanitas.* Pro quo ad alteram formam dicere itidem potuiſſet, *Tanta in eo eſt humanitas.* Rurſus l. 6. ep. 13. ad Fam. *Mirifica eſt improbitas in quibusdam.* Et in Brut. *Erant in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam & reconditæ.* Nepos 1, 8, 4, *In Miltiade erat cum ſumma humanitas, tum mira comitas: magna auctoritas apud omnes Ciuitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima.* Hic non vnum, ſed omnino varia in Miltiade fuiſſe dicuntur: Suntque ejus, quam dixi, locutionis plura hic exempla. Idem Nepos 25, 1, 3, *Erat in puero præter docilitatem ingenii ſumma ſuauitas oris & vocis.* Saluſtius B. J. *in conſule noſtro multæ bonæque artes animi & corporis erant.* Juſtinus 6, 5. *In quo non imperatoriæ tantum, verum & oratoriæ artes fuere.* Item 13, 1. *Ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac ſapientiæ magnitudo in omnibus fuit, vt, qui eos ignoraret, non ex*

vna

una gente, ſed ex toto terrarum orbe electos putaret. Rurſus 2, 9, 14. *Tantam in eo virtutem fuiſſe, vt non tot cædibus fatigaretur.*

Sed non tantum dicunt, *eſt in aliquo hæc vel illa affectio, hæc vel illa virtus*, ſed & verbo compoſito *ineſt in aliquo* & *ineſt alicui hæc vel illa affectio, hæc vel illa virtus.* Cicero in lib. de fin. b. & m. *ineſſe neceſſe eſt in eo, qui ita ſit affectus, firmitatem animi.* Saluſtius B. Cat. *Huic homini non minor vanitas inerat, quam audacia.* Nepos 15, 5, 2. *Illi genti plus ineſt virium, quam ingenii.* Item 7, 1, 4, *Vt omnes admirarentur in vno homine tantam ineſſe disſimilitudinem, tamque diverſam naturam.* Quidam tamen libri verbo ſimplici habent, *tantam eſſe ſimilitudinem.* Sed alteram lectionem tuetur Gebhardus illo Taciti Hiſt. 4, 27, 6. *Tanta illi exercitui diuerſitas inerat licentiæ patientiæque.* Si autem ſimiles locutiones huc aliquid faciant, ipſa verba Ciceronis, Saluſtii & Nepotis alia, quæ produximus, præcipue reſpicienda hic fuerint. Cicero quidem prorſus conſimiliter dicit: *Ineſt*

Ineſt in aliquo firmitas animi. Ad quem modum & Terentius Andr. 5, 2, *Triſtis ſeueritas ineſt in vultu, atque in verbis fides.* Idem vero & verbo ſimplici ſubaudito, adjectiuoque nomine *ſitus* addito dicit, *fidem & taciturnitatem in aliquo ſitam eſſe.* Vt Andr. 1, 1, *Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem, quam paro: ſed his, quas ſemper in te intellexi ſitas, fide & taciturnitate.*

POST præpoſitio, eodem modo pro *poſt* aduerbio, ponitur, vt *ante* præpoſitio, pro *ante* aduerbio. Cicero pro Roſc. *Aliquot poſt menſes occiſus eſt*, pro *aliquot menſibus poſt.* Item 2. Philip. *Poſt diem tertium veni in ædem Telluris*, i. e. tertio-die poſt, tribus diebus poſt. Varro 5 de L L. *Saturnalia dicta a Saturno, quod eo die feriæ ejus, vt poſt diem tertium Opalia Opis.* Vide Notas Ciacconii in Cæſ. de B. Gall. 1, 7, Nec aliter ſequente *quam.* Nepos 3, 3, *Deceſſit fere poſt annum quartum, quam Themiſtocles Athenis erat expulſus*, id eſt, *quarto anno poſt.* Item 10, 5, 3, *Poſt diem tertium quam Siciliam attigerat*, pro *tertio die poſt.* Denique

nique ſequente caſu ſecundo. Iuſtinus 38, 8, 1, *Poſt annos tres & viginti ſumpti regni*, i. e. tribus & viginti annis poſt quam regnum ſumpſerat. Et 14, 3, 8, *Poſt tot annos emeritorum ſtipendiorum*, pro tot annis, poſtquam ſtipendia emeruerat. Deinde eleganter multa conciſe dicunt. Vt Iuſtinus 8, 1, *Quaſi poſt arma & bellum locum legibus reliquiſſent*, i. e. poſtquam arma & bellum ſumpſerant. Nepos 25, 9, 5, *Neque poſt calamitatem verſuram facere potuit*, i. e. poſtquam in calamitatem incidit. Martialis:

Maſtuprabantur Phrygii poſt otia ſerui,

i. e. poſtquam otia nacti erant. Rurſus Iuſtinus, 1, 6, *Ingens poſt neceſsitatem pugnandi animus exercitui eius acceſsit*, i. e. poſtquam neceſſitatem pugnandi ſibi impoſitam viderunt. Et 10, 1, *Poſt noua paternæ pietatis exempla interficiendi patris conſilium cepit*, i. e. poſtquam noua paternæ pietatis exempla edita fuerunt. Valerius Max. 4, 6, ext. 1, *Poſt conquiſitorum omnis generis honorum, monimentique vſque ad ſeptem miracula prouecti magnificentiam*, i. e. poſtquam omnis generis honores

con-

conquiſiuit, & monimentum vſque ad ſeptem miracula prouectum fuit. Sic *poſt Athenas deuictas* Nepos 16, 1, 3, dixit pro poſtquam Athenæ deuictæ fuerunt, Et 25, 5, 3, *Hanc poſt rem geſtam non ita multis diebus*, pro non ita multis diebus, poſtquam hæc res geſta fuit.

PROPTER, quod cauſam notet, ſatis vulgatum eſſe, ait Schorus; ac modo illud obſeruari vult, quod idem quoque ſit, quod prope aut apud; ſed quia cauſſarum genera ſunt varia, non ſatis notum videtur, quod non tantum finis, & id, quod impellit, ſed & alia cauſſarum genera hoc vocabulo exprimantur. Lucceius in ep. ad Cic. quæ eſt 14. libris inter epp. Ciceronis: *Tu ſolus aperta non videbis, qui ſolus propter acumen occultisſima perſpicis.* Ipſe Cicero 13, 17. ad Fam. *Sin propter verecundiam ſuam minus ſe tibi obtulit.* Nos id dicimus *aus Schambafftigkeit*. Idem pro Roſc. *Suſceptum onus aut propter perfidiam abjicere, aut propter imbecillitatem animi deponere.* Noſtri *aus Vntreu, aus Schwachheit des Gemüths* Nepos 15, 7, 1, *Cum eum propter inuidiam Ciues præficere* ex-

exercitui noluiſſent. Noſtri *aus Misgunſt.* Virgilius pro eo dicit *ob inuidiam.* Vt l. 2. Æn. *Pulſus ob inuidiam regno.* Rurſus Cicero 5. Parad. *Qui legibus non propter metum paret.* In talibus igitur cauſſa minus principalis, quam vocant, & quidem *προηγουμένη* hac vocula notatur. Sed ſubinde cauſſam quoque principalem notat. Plautus Amph. 4, 1, *Quis fuerit, quem propter corpus ſuum ſtupri compleuerit.* Cicero pro Mil. *Quod enim præmium ſatis magnum tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus ſeruis, propter quos viuit?* Item, *Propter eosdem non Sanguine & vulneribus ſuis, Crudeliſſimi inimici mentem oculosque ſatiauit.* Item, *Propter quem ceteri lætarentur.* Rurſus p. Roſc. *Vt propter quos ſuauiſſimam hanc lucem aſpexerit, eos indigniſſime hac luce priuauerit.* In quibus omnibus *propter* eſt pro *per* & cauſam efficientem principalem notat.

PARS

PARS II.

DE CONSTRVCTIONE VULGO NEGLECTA.

Cap. I.

DE CONSTRVCTIONE NOMINVM ET VERBORVM.

Illud vulgo negligitur, quod nominibus voluntatem aut facultatem ſignificantibus Latinis non tantum gerundium in Di, ſed & in Dum terminatum, cum præpoſitione *ad* ſubjicere libello de Lat. falſo ſuſpecta cap. 20. docuimus; itidem eam ob cauſam, quod linguæ vernaculæ nimis affine illud, ac non ſatis Latinum, eſſe ſuſpicentur. Dicunt Latini non tantum *tempus faciendi*, *ſpatium faciendi*, ſed & *tempus ad faciendum*, *ſpatium ad fac.* Cicero 5. in Verr. *Etiamſi ſpatium ad dicendum noſtro commodo vacuosque dies habuiſſemus.*

Iuſtinus 8, 5. *Neque ſpatium erat inſtruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia.* Vbi manifeſte *ſpatium ad dicendum, tempus ad contrahenda aux.* eſt pro *ſpat. dicendi, tempus contrahendi.* Vide ſic plurima id genus alia in prædicto loco. Et adde illud Ciceronis I, 9. ad Fam. *Nulli improbo ciui locus ad uiolandam remp. eſſe potuiſſet.* Et illud Curtii l. 5. *Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus fuit.*

Nomina, quæ cum Genitiuo aut Ablatiuo conſtruuntur, quod ſubinde & cum Ablatiuo præpoſitione *in* vel diſerte addita, vel ſubaudienda conſtruantur, parum obſeruari videtur. Dicitur ſane *prudens alicuius rei*, ſed dicitur quoque *prudens in aliqua re.* Cicero de Amic. *Acilius prudens eſſe, in iure ciuili putabatur.* Et Hyginus 14, *Augurio prudens* pro *in augurio pr.* Idem fab. 92. dicit, *omni artificio ſcius* pro in omni artif. *Scius* autem antiquum eſt, pro ſciens, apud Pacuuium, Nonium, & al. Sic & *iure peritus* dicunt pro *in iure peritus.* Item *rudis in arte.* Propertius 3, 5.

Pari

Pari modo, quæ Datiuum adſciſcunt, conſtruuntur itidem interdum cum Ablatiuo, addita aut ſubaudita præpoſitione. Sic dicitur *deditus in aliqua re*. Catullus Epithal. Mallii. *Non tuus leuis in mala deditus vir adultera*, pro malæ adulteræ deditus. Lucretius l. 3. *In pugnæ ſtudio quod dedita mens eſt.*

Recte ſane dicitur ABSTINERE *ab aliqua re*, ſubaudito pronomine reciproco *ſe*. Sed non negligenda tamen prorſus eſt phraſis plenior, *abſtinere ſe aliqua re*; ſed & ipſa nonnunquam vſurpanda. Sane veteres illi, quibus lingua vernacula fuit pronomen reciprocum, non ſemper ſubaudiendum relinquunt, ſed ſubinde diſerte illud adiiciunt. Nepos 25, 22, 3. *Cum biduum cibo ſe abſtinuiſſet*. Cicero l. 7. ep. 26. *Qui me oſtreis & murænis facile abſtinebam.*

De Verbo ACCVSARE notetur illud, quod non tantum dicunt, *accuſare aliquem alicuius rei*, ſed &, *accuſare ſuperbiam, auaritiam, perfidiam alicuius*. Cicero l. 7. ep. 16. *Superbiam tuam accuſant*. Item l. 2. ep. 1. *Non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum*,

(neglectum puta) *quam iocandum requiri.* Et l. 4. ep. 4. *Cæſar accuſata acerbitate Marcelli, laudataque æquitate tua.* Nepos Lyſand. *In quo* (libro) *accuratiſſime eius auaritiam peruidiamque accuſaret.* Iuſtinus 2, 15. *Tarditatem collegarum accuſans.* Ceterum verbi *accuſare* ipſa quoque illa ſignificatio obſeruetur; quod videlicet extra iudicium quoque & in rebus priuatis locum habeat, vt ex his, quæ produxi, manifeſte apparet. Et monuit quoque hac de re Manutius in Notis ad ep. 1. lib. 1. Ciceronis; & quidem ad illa verba, *Pompeium & hortari & orare, & iam liberius accuſare, & monere, vt magnam infamiam fugiat, non deſiſtimus.* Produxit quoque idem Manutius ibidem verba Ciceronis ex. 3. de off. *Accuſabit patrem filius, nefaria de patria cogitantem*, in quibus quippe *accuſabit*, ſit pro *reprehendet.* Porro eadem ratione, qua dicunt, *accuſare ſuperbiam alicuius*, pro *accuſare aliquem ſuperbiæ*, vel *nomine ſuperbiæ*, *propter ſuperbiam*, dicunt quoque, *increpare alicuius ſuperbiam*, *contemnere alicuius ignauiam*, pro *increpare aliquem nomine ſuperbiæ*, vel *propter ſuper-*

ſuperbiam, contemnere aliquem propter ignauiam. Iuſtinus 11. 3. *Studia* (Thebanorum) *in Perſas non præſentia tantum, verum & vetera aduerſus Græciæ libertatem increpantes.* Liuius lib. 3. *Non illi veſtram ignauiam contempſere, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt; quippe toties fuſi fugatique, caſtris exuti, agro mulctati, ſub iugum misſi, & ſe & vos nouere.* Vbi *non illi veſtram ignauiam contempſere* eſt, pro *non illi vos propter ignauiam contempſere,* vel *quod ignauos & timidos vos putarent.* Neque enim *ignauia* laborum fugam tantum, & ignauus tantum idem, quod *piger,* ſed aliquid etiam aliud ſignificat. *Ignauus miles* dicitur, qui hoſtem timet, & abiectis armis fugit. Cicero 2. Tuſc. *Vt enim ſit in prœlio, vt ignauus miles ſimul ac viderit hoſtem, abiecto ſcuto, fugiat.*

Occaſione verbi *accuſare,* de cuius conſtructione quædam modo agebam, reuocor in memoriam alterius cuiusdam conſtructionis, non eiusdem tantum, ſed & variorum aliorum verborum; quod videlicet dicunt quoque, *accuſare aliquem in aliqua re, gratias alicui agere in aliqua re,* & id genus alia:

in quibus *in* idem eſt, quod *de* vel *propter*. Cicero l. 2. ep. 9. *In quo cum obiurgarer*. Rurſus l. 2. ep. 16. *Memini in hoc genere gloriari ſolitum eſſe Q. Hortenſium, quod nunquam bello ciuili interfuiſſet*. Et l. 3. ep. 11. *Te leuiter accuſans in eo, quod de me cito credidiſſes*. l. 6. ep. 2. *Nihil eſſe præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat vniuerſis*. Et l. 3. ep. 1. ad Q. Fr. *Quantum ego dolui in Cæſaris ſuauiſſimis literis*. Sic etiam dicunt, *plecti, reprehendi in aliqua re, gratias alicui agere in aliqua re*. Vide Indicem in Nep. a nobis locupletatum v. *in*. Apparet, conſtructionem eam ſatis frequentem fuiſſe apud veteres. At hodie quotusquisque ita loquitur, aut ſcribit? Eſt igitur hoc quoque in vſum reuocandum.

Conſtructio verbi ADDERE, intercedente præpoſitione *in* cum nominibus, vulgo fere negligitur. Quotusquisque enim ſcribit, *addere aliquid in aliquid?* At veteres non tantum dixerunt, *addere aliquid alicui*, ſed & *addere aliquid in aliquid*. Corn. Nepos. 24. 3. 2. *Multas res nouas in edictum addidit*. Cicero

cero pro Cæc. *Cur ergo in illud quotidianum interdictum, vnde ille me vi deiecit, additur, cum ego poſſiderem.* Et in epp. ad Att. *Miſi ad te epiſtolas ad Martianum & ad Montanum: eas in eundem faſciculum velim addas.* Item: *In illam orationem Metellinam addidi quædam.* Plin. lib. 1. 13. 3. *In potus addere*, ſc. unguenta.

ADMITTERE *facinus* dicunt voculis *in ſe* ſubauditis; ſed & phraſi pleniore *admittere in ſe facinus.* Cicero 2. Philipp. *Ea in te admiſiſti, quæ a verecundo amico audire non poſſes.* Auctor ad Herenn. *Aduerſarii hoc in ſe facinus admiſerunt.* Quare his quoque, qui hodie Latine ſcribere conantur, non modo *admittere facinus*, ſed & *admittere in ſe facinus* dicendum fuerit. Plautus quoque Menæch. 5, 1. plene ſcripſit. *Quid tandem admiſi in me, vt loqui non audeam?* Sic enim legendum ex MSS. recte iudicat Taubmannus; non, ut aliæ editiones habent *in te.* Terentius Adelph. 4, 5. *Ut me hoc delictum admiſiſſe in me*, id mihi vehementer dolet.

ADUOLARE cum caſu ſine præpoſitione, vulgo ignotum eſt. Cic. 1. 2.

ad Att. *Hic tibi roſtra Cato aduolabit.* Alibi dicit, *aduolare ad, aduolare in.* Pari modo dicunt, *aduolui genua vel genibus*, & habet ita nominatim Tacitus in lib. 1. Ann. Vid. index Freinshemii. *Sic adſidere mœnia*, adiacere mare. Nep. 13. 2. 1. Lucret. 5. 545. Aliter dicunt, *adiacere alicui.*

AGGREDI *ad aliquam rem*, non minus recte dicitur, quam *aggredi aliquam rem.* Cicero pro Mur. *Cæterorum ornamentorum omnium, quibus fretum ad conſolatus petitionem aggredi par eſt.* Et 1. de Nat. *Antequam aggredior ad ea, quæ a te diſputata ſunt.* Liuius 1. 42. *Aggreditur inde ad pacis longe maximum opus.* Ita in ſex MSS. ſe reperiſſe, teſtatur Gronouius.

CIRCVMDARE *alicui aliquid*, æque recte dicitur ac *circumdare aliquid aliqua re.* Ad eum modum Scribonius Largus, *circumdare denti medicamentum*, dicit pro *circumdare dentem medicamento.* Liuius 3. 26. *Munitiones circumdant* ſc. caſtris, pro *munitionibus circumdant caſtra.* Et 21, 42. *Circumdata ad ſpectaculum exercitu* ſc. militibus. Ergo *circumdare* exer-

exercitum militibus dicitur, pro *circumdare milites exercitu.* Iuſtinus 5, 8, 1. *Obſidione circumdata obſeſſos fame vrgent:* Dicunt ergo non tantum, *obſidione aliquos circumdare*, ſed & *obſidionem aliquibus circumdare.* Sic & 4, 4, 5, *munitionibus circumdatis, hoſtes etiam marinis commeatibus in vrbe clauſos intercludunt. Munitionibus circumdatis* duo ablatiui ſunt conſequentiam deſignantes, vt Grammatici loquuntur: diciturque, *munitiones circumdare alicui*, vt ſupra & ex verbis Liuii intellectum. Rurſus Iuſtinus 1, 2, 7. *Murum vrbi circumdedit.* Et 1, 6, 4. *Circumdata via ſylua.*

CIRCVMFVNDERE *alicui aliquid*, perinde dicitur, vt *circumdare alicui aliquid*; neque tantum *circumfundere aliquid aliqua re.*

COMPARARE *cum aliquo*, vulgo notum eſt: quod autem dicant quoque *comparare ad aliquem*, id rarius. Terentius Eun. *Ne comparandus quidem ad illum eſt.* Liuius l. 3. *Tantam vaſtitatem in ſabino agro reddidit, vt comparati ad eum prope intacti bello fines Romani viderentur.*

CONUENIRE non tantum dicitur *alicui*, ſed & *ad aliquem*, & *in aliquem*. Cicero pro Sulla: *Conuenit ad eum hac contumelia.* Nepos 7, 3, 4. *Hoc maxime conuenire in Alcibiadem videbatur.* Varro de re ruſt. c. 19. *Neutrum horum ad omnem agrum conuenire puto.* Scribonius Largus c. 23. *Res, quæ in hac compoſitione ſunt, non vtique conueniunt ad antiquas.* Idem in Præf. *Reſpondet ad cibos curatio*, pro *reſpondet cibis*: quomodo & Palladius 1, 5, *reſpondere ad vota*, pro *reſpondere votis*.

DESPERARE *de aliqua re*, notum eſt; ſed *deſperare alicui rei* aut *perſonæ*, non perinde notum. Loquuntur tamen ita Auctores non raro. Cicero pro Cluent. *Is eum promiſſis ſuis excitauit, & ſimul ſaluti deſperare vetuit.* Et in Or. poſt red. in Sen. *Bonos viros lugere malui meas fortunas, quam ſuis deſperare.* Et 1. Philipp. *Qui cum oppido deſperaſſent, munire arcem cœperunt.* Et pro Mur. *Quoniam ſibi hic ipſe deſperat.*

Recte ſane dicitur, DISSENTIRE *ab aliquo*, *diſſidere ab aliquo*, *diſcrepare ab aliquo*: nec male talia vulgo uſurpantur. Sed

Sed ſciendum, eſſe & aliam iſtorum verborum conſtructionem, non, vt vulgo fere fit, negligendam. Dicunt enim Latini etiam, *diſſentire cum aliquo, diſſidere cum aliquo, diſcrepare cum aliquo.* Cicero Orat. pro Syll. *L. Sylla cum Octauio Collega diſſentit.* Item 3. de Off. *Ego etiam cum Catone meo ſæpe diſſenſi.* Et 1. ad Herenn. *Cum videtur Scriptoris voluntas cum Scripto diſſentire.* Valerius Max. 3, 8, ext. 1. *Dacium acerrimo ſtudio ſecum in adminiſtratione reip. diſſidentem.* Idem 5, 1, ext. 3. *Ut officii proſpectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo diſſidebant.* Suetonius Tiberio 7. *Cum Iulia primo concorditer vixit, mox diſſedit.* Subaudiendum enim *cum illa*, non *ab illa*, niſi enim ipſa quoque illa præpoſitio *cum*, quæ anteceſſit, ſubaudienda eſſet, non potuiſſet præpoſitionem omittere. Rurſus Cicero 4. de fin. *Quibuscum re conueniebat verbis diſcrepare.* Subaudiendum & hic *cum illis*; & quidem ob eandem, quam modo dixi, cauſam. Item 2. de fin. ut Curio citat, in Lexico, *diſcrepant facta cum dictis.*

ERVM-

ERVMPERE non niſi intranſitiuum verbum eſſe quidam putant. Quo etiam factum, vt varia veterum Auctorum loca quibusdam corrumperentur, potius quam emendarentur. Exempli gratia apud Liuium 36, 7, male lectum fuit, *vt erumpere diu coercita ira in hoſtes communes poſſit;* cum legendum ſit, *erumpere diu coercitam iram,* ut a magno eius Auctoris Soſpitatore Gronouio eſt monitum. Eſt omnino id verbi tranſitiuum proprie, & caſum quartum adſciſcit: qui, ſi diſerte adiectus non ſit, ſubaudiendus tamen eſt; & quidem pronominis reciproci: vt *erumpere,* ſi nullus quartus caſus adiectus ſit, dicatur pro *erumpere ſe,* quomodo ſupra *abſtinere,* pro *abſtinere ſe.* Sed plura Auctorum loca videamus. Cicero 16, 3, ad Att. *Ne in me ſtomachum erumpant.* Et in Aratæis:

Aetriferos validis erumpunt flatibus ignes.

Cæſar 3. de B. Ciu. *In eas indiligentiæ ſuæ ac doloris iracundiam erupit.* Sic enim legendum viri docti monuerunt. Tibullus l. 4.

Fontibus vt dulces erumpat terra liquores.

Deinde, ſi actio reflectatur in ipſum agentem,

tem, dicunt *erumpere ſe.* Cæſar. 2. de B. Ciu. *Portis ſe foras erumpunt.* Cœlius ep. 14. ad Cic. *Ad bellum ſe erumpit.* Virgilius 1. Georg. *Denſa inter nubila ſeſe diuerſi erumpunt radii.* Et 4. Georg.

Et caput unde altus primum ſe erumpit
Cenipeus.

De verbis ESSE & FACERE notetur, quod adſciſcant non duos, ſed vnum genitiuum, quodque dicatur, *eſſe muneris, eſſe beneficii, eſſe ditionis, eſſe iuris* : itemque *facere muneris, facere beneficii.*

Illud notum, quod verbum *eſſe* adſciſcat duos genitiuos, unum nominis ſubſtantiui, alterum nominis adiectiui : exempli gratia, *eſſe maximi animi, eſſe ſapientis conſilii, eſſe magni pretii, nullius pretii.*

Verum, quod dicant etiam, *eſſe muneris, eſſe beneficii alicuius,* id non adeo notum in vulgus. Ouidius lib. 2. am. eleg. 13.

Lenis ades, precibuſque faue, Lucina, puellæ :
Digna eſt, quam iubeas muneris eſſe tui.

Sunt quidem & hic duo genitiui, ſed unus eſt pronominis : pro quo & alterius

rius nominis ſubſtantiui genitiuus poni poteſt, & diſcrepat hoc omnino ab alteris illis. Iuſtinus l. 42. c. 5. *Nam & ipſe* (Tyridates) *reſtitui in regnum deſiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, ſi eius regnum muneris eorum* (Romanorum puta) *fuiſſet*. In quibus duplex eiusdem generis conſtructio apparet, *Parthia eſt iuris Romanorum*, *Regnum Tyridatis eſt muneris Romanorum.* Tale & illud eſt eiusdem Iuſtini 38, 3. *Cappadocia iuris eſſe Mithridatis cœpit.* Nec multum diſcrepat illud eiusdem 5, 7. *Nec aliud ditionis Athenienſium præter vrbem ipſam reliquit.* Vi enim verbi ſubſtantiui genitiuus ille *ditionis* locum hic habet. Rurſus Ouidius lib. 14. Metamorph.

Numinis inſtar eris ſemper mihi, meque fatebor
Muneris eſſe tui.

Horatius lib. 4. Od. 3.

Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digiti prætereuntium.

Hic res quædam dicitur eſſe muneris Melpomenes: in verbis Ouidii autem ipſa perſona dicebatur muneris alicuius eſſe.

eſſe. Et ſenſus vtriusque quis ſit, varie intelligitur. Nimirum res quædam muneris alicuius eſſe dicitur, ſi a quopiam ſit profecta, ſi alicui accepta ſit referenda: perſona autem muneris alicuius eſſe dicitur, ſi cuipiam incolumitatem, & proſperam fortunam ſuam acceptam referre debeat.

Phraſin *beneficii ſui aliquem* FACERE, habet Seneca 3. de benefic. c. 18. *Adeoque dominis ſerui beneficia poſſunt dare, vt ipſos ſæpe beneficii ſui fecerint.* Sic enim legendum eſſe; non vt Lipſius emendare voluit *beneficia ſua*, docet Gronouius lib. 4. Obſerv. c. 9. Iuſtinus 13, 4. *Reuerſus inde* (Perdiccas) *inter Principes prouincias diuidit, ſimul vt & remoueret æmulos, & munus imperii, beneficii ſui faceret.* Item 24. 2. *Cum quibus non ideo ſe armis contendiſſe, quoniam eripere his regnum; ſed quod id facere ſui muneris vellet.* Tacitus lib. 15. Annal. c. 52. v. 5. *Plerique Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitauiſſe, Piſonem crediderunt; ne aut libertatem moliretur,* (ſic Lipſius legendum cenſet) *vel delecto imperatore alio ſui muneris remp. faceret.* Et quemadmo-

admodum, vt paulo ante oſtendimus, dicunt ditionis aliquorum eſſe, Cauſaub. ad Suet. Claud. 23. Ita quoque dicunt, *ditionis aliquorum aliquid facere, iuris aliquorum aliquid facere.* Liuius 7, 31. *Adeo infractos gereret animos,* (populus Campanus) *vt ſe ipſe ſuaque omnia poteſtatis alienæ faceret.* Sed huic de dedentibus ſe & fidei alienæ ſe committentibus phraſis vſurpatur. Poſſit tamen is quoque poteſtatis alicuius facere, aliquos dici, qui potentia ſua atque armis efficit, vt ſub poteſtate atque in deditione alicuius ſint aliqui. Nec minus, qui in poteſtatem ſuam ipſius aliquos redigit, poteſtatis ſuæ eosdem facere dici poſſit. Sane Iuſtinus 34, 1, 5, ſcribit ſic, *ſingulos vrbes proprii iuris facere.* Dicitur autem, *muneris ſui, beneficii ſui aliquid facere;* itemque *poteſtatis alienæ, poteſtatis ſuæ aliquos facere,* pro *facere, vt aliquid ſit muneris ſeu beneficii ſui, facere, vt quidam ſint poteſtatis alienæ, poteſtatis ſuæ:* vt adeo phraſes hæ in alteras illas *muneris alicuius, beneficii alicuius eſſe* reſoluantur. Sic conciſus loquendi modus eſt, quod dicunt, *ditionis alicuius aliquid relinquere,*

pro

pro *relinquere aliquid, vt ſit ditionis alicuius.* Iuſtinus 5, 7, 3. *Nec aliud ditionis Athenienſium præter vrbem ipſam reliquit.* Item quod dicunt, *urbs nunc Lacedæmoniorum, nunc Athenienſium juris habita eſt.* Vide eundem Iuſtinum 9, 1, 3. Rurſus quod dicunt, *in Aſiam Perſarum iuris aliquem mittere*, pro *in Aſiam, quæ eſt Perſarum iuris.* 9, 5, 8. Alterius generis conciſa locutio eſt, quod dicunt, *facere poteſtatem alicuius, facere optionem alicuius*, pro *facere vt poteſtas, vt optio ſit alicuius.* Liuius 27, 8. *Senatus populi poteſtatem ferit ;* puta maximi curionis creandi ſiue a patribus ſiue a plebe. Ita enim legendum ; non *populo*, docuit Gronouius e MSS. Salluſtius B. Iug. *Cum Pœni aliam conditionem, tantum modo æquam, peterent, Græci optionem Carthaginenſium faciunt.* Dicunt ſane, *optio tua eſt, optio illius eſt.* Plautus Caſ. 2, 4. *Optio hæc tua eſt : vtram harum vis conditionem accipe.* Inde porro eſt, quod dicunt, *facere optionem alicuius*, pro *facere, vt optio ſit alicuius.*

Verbum EXCVSARE, quod accuſatiuum & datiuum perſonæ adſciſcat, id

notum: quod vero ſolum quoque accuſatiuum rei adſciſcat, dicaturque, *excuſare morbum*, pro *excuſare ſe de morbo*, id non vulgare eſt. Liuius 23, 8. *Ipſe valetudinem excuſans.* Et 26, 22. *Valetudinem oculorum excuſauit*, id eſt, vt Berneggerus ad Iuſtini 18, 7. exponit/ *in ſui excuſationem adduxit.* Valerius Max. 6, 4. ext. 2. Eumque (conſulatum puta) *ſub excuſatione aduerſæ valetudinis oculorum recuſaret.* Ubi *excuſatio aduerſæ valetudinis dixit*, quia dicitur, *excuſare aduerſam valetudinem.* Cæſar 1. de B. Ciu. *in ſe excuſationem ætatis nihil valere*, dicitur ergo &, *excuſare ætatem.* Svetonius Aug. c. ult. *Excuſata rei familiaris mediocritate.* Iuſtinus 18, 7, 16. *Belli neceſſitatem excuſat.* Tacitus Annal. 5, 1. *Excuſare magnitudinem negotiorum.* Et 3, 11. *diuerſa excuſare.* Curtius 5, 10, 8. *Excuſare conſternationem ſuam*, & 3, 12, 17, *excuſare ignorationem nunquam viſi regis.* Sed conciſæ iſtæ phraſes, quibus aliis explicandæ. Berneggerus ad Iuſtini 18, 7. Verba Liuii, *valetudinem ocul. excuſauit*, explicat his ſuis, *valetudinem ocul. in ſui excuſationem adduxit.*

duxit. Sed dubito ego, an ſic dicant Latini, *adducere aliquid in ſui excuſationem.* Hoc ſcio, dicere eos, *afferre excuſationem*, dixerim potius, *excuſare morbum, valetudinem oculorum*, eſſe conciſe dictum, pro *excuſare ſe morbi cauſa, valetudinis oculorum cauſa.* Video enim Ciceronem 12, 14. ad Att. ſcribere, *excuſari morbi cauſa.* Deinde apud Liuium 38, 52. pleniorem phraſin reperio hanc: *L. Scipio morbum cauſam eſſe, cur abeſſet, excuſabat.* Item: *Cum L. Scipio excuſet, morbum cauſam eſſe fratri.* Ergo, *excuſo morbum*, fuerit pro *excuſo morbum mihi cauſam fuiſſe.*

EXPONERE *de aliqua re*, non perinde notum eſt, ac *exponere aliquid.* Nepos 16, 1, 1. *Cuius de virtutibus dubito quemadmodum exponam.* Cicero 1, 9, ad Fam. *Tum hoc non in poſtremis, de quo cœperam exponere.* Sic & dicunt, *deferre de aliqua re*, pro *deferre aliquid.* Nepos 14, 7, 1. *Filius ad regem tranſiit, & de defectione patris detulit.* Item 14, 9, 2. *De quibus, quoq; inimici detulerunt, neque credendum, neque negligendum putauit.* Eſtque illud DE plane frequens in con-

 ſtruen-

ſtruendis nominibus cum verbis. Sic enim dicunt quoque, *de ſcelere comperire, de vxore exprobrare, de voluntate alicuius explorare, de morte alicuius obiicere.* Brutus in Epiſtola ad Cic. quæ eſt tertia libr. XI. *Te miramur, non potuiſſe continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caſaris obiiceres.* Nepos 23, 2, 2. *Ad quem, cum Legati veniſſent Romani, qui de eius voluntate explorarent.* Idem 4, 5, 3. *Poſtquam de ſcelere filii comperit.* Et 15, 5, 5. *Deſine de Vxore mihi exprobrare.* Pari modo Cicero Or. in Piſ. dicit: *Mitto de amiſſa maxima parte exercitus*, pro *mitto vel omitto maximam partem exerc.* Nam Orat. pro Mur. Caſu quarto dicit: *Mitto prœlia, prætereo oppugnationes oppidorum.* Et in epp. ad Att. *Mitto illam fugam, conciones.* Porro dicunt: *deplorare de aliqua re*, pro *deplorare aliquam rem.* Cicero pro Seſt. *Neceſſario mihi de iisdem rebus eſſe arbitror, ſi non vtilius diſputandum, vt certe dolentibus deplorandum.* Vide & Schorum v. deploro.

IMMINERE, quod cum caſu tertio conſtruatur, notum eſt: quod vero & cum quarto caſu, intercedente præpoſi-

poſitione, conſtruatur, paucis obſeruatum videtur. Dicunt igitur non tantum, *imminere alicui*, ſed & *imminere in aliquid* & *ad aliquid*. Cicero 15, 17, ad Att. *Ipſe autem eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebam.* Fuit autem tyrotarichus cibi genus, cuius Cicero & alibi mentionem facit, & confectionem docet Apicius libro 4. Rurſus Cicero pro Dom. *Qui imminere iam cupiditate videtur in tribunitiam poteſtatem.* Et 2. Verr. *Ille infeſtus in omnia maria ex omnibus Siciliæ partibus imminebat.* In altera illa pro Dom. Oratione loquitur & ſic: *Homo ad cædem imminens.*

IMPLICARE, conſtruitur ſane cum caſu tertio, diciturque, *implicitus morbo, implicitus magnis rebus:* ſed dicunt tamen etiam vi præpoſitionis, *implicitus in morbum.* Ita Nepos c. 3, 4, & 17, 8, 6. Sed & caſum ſextum eiusdem vi præpoſitionis verbum adſciſcit, diciturque, *implicitus tyrannide Dionyſiorum.* Ita rurſus Nepos 10, 1. Eſtque, *implicitus tyrannide*, pro *implicitus in tyrannide.* Cicero 2. de Fin. *Implicare ſe ſocietate omnium.*

Et 1. de Off. *Implicari certo genere, curſuque viuendi.*

IMPONERE *in aliquo,* non magis ſuſpectum eſſe debet, quam *imponere alicui* & *in aliquid.* Cicero 1. de Nat. D. *Impoſuiſtis in ceruicibus noſtris ſempiternum dominium.* Valerius Max. 5, 3, ext. 3. *Tantum non in eculeo ab Athenienſibus impoſitus eſt.* Quintilianus Procemio lib. 1. *Summam manum imponere in aliqua re.* Pari modo dicunt, *includere in carcere.* Liuius 38. *Vt in carcere inſtar furis & latronis vir clariſſimus includatur, & in robore ac tenebris exſpiret.* Item *infundere aurum in ſtatuis.* Iuſtinus 32, 4, 5. *Auro ſuo in ſtatuis infuſo.* Vbi ante hac legendum putabam *ſtatuis* vel *in ſtatuas:* nunc autem nihil mutandum iudico. Ad eum modum & Columella 6, 4, *in naribus infundere,* dicit. *

* Plura de his habes in Grammatica Marchica, hoc anno edita, p. 683.

INCVMBERE non tantum dicitur *in aliquam rem,* ſed & *ad aliquam rem:* & æque etiam frequenter. Cicero pro Mur. *M. Cato incumbens ad illius perniciem.* Et pro Sylla: *Nemo fuit ex eis,*

qui

qui non incubuerit ad remp. liberandam. Et l. 10. ep. 10. ad Fam. *Incumbe toto pectore ad laudem.* Et 4. in Cat. *Incumbite ad ſalutem reip.* Et 2, 16, ad Att. *Incumbamus ad ſtudia.*

INHIARE *aliquam rem*, non tam notum, quam *inhiare alicui rei.* Fuit tamen & prius ſatis uſitatum olim. Virgilius Georg. 2. *Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.* Plautus Stich. *Illic homo ſuam hereditatem inhiat.* Fit autem conſtructio hæc vi præpoſitionis *in*, cum qua verbum ipſum eſt compoſitum; non aliter, quam quæ præceſſerunt, *aduolare Roſtra, aduolui genua.* Et quomodo in his præpoſitio ipſi quoque nomini adiicitur, atque ita geminatur quaſi, diciturque, *aduolui ad genua:* ita plane pro *inhiare aliquam rem*, dicunt quoque, *inhiare in aliquam rem.* Sulpicius Seuerus, auctor non inelegans Dial. 3. c. 11. *In bona eorum inhiauerat.*

INSIGNIS adſciſcit vſitatiſſime ablatiuum, diciturque, *inſignis auro & purpura, inſignis pietate, inſignis vitiis.* Sed dicunt etiam, *inſignis ad laudem, inſignis ad memoriam crudelitatis, ad deformitatem.*

Cicero Oratore : *Res inſignis ad maximam laudem.* Et l. 3. ep. 11. ad Fam. *De inſignibus ad laudem viris nihil obſcure nuntiari ſolet.* Et pro Dom. *Acerbitas Syllani temporis, quid habet, quod maxime ſit inſigne ad memoriam crudelitatis?* Et 3. de fin. *Cui contingit, vt iure laudetur, habet inſigne quiddam ad decus & ad gloriam.* Et 3. de leg. *Inſignis ad deformitatem puer*, pro *inſignis deformitate*, *inſigniter deformis.* Nimirum non tantum in laudem, ſed & in vituperium vſurpatur, vt ſupra pluribus eſt demonſtratum. Giſanius in Obſeruationibus Lat. ling. ex Cicerone citat quoque, *in aliquo inſigni ad irridendum reperiantur.* Quod quidem eſſet tale, qualia ſunt, quæ nunc ſubiiciemus. Nimirum pro ſupino poſteriore ſubinde & gerundium ponitur cum præpoſitione *ad* dicitur, *difficilis ad credendum*, pro *difficilis creditu.* Cuius generis varia in lib. de Latinit. f. ſuſp. p. 212. congeſſimus. Quibus addere licet, quod Cicero 2. de fin. dicit, *cibus facillimus ad concoquendum.* Et l. 10. ep. 5. ad Fam. *Cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem adjudican-*

candum. Et ſunt hæc talia, vt propter conuenientiam quandam cum ſtructura linguæ vernaculæ, & quod non ſatis Latina quibusdam videantur, ab iisdem negligantur, vt alterius libri dicto loco docuimus. Ceterum vt inſignis non tantum gerundium cum præpoſitione *ad* penes ſe habebat, dicebaturque *inſignis ad irridendum*, ſed varia quoque nomina cum eadem præpoſitione: Sic & *difficilis.* Non tantum enim *difficilis ad credendum*, ſed & *difficilis ad fidem* dicunt. Liuius lib. 3. *Difficile ad fidem eſt in tam aliqua re, quot pugnauerint, ceciderint, exacto affirmare numero.* Porro vt dicebatur *inſignis ad laudem*, ita dicunt quoque, *mirabilis ad laudem:* id, quod & Gifanius in ſuis Obſeruationibus notandum putauit. Cicero pro Dom. *Virum virtute, conſilio ratione vita mirabili ad laudem & prope ſingulari.*

Sunt verba, quæ vi præpoſitionis, cum qua ſunt compoſita, certum caſum adſciſcunt, vt præpoſitio & ſeparatim adiiciatur, vel non adiiciatur: vnum tamen in vulgus notius ſit, alterum minus notum. Dicunt INTVERI *ali-*

quem, dicitur & *intueri in aliquem:* INUADERE *aliquem*, & *inuadere in aliquem;* ſed prior conſtructio in vulgus eſt notior: altera tamen & ipſa optimi auctores vtuntur. Cicero in Bruto: *Mihi in te intuenti crebro in mentem venit.* Et 1. de Or. *Ac mihi quidem in ſummos homines intuenti, quærendum viſum eſt.* Dicit item *ad nutum intueri*, alia præpoſitione itidem ſeparatim poſita. Vt 5. Tuſc. *Delecti pueri ad nutum eius intuentes.* Deinde quotusquisque eſt, qui non potius dicat, *inuadere aliquem*, quam *inuadere in aliquem.* Et habet ita rurſus ipſe Cicero. Vt 2. Off. *Modo hoc malum in hanc vrbem inuaſit.* Et pro Seſt. *Neque quenquam offendet Oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, vt in eum non inuaſiſſe, ſed incurriſſe videamus:* Et pro S. Roſc. *Iſte in prædam huius inuadit.* Et 2. Philipp. *In multas præterea pecunias alieniſſimorum hominum inuaſit.*

NVBERE, quod cum caſu tertio conſtruatur, id notum. Sed ſciendum, quod & cum ſexto caſu, intercedente præpoſitione *cum* conſtruatur, dicaturque, *nubere cum aliquo.* Cicero in Top. *Cum*

Cum mulier fuiſſet nupta cum eo, cui connubii ius non eſſet. Et 15, 3. ad Fam. *Regis Parthorum filius, quo cum eſſet nupta regis Armeniorum Soror.* Item 6. in Verr. *Viri, cum quibus nuptæ erant.* Dicunt quoque, *in familiam nubere.* Cicero pro Cœl. *Cui cum ex ampliſſimo genere in ampliſſimam familiam nupſiſſet.*

OBSTARE *alicui a lumine, a ſole*, dicunt pro obſtare, quo minus lumen & radii ſolares ad aliquem peruenire queant. Valerius Max. 4, 3, ext. 4. *A ſole mihi velim non obſtes.* Tantundem Cicero 5, Tuſc. dicit his verbis, *nunc quidem paululum a ſole abſis.* Ergo, quod Cicero dicit, *abeſſe a ſole*, pro eo Valerius dicit, *non obſtare a ſole.* Lucanus 1, v. 59. *Pars ætheris illa ſereni tota vacet, nullæque obſtent a Cæſare nubes.* Ubi *obſtare a Cæſare*, idem eſt, quod impedire, quo minus radii aſtri Cæſaris pertingere ad aliquem poſſint. Nam *Cæſar* eſt pro aſtro eius, & huius quidem radiis.

Verbi OBSTRVERE conſtructio nota eſt illa, qua dicitur, *obſtruere aliquid aliqua re.* Qua quidem forma Cicero

cero in Catone ſcribit: *Qui iter pœnis vel corporibus ſuis obſtruere voluerunt.* Vbi præter accuſatiuum & ablatiuum rei etiam datiuus perſonæ apparet. Quod autem datiuum quoque rei, & ſolum quidem iſti verbo adiiciunt, id paucis, credo, animaduerſum eſt. Cicero pro Dom. *Contendit vt C. Poſthumius ſibi domum venderet. Cum ille negaret, primo ſe luminibus eius obſtructurum eſſe minabatur.* Vbi *obſtruere luminibus alicuius*, idem eſt, quod facere, ne lumina ad aliquem peruenire poſſint. Idem Cicero in Phænomenis Arati carmine Latino ab ipſo expreſſis;

Sin autem officiens ſignis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes.

Vbi quid *obſtruere ſignis* ſit, facile apparet ex phraſi, quæ ſequitur *lucem adimere*; nimirum facere & impedire, quo minus ſigna cœleſtia a nobis videri poſſint. Et ita quidem verbum proprie vſurpatur. Deinde vero & figurate vſurpat idem Cicero, quod in Orat. pro Cluent. ſcribit: *Cato luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altius Oratio.*

Oratio. Iſti autem conſtructioni verbi gemina eſt illa verbi *obtegere*, qua vſus eſt Julius obſequens, quod in libello de Prodigiis ſcribit: *In Spoletino colore aureo globus ignis ad terram deuolutus, maiorque factus, e terra ad Orientem ferri viſus, magnitudini ſolis obtexit.* Et quidem in quibusdam editionibus, *magnitudinem ſolis obtexit;* verum altera lectio melior videtur, & mutata eſſe ab his, qui non obſeruaſſent, Latinos ſimiliter dicere, *obſtruere alicui.*

PARATVS, etſi participium ſit, tamen & ad nomina adiectiua referri poteſt. Dicitur autem *paratus* pro eo, qui parauit ſe. Valerius Max. 1, 4, 2. *Tib. Gracchus cum ad res nouas pararetur*, pro *pararet ſe.* Nimirum vt dicunt, *lauari* pro *lauare ſe*, *exerceri* pro *exercere ſe*, ita *parari* pro *parare ſe*, de quo plura capite 2. huius partis videbis; & porro *paratus* pro eo, qui parauit ſe. Sed non tantum dicunt, *paratus ad aliquam rem*, & *paratus alicui rei*, peragendam, aut peragendæ ſcilicet; ſed & *paratus aliqua re*, pro *inſtructus aliqua re.* Cicero pro Cæc. *Armatos appellamus, qui ſcutis armis-*

armisque parati ornatique ſunt. Cæſar. 3. de B. Gall. *Naues eorum paratisſimæ atque omni genere armorum ornatisſimæ.* Rurſus Cicero 5. Phil. *Ætate multo robuſtior, & militum ducem quærentium ſtudio paratior.* Addunt deinde & præpoſitionem, dicuntque *paratus*, *imparatus ab aliqua re.* Paratus ab exercitu, it. Cicero in epp. ad Att. *Sumus flagitioſe imparati cum a militibus, tum a pecunia.* Pari modo *inſtructus* cum ablatiuo intercedente eadem præpoſitione conſtruunt. Idem Cicero in Bruto: *Vt eo nihil ferme quisquam addere poſſet, niſi qui a philoſophia, a iure ciuili, ab hiſtoria, fuiſſet inſtructior.* Et hæc quidem plene ſcripta; ſi aliter ſcribatur, ellipſin eſſe cenſet Voſſius lib. de conſtruct. c. 47. Alii vero pleonaſmum eſſe exiſtimant, ſi præpoſitio adiiciatur. Sane quia dicitur, *inſtruere aliqua re*, ſimpliciſſimum habendum videtur, *inſtructus aliqua re*; alterum vero illud, *inſtructus ab aliqua re*, ad Syntaxin figuratam referendum.

Recte quidem dicitur, PENSARE *aliquid aliquo*, & COMPENSARE *aliquid aliquo*, ſed intercedere tamen & præ-

præpoſitio poteſt dicique, *penſare aliquid cum aliquo*, & *compenſare aliquid cum aliquo:* quemadmodum dicunt, *iungere aliquid cum aliquo*, & deinde præpoſitione geminata, *coniungere aliquid cum aliquo.* Cicero 5. de fin. *Cum maximis curis & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant voluptatem.* Et 2. de fin. *Rationes tuas te video compenſare cum iſtis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum.* Item: *Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia quam capiebam, memoria rationem inuentorumque noſtrorum.* Item: *Compenſabatur cum ſummis doloribus lætitia.* Sed & ſimplex, vt dixi, intercedente præpoſitione cum nomine conſtruitur. Ouidius 13. Metam. *Laudem vt cum ſanguine penſet.* Claudianus 4. Paneg. 23. *Laudem penſat cum crimine.* Iuſtinus 5. 2. *Parataque cum amiſſis imperia penſare.* Sic enim legendum; non vt vulgati Codices habent, *penſabant*, recte monuit Vir ſummus, I. Fr. Gronouius in lib. 4. Obſeruationum. Vt ita Alcibiadem parta imperia cum amiſſis penſaſſe intelligitur. Sed quid illud eſt, *parta imperia*

cum

cum amiſſis penſare? Et an non dicendum potius, *amiſſa imperia partis*, vel *cum partis penſare*; quomodo idem Iuſtinus lib. 25. dicit, *veluti damna amiſſæ Siciliæ Italiæque acquiſito Macedoniæ regno penſaſſet?* Dicitur vtrumque, *amiſſa partis penſare*, & *parta amiſſis* vel *cum amiſſis penſare*. Ouidius in epiſt. Briſeidis ad Achillem.

Tot tamen amiſſis te compenſauimus vnum.

Pro *tot amiſſos te vno penſauimus*, vel *compenſauimus*. Nimirum in talibus *penſare* & *compenſare*, idem eſt, quod *exæquare*, *parem facere*, *parem ducere*. Ita *multis amisſis vnum quendam compenſare*, idem eſt, quod *multis amisſis vnum quendam exæquare* & *parem eſſe ducere*. Et *parta amisſis*, vel *cum amisſis penſare*, idem, quod *parta amisſis exæquare & paria facere*, *tantundem adipiſci*, *quantum amiſeris*. Plinius 7, 40. *Bona malis paria non ſunt, etiam pari numero: nec lætitia vllo minimo mœrore penſanda.* Vbi *lætitiam mœrore penſare*, eſt *lætitiam mœrori parem ducere*. Idem Plinius 9, 25. habet ſic, *quæ crimina vna laude penſat.* Et eſt ſane conſtructio vſitatior, ſi dicatur, *multa crimina vna laude penſare*,

vitia

vitia virtutibus penſare, malefitia benefactis penſare, damna acquiſitis, amiſſa partis, aduerſa ſecundis, mœrorem lætitia penſare : vt ita id, quod malum eſt, re aliqua bona ac grata penſari dicatur. Sed dicitur tamen & ordine inuerſo, *laudem penſare crimine*, vel *cum crimine*, vt ex Claudiano oſtendimus, pro *laudem crimini exæquare, & parem reddere, tantum & virtutum præſtare, quantum vitiorum amiſeras :* Item *parta amiſſis*, vel *cum amiſſis, penſare*, pro *parta amisſis paria facere, tantum acquirere, quantum amiſeris*, vt oſtendimus ex Iuſtino. Sic ipſe quoque Cicero dicebat : *Cum maximis curis & laboribus compenſare eam, quam ex dicendo capiant, voluptatem*, pro maximis curis & laboribus eam, quam ex diſcendo capiant, voluptatem parem ducere. Item : *Rationes tuas te video compenſare cum iſtis doloribus*, τὸ *rationes tuas*, id eſt, inuenta tua, *cum doloribus compenſare*, idem eſt, quod inuenta tua doloribus opponere, & paria ducere, vt quantum doloribus angare, tantum contra ex inuentis tuis voluptatis capias. Alluditur illis verbis ad Epiſtolam Epi-

 curi,

curi, quam & ipſam Cicero in eodem illo lib. 2. de Fin. poſuit. Et quidem ipſius Epicuri epiſtolæ, vt a Cicerone Latine verſæ, verba ſic habent: *Cum ageremus vitæ beatum & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant veſicæ & viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Compenſabatur tamen cum his omnibus* (veſicæ & viſcerum morbis) *animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque noſtrorum.* Verborum Græcorum autem, quibus ipſe Epicurus vſus fuerat, vt ex Diogene Laertio videre eſt, poſteriora ſic habuere: *Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις* (*δυσεντερικοῖς πάθεσι*) *τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ.* Atque his reſpondent illa Latina, quibus Cicero ea vertit: *Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, &c.* Iam *ἀντιπαρατάσσεσθαι*, quo verbo Epicurus vſus eſt, ſignificat proprie, *contra hoſtem in acie ſtare.* Thucydides lib. 1. Οἱ Μακεδόνες ἱππεῖς *ἀντιπαρετάξαντο ὡς κωλύσοντες.* Quod ergo Epicurus ſcripſit: Τοῖς δυσεντερικοῖς *αὐτοῦ πάθε-*

σιν

σιν ἀντιπαρατάσσεσθαι τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγόντων αὐτῷ διαλογισμῶν μνήμῃ. Senſus eſt paſſionibus eius dyſentericis tanquam parem oppoſitam eſſe lætitiam animi, quam ex memoria cogitationum ac inuentorum ſuorum ceperit. Quod, quid aliud eſt, quam quantum doloris ex morbis capias, tantum contra lætitiæ ex memoria inventorum ſuorum ipſum capere? Eſtque hoc ipſum illud, quod Cicero expreſſit Phraſi, *eum morbis veſicæ & viſcerum compenſari animi lætitiam, quam memoria rationum inuentorumque ſuorum capiat.* Ex quo apparet, *animi lætitiam compenſari cum morbis*, idem eſſe, quod lætitiam animi morbis parem & æque magnum duci, ac ſint ipſi morbi. Vtitur Cicero, vbi ſuper verbis illis Epicuri diſſerit, & verbo actiuo, diciturque, *Rationes tuas te video compenſare cum iſtis doloribus.* Quod nihil poteſt eſſe aliud, quam rationes ſuas Epicurum doloribus ſuis pares feciſſe, id eſt, æque magnas res duxiſſe, atque eſſent doloris ſui. Vt ita appareat, *compenſare* quoque ad intellectum, & ad exiſtimationem

T 2 perti-

pertinere. Apud Senecam in Suaſoria VI, quo de Cicerone agitur: *Si quis tamen virtutibus vitia penſaret, vir magnus, acer, memorabilis fuit.* Nimirum *vitia virtutibus penſare*, videtur idem hic eſſe, quod *virtutes & vitia componere & librare, vtra pars ſit penſior:* vt ipſum hoc quoque ad exiſtimationem pertineat; ſecus quam ſummo viro I. F. Gronouio in Cap. 13. libri 4. Obſeruat. viſum eſt. Phraſi Ciceroniana, quam dixi, Liuius & ſic potuiſſet: *Si quis tamen virtutes cum vitiis compenſarit,* quemadmodum ſupra in verbis Plinii ſimplex *penſare.* Calpurnius Ecl. 4. *Sit Deus, & nolit penſare palatia cælo,* id eſt, nolit in terris manere, & palatia ſua cælo paria ducere. Idem Ecl. 3.

Qui metere occidua ferales nocte lupinos,
Dicitur & cocto penſare legumina pane.

Sic enim ex editionibus Romana & Pariſienſi legendum videtur; non vt in aliis habetur, *penſare legumina panem.* Eſt autem, *penſare legumina pane cocto, vel cum pane cocto*, idem, quod legumina pro pane cocto habere, leguminibus pro pane cocto vti.

Verbo-

Verborum QVERI & CONQVERI conſtructio fere illa negligitur, quod non tantum dicitur, *queri apud aliquem de aliqua re*, ſed & *queri aliquam rem*, & *queri cum aliquo*. Cicero lib. 5. ep. 2. *Satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri.* Sulpicius in Epiſtola, quæ eſt quinta libri quarti Epiſtolarum Ciceronis: *Quid eſt, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri poſſitis?* Rurſus Cicero l. 3. ep. 7. *A Pauſania audiui, cum diceret, te ſecum eſſe queſtum, quod tibi obuiam non prodiiſſem.* ep. 10. *Quererer tecum atque expoſtularem, niſi vt ſupra ſcripſi, purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accuſare te mallem.* Accuſatiui verbis iſtis adiecti exempla quoque paſſim reperiuntur. Cicero 2. de Or. *Accedebat, vt hæc tu pro rep. queri exiſtimarere.* Et in Or. pro Flac. *Non omnia, quæ dolemus, eadem iure queri poſſumus.* Item l. 5. ep. 8. ad Att. *Audiui Milonem meum queri per literas iniuriam meam.* Ceterum vocula *cum* in ea, quam dixi, conſtructione eſt, pro *apud:* qua vocula & ipſa Latinos hic vti minime nego. Sic & dixerunt, *expoſtulare cum*

 aliquo,

aliquo, pro *apud aliquem.* Cicero l. 5. ep. 2. *Lenis a te atque facilis exiſtimari debeo, qui nihil tecum de his ipſis rebus expoſtulem.* Sic & in his, quæ paulo ante ex ep. 10. lib. 3. produxi, vocula *tecum* æque ad verbum *expoſtularem* atque ad verbum *quererer* pertinet. Et eſt ſane tam *expoſtulatio* quam *querela* etiam amicorum. Cicero l. 8. ep. 7. Cum de Volumine Appii pleno querelæ ſcripſiſſet, ſubiicit deinde: *Cognoſce equitatem expoſtulationis tuæ.* De querela ipſa autem l. 3 ep. 11. ſic habet: *Quod genus querelæ mihi quidem videbatur eſſe amici*, Nec alia vis voculæ *cum* eſt, quod Plautus & Terentius per Archaiſmum dicunt, *orare cum aliquo.* Plautus Aſin. 3, 3, 72. *Hanc cui daturus es hanc, iube, petere atque orare mecum.* Et Rud. 3, 4, 68. *Ora tecum, ſenex, vt illam ſerues.* Terentius Hec. 4. 4. 64. *Egi atque oraui tecum, vxorem vt duceres.*

SVCCEDERE non cum tertio tantum, ſed & cum quarto caſu, intercedente aut non intercedente, præpoſitione conſtruitur. Cicero pro Dom. *Is tectum, quod imbris vitandi cauſa ſuccederet,*

ret, nullum habebat. Ita quidem Nizolius citat. Et alii malunt: Quo imbris vit. cauſa ſucced. Et 1. de Or. *Omnia ſub acumen ſtyli ſubeant & ſuccedant, neceſſe eſt.* Salluſtius B. I. *Cum murum hoſtium ſucceſſiſſet.* Sic & Tacitus. At Liuius lib. 23. dicit, *ad murum ſuccedere:* & lib. 1. *ſenſim ad montes ſuccedere.* Ad quem modum & Cæſar. l. 1. B. Gall. *Succedere ſub primam aciem.* Sed & præpoſitionem *in* interiiciunt, dicuntque, *ſuccedere in pugnam, in paternas opes, in vmbras, in alterius locum.* Quibus ſimile, quod Sulpicius meus Seuerus I. Hiſt. S. c. 35. ſcribit, *ſed in primo ſpeluncæ aditu reficiendi corporis gratia ſucceſſerat;* niſi quod pro more ſuo caſum ſextum pro quarto vſurpat. Supra tamen, & quidem c. 7. aliis congruenter ſcribit, *ſucceſſit in domum Bethuelis.*

CAP. II.

DE

CONSTRVCTIONE PASSIUA PRO ACTIUA, ET VERSA VICE.

Forma verborum paſſiua ſæpe vtuntur Auctores pro actiua, cum pronomine reciproco: quod & ipſum inter vulgo fere neglecta referendum videtur. Dicunt exempli gratia *lauari* pro *lauare ſe*, *exerceri* pro *exercere ſe*, & ſexcenta id genus alia. Nepos 15, 2, 5. *Exercebatur plurimum currendo & luctando;* ſed exercebat is ſe ipſe. Atque ipſum hoc, *exercere ſe ipſum*, extulit Nepos verbo paſſivæ formæ *exerceri*. Ita Val. M. 2, 1, 7. *Nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero, lauabatur.* Pari modo dicunt, *teneri* pro *tenere ſe*. Phraſeων, *tenere ſe oppido*, *tenere ſe non poteſt*, vt verbum actiuum pronomen reciprocum penes ſe habeat, exempla ſat multa congeſſimus in cap. 8. libri de Lat. f. ſuſp. Sed dicunt etiam, *teneri in vrbe*, pro

pro *tenere ſe in vrbe*, & *teneri non poteſt*, pro *tenere ſe non poteſt*. Cicero 16. 2. ad Fam. *Corcyræ tenebamur*, pro *Corcyræ nos tenebamus*. Plinius l. 5. ep. *Læta quod te in Vrbe teneri nuntiabant*. Rurſus Cicero 9. 8. ad Fam. *Tenere non potui, quin coniunctionem ſtudiorum amorisque noſtri, quo poſſem literarum genere, declararem*. Idem 16, 24. ad Fam. *Ego vix teneor, quin accurram*, pro *vix me teneo, vix tenere me poſſum*. Ovidius 4. de Pont. 1.

Non potuit mea mens, eſſet quin grata, teneri
Sit, precor, officio non grauis ira pio.

Iuſtinus 6, 7. *Teneri non potuit, quin acie decerneret*. Plautus Caſina, 2, 3. *Vix teneor, quin, quæ decent te, dicam*. Sed videamus eius generis adhuc alia, vt quam ſolennia ea ſint Latinis, liquido appareat. Florus 3, 3, 11. *Prouoluti Cimbri in Italiam*. Non prouoluerunt Cimbros alii; ſed prouoluerunt ſeſe ipſi. Et tamen Florus *prouolui* hoc dicit. Dicunt quoque, *prouolui genibus*, vel *ad genua alicuius*, pro *prouoluere ſe*. Tacitus 12. Ann. *Genibus eius prouolutus Mithridates*, pro *prouoluens ſe*. Liuius habet,

prouoluere ſe ad genua, ad pedes alicuius. Porro & *inſinuari* dicunt, pro *inſinuare ſe.* Lucretius 6. 802.

Carbonumque grauis vis atque odor inſinuatur
Quam facile in cerebrum, niſi aquam præceperis ante.

Vbi *inſinuatur* eſt pro *inſinuat ſe.* Sic *inſinuata* eidem Lucretio eſt, *quæ inſinuauit ſe.* Plura huius verbi vſus exempla beneficio Lexici Paræani in Lucretium reperire licet. Pari modo Lucretius dicit *moueri*, pro *mouere ſe.* Verba ſunt 4, 1267.

Idque ſua cauſa conſuerunt ſcorta moueri,
Ne complerentur crebro grauidaque iacerent.

Item *circumfuſa* pro *circumfundens ſe.* Vt 1. 39.

Hunc tu, diua, tuo recubantem corpore ſancto
Circumfuſa ſuper, ſuaues ex ore loquelas
Funde - - - -

Tale eſt & illud Virgilii Æn.

- - - *Quam mille ſecutæ,*
Hinc atque hinc glomerantur Oreades - -

Item

Item Lib. 2. Æn.

Et me quem dudum non ulla iniecta mouebant
Tela, neque aduerſo glomerati ex agmine Graii.

Nimirum *glomerantur* eſt pro *glomerant ſe*, & *glomerati* pro *glomerantes ſe*, ſubaudito ſe. Vt 2. Æn.

Addunt ſe ſocios Ripheus & maximus annis
Iphitus, oblati, per lunam, Hypaniſque Dymaſque.
Et lateri agglomerant noſtro.

Potuiſſet & hic forma paſſiua dicere, *lateri agglomerantur noſtro*, ſed & illud notandum, quod ſuperioribus conuenienter hic legitur, *oblati per lunam*, pro *offerentes ſe*. Sed a ligata oratione rurſus ad ſolutam veniamus. Valerius Max. 1, 4, 2. *Tib. Grachus, cum ad res nouas pararetur, auſpicia domi prima luce petiit.* Vbi *pararetur*, eſt pro *pararet ſe*. Idem 6, 4, 3. *Omnibus quonam ſententia eius inclinaretur expectantibus.* Vbi itidem *inclinaretur*, pro *inclinaret ſe*. Iuſtinus 3, 3, 5. *Ne imitatio in Luxuriam verteretur:* ſic & *verti in fugam*, idem dicit pro

pro *vertere ſe in fugam.* Vt 2, 12, 26. *Circumſpicientes fugam pelluntur Perſæ, & mox prœlio victi in fugam vertuntur.* Nec aliter 15, 4, 22, 39, 2, 7. Liuius 9, 22. *Eo intentius dictator in mœnia hoſtium verſus]* pro *uertens ſe.* Huc etiam pertinet, quod Cicero pro Arch. dicit, *tractata eſt*, pro *tractauit ſe.* Verba ſunt: *In eiusmodi perſona, quæ propter otium ac ſtudium, minime in iudiciis periculisque tractata eſt.* Sane *tractare ſe*, pro *gerere ſe*, Ciceroni non inſolens. Vt 3. in Catil. *Ita me in rep. tractabo.* Item 13, 12. ad Fam. *Quo in munere ita ſe tractauit.* Porro vero pro *perſona, quæ minime in iudiciis tractauit ſe*, dixit *perſ. quæ minime in iudiciis tractata eſt.* Porro pro *erumpere ſe* dicunt & *erumpi.* Primo quidem ignotum eſſe non poteſt, quod *erumpere* ſit *genuinum* verbum actiuum, quod caſum quartum adſciſcit, & ſi nullus caſus quartus diſerte additus ſit, pronomen reciprocum *ſe* tamen eſt ſubaudiendum. Tibullus lib. 4. ad Meſſall.

Fontibus vt dulces erumpat terra liquores.

Ait hic, *terram erumpere liquores*, pro *produ-*

producere, protrudere, propellere. Cicero in Aratæis:

Is triferos validis erumpunt flatibus ignes.

Vbi rurſus *erumpere* ἐνεργητικῶς poſitum. Hinc igitur dicunt, *erumpere ſe*, non ita ligata tantum, ſed & in ſoluta oratione. Cæſar. 2. de B. Civ. *Portis ſe foras erumpunt:* Cœlius ep. 14. ad Cic. *Ad bellum ſe erumpit.* Virgilius 4. Georg.

Et caput, vnde altus primum ſe erumpit Enipeus.

Et 1. Georg. *Denſa inter nubila ſeſe diuerſi erumpunt radii.* Quare cum *erumpere* omiſſo pronomine reciproco dicunt, eſt mera ellipſis, pro *erumpere ſe.* Porro vero pro *erumpere ſe*, ſuperioribus conuenienter dicunt & *erumpi.* Lucretius 6, 581.

- - - *Incita cum vis*
Exagitata foras erumpitur - - -

Ante dixerat, vim maximam quandam animæ, i. e. venti, in caua loca terræ ſe coniicere. Pari modo igitur dicere poterat, *vim iſtam animæ ſe rurſus foras erumpere:* ſed dicit tamen, *foras erumpi.* Pari modo 6, 435. dicit: *Hinc prorumpitur*

tur in mare venti vis, pro *prorumpit ſe.* Scribonius Largus Cap. 21. *Eadem ratione, cum ſanguis ereptus eſt.* Item: *Sanguinem venis ſubiectum cogunt magis erumpi per vulnus.* Huc etiam pertinet, quod Matius in epiſt. ad Cic. quæ eſt 28. libri XI. *ætate præcipitata* dicit pro *ætate præcipitante ſe.* Quod fluuios, hiemem, ætatem dicant *præcipitare*, pro *præcipitare ſe*, etiam in proſa oratione, id notum eſt, & multis exemplis demonſtratum eſt ſupra. Cæterum pro *ætas præcipitans ſe*, id eſt, ad finem vergens. Matius ſuperioribus illis conuenienter dixit, *ætas præcipitata.* Quod pecora *parci* dicunt, ſi per prata euntia decerpant gramina, eademque manticata deglutiant, id itidem huc eſt referendum. Nimirum cum pecora in pratis *paſci* dicuntur, ſenſus eſt, eadem in iisdem *paſcere ſe.* Virgilius Ecl. 1.

Ante leues ergo paſcentur in æthere
cerui &c.

Sic quidem ille ἀδύνατόν τι notare voluit. Sed intelligitur tamen ex his, ceruos recte dici in pratis & in ſilvis *paſci.* Atqui non eſcam illis quiſpiam ingerit, atque

atque ita cibat eos; ſed eſcam decerpunt, atque ita paſcunt ſeſe ipſi. Et hoc tamen ſuperioribus conuenienter verbo paſſiuæ formæ *paſci* effertur. Cicero 2. de N. D. *Cum cauea liberati pulli non paſcerentur*, i. e. non paſcerent ſe, non ederent. Et 1. de Diu. *Neceſſe eſt offa obiecta cadere fruſtum ex pulli ore, cum paſcitur.* Pulli cauea emiſſi a pullario & obiecta ab eodem offa, vel paſcebantur, vel non paſcebantur, i. e. vel eſcam capiebant, vel non capiebant. Ex quo apparet, *paſci* hic quoque dici pro *paſcere ſe*. Eſt hæc operatio quædam ipſorum pullorum naturalis, ſi cibum capiant, atque ita ſe ipſi paſcent. Atque ea ipſorum pullorum operatio verbo paſſiuo *paſci* effertur. Huc quoque refero, quod Sulpicius Seuerus dicit, vindicatus pro eo, qui vindicauit ſe de aliquo. Vt lib. 1. Hiſt. C. ſoc. e. 27. *Samſon parum ſe vindicatum ratus, vrgere omnibus incommodis profanam gentem non deſinebat.* Et Dial. 3. *Vel nunc aduerſum me graſſari deſinant vindicati.* Videantur & notæ noſtræ in ea loca Sulpicii. Dicunt, vt ſupra diximus, *prouolui ad*

genua,

genua, ad pedes alicuius, pro *prouoluere ſe*. Et pari modo dicunt quoque, *proſterni ad pedes alicuius*, pro *proſternere ſe*, & *humi ſterni*, pro *humi ſternere ſe*. Cicero pro Lig. *Precibus ac lacrymis proſtrati ad pedes.* Tacitus 3. hiſt. *Quanquam ſupplices manus tenderet humi plerumque ſtratus.* Dicunt item *conuerti* pro *conuertere ſe*. Florus 3, 3, 11. *Sublatis funditus Theutonis in Cimbros conuertitur* ſcil. *victor Romanus*, quod ex ſuperioribus ſubaudiendum. Sic & *conuerti ad arma*, 2, 18, 4. *conuerti ad populationes*, 3, 22, 8. Etiam ſimplex *verti* ſic vſurpatur. Liuius 26, 46. *Hi paſſim ad cædem oppidanorum verſi.* Item, *ad prædam victores verſi.*

ACCINGI *ad aliquid*, pro *accingere ſe ad aliquid.* Liuius lib. 2. *Proinde in hoc diſcrimen, ſi iuuat, accingere, vt in ſingulas horas capite dimices tuo.* Et l. 4. *Iam ad conſulatum vulgi turbatores accingi.* Et l. 28. *Quin igitur ad hoc accingeris.* Virgilius 2. Æn. *Accingunt omnes operi*, ſubaudito *ſe*. Pro quo potuiſſet, *accinguntur operi*, ſi verſus ita tuliſſet.

DEIICI

DEIICI *ex muro*, pro *deiicere ſe.* Liuius 5, 21. *Deiectis ex muro undique armatis.* Sic & apud Iuſtinum 12, 9, 11. ex cod. Iuntarum legendum putat Græuius: *Omnis exercitus muris deiectus.*

EFFVNDI pro *effundere ſe.* Liuius 6, 12. *Vbi illa vana iniecerunt miſſilia, & effuſi ſtantibus vobis ſe intulerint.* Iuſtinus item, *inferri* pro *inferre ſe.* Cicero pro Font. *Infeſtis prope ſignis inferuntur Galli in Fonteium, & inſtant atque vrgent ſummo cum ſtudio.*

EMERSA pro *emergens ſe*, dicit Valerius Max. 1, 4, ext. 1. Verba eius ſunt: *Ingens auium multitudo proximo lacu emerſa.*

FERRI pro *ferre ſe.* Virgilius 2. Æn. *Rurſus in Arma feror.* Paulo poſt altera forma dicit: *Meque extra tecta ferebam.* Ibidem, *flammam inter & hoſtes expedior*, eſt pro *expedio me*; & *hic ferro accingor rurſus*, pro *accingo me.*

FVSVS *per herbam*, dicit Virgilius, pro *fundens ſe per herbam.* Vt Georg. 2. *Ipſe dies agitat feſtos, fuſusque per herbam*, agricola puta. Et Æn. 1.

U *Fuſi-*

- - - *Fuſique per herbam*
Implentur veteris Bachi, pinguisque ferinæ.

VOLVTARI dicunt pro *volutare ſe.* Cicero 9, 3, ad Fam. *Cum omnes in omni genere & ſcelerum & flagitiorum volutentur*, pro *volutent ſe.* Vbi recte Manutius: *Hoc verbum actionem continet: & poſitum eſt de induſtria, vt inferiori verbo ceſſatio opponeretur.* Porro vt dicunt, *prouolui ad genua, proſterni ad pedes*, pro *prouoluere ſe, proſternere ſe*, dicunt quoque *proiici*, pro *proiicere ſe.* Cæſar. 2. B. C. 5, 3. *Vt templa Deorum immortalium adirent, & ante ſimulacra proiecti victoriam a Diis poſcerent.*

CAP. III.

DE

ELLIPSI ELEGANTIORE ET VULGO NEGLECTA.

Poteſt etiam ad conſtructionem Ellipſis referri, quia nomen huius figuræ inde eſt, quod aliquid deeſt conſtructioni. Atque elegantis ellipſeos

lipſeos exempla non pauca ſunt, vulgo non vſitata. Vox *partes* ſubinde ſane ad alias voces ſubaudienda eſt. Exempli gratia, quod Cicero in Orat. dicit: *Demoſthenes tribuit & primas & ſecundas actioni.* Item in Brut. *Velleius, ad quem tum Epicurei primas deferebant.* Et, *primas in cauſis agebat Hortenſius.* Nec tantum in iſtiusmodi figurata, ſed & in propria locutione ellipſis iſta obſeruatur. Proprie quidem de hiſtrionibus dicebant, quod alii primas, alii ſecundas, alii tertias tenerent, aut alii primarum, alii ſecundarum, alii tertiarum eſſent. Valerius 9, 14, 4. *Alter* (Lentulus) *ex quodam ſecundarum cognomen Spintheris traxit: alter* (Metellus) *niſi Nepotis a moribus accepiſſet, Pamphili tertiarum, cui ſimillimus ferebatur, habuiſſet.* Vide & Plinium 7, 12. Cicero 1. in Verr. nomen, quod iſti ſubaudiendum reliquerunt, diſerte adiecit, ſcripſitque, *vt in Actoribus Græcis fieri videmus, ſæpe illum, qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſſit aliquando clarius dicere, quam ipſe primarum.* Sed ſubinde ipſa vox *pars aut partes* non quidem ſubaudiri poteſt, ſed notio tamen partis alii

vocabulo ſimul ſubiicitur. Exempli cauſa, quod Nepos in Themiſtocle dicit: *Reliquum oppidum relinquunt*, pro *reliquam partem oppidi*. Et Cicero lib. 1. ep. 9. *Reliquum corpus imperfectum ac rude relinquerunt*, pro *reliquam partem corporis*. Subaudiri, vt dixi, ipſa vox *pars* non poteſt. Neque enim conſtructio Grammatica id permittit, ſed notio tamen *partis* hic involuta, atque alteri voci ſubiecta eſt. Quam ob cauſam ipſe Cicero prædicto loco non tantum, ſic vt dixi, ſcripſit, verum etiam voce *pars* diſerte addita, *Apelles Veneris caput & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, reliquam partem corporis incoatam reliquit*. Sic & voce *pars* adiecta Nepos in præfat. *Neque ſedet, niſi in interiore parte ædium*. Et in Dione: *Vt ſe e ſuperiore parte ædium deiecerit*. Et Plinius lib. 7, ep. 27. *Jubet ſterni ſibi in prima domus parte*. Sed frequentius tamen vox *pars* omittitur: idque eleganter prorſus, vt pro *interior pars domus* vel *ædium*, quod Nepos dicebat, Virgilius dicit, *interior domus*. Vt lib. 2, Æn.

At domus interior gemitu miſeroq; tumultu
Miſcetur - - -

Et

Et ibidem:

Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce,

pro *ſumma parte arcis.* Gemina ſunt lib. 7. Æn.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, - - -

pro *per ſummas partes graminum.* Et lib. 9.

Vidimus obſcuris primam ſub vallibus vrbem.

Id eſt, ſummas partes, faſtigia & culmina ædificiorum vrbis Pallantei: Et lib. 12.

At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
Proſpiciens tumulo, - - -

i. e. ex ſumma parte tumuli. Et ibid.

Loricam & ſummum deguſtat vulnere corpus.

I. e. ſummam partem corporis, & rurſus,

Imam inter galeam, ſummis thoracis & oras,
Abſtulit enſe caput - - -

I. e. inter imam partem Galeæ, & oras ſummæ partis thoracis, ſeu loricæ. Et denique Georg. 4.

- - - *Iamque arbore ſumma*
Confluere & lentis vuam demittere ramis.

I. e. ſumma parte arboris. Nec in oratione ligata tantum, ſed & in ſoluta, hic

U 3 loquen-

loquendi modus perfrequens eſt. In epiſtola ad Gerh. Titium cum nonnulla id *genus* protuliſſem, ſuſpicatus ille eſt ex Indice Kockerti in Terentium hauſta ea eſſe. Quaſi vero non paſſim talia obſeruentur; vt ex iſto indice haurire opus fuerit. Ipſe Cicero, vt oſtendimus, non modo dicit, *reliquam partem corporis*, ſed & *reliquum corpus*. Idem I. de Diu. *Ex eo auro, quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam in ſumma columna collocaviſſe*, i. e. in ſumma parte columnæ. Et l. 5. ep. 16. ad Att. *Appius, vt audiuit nos venire, in vltimam prouinciam ſe conicit Tarſum vsque, ibique forum agit*, pro *in vltimam partem prouinciæ*. Et l. 3. ep. 6. ad Fam. ſimiliter dicit: *In prima prouincia eſſe*, pro *in prima parte prou.* Sed & ſubinde idem Cicero ſcribit: *In extrema epiſtola, in extremis literis, in extremo libro*, pro *in extrema parte epiſtolæ, literarum, libri.* Loca notauit Schorus in libro de Phraſibus L. L. voce *extremus*. Sic & Cæſar l. I. de B. G. *Neque dubitare debeant, quin, ſi Heluetios ſuperauerint Romani, vna cum reliqua Gallia Æduis libertatem ſunt erepturi,*

pturi, pro *reliqua parte Galliæ.* Liuius 1, 21. *Tullii Hoſtilii in infima arce clara pugna aduerſus Sabinos fuerat.* Et 25, 6. *Sub læuo humero ſummum pectus geſo ictum eſt.* Valerius Max. 5, 7, 2. *Cum domo poſtica clam eſſet egreſſus*, pro *parte domus poſtica.* Terentius Phorm. 1, 4. *Quis eſt, quem video in vltima platea?* Iuſtinus 4. 5. *Eurimedon in prima acie fortiſſime dimicans.* Pari modo dicunt *in primo agmine.* Rurſus lib. 11. c. 6. *Hoſtem in intimum regnum accipere.* Ouidius l. 2. Am. el. 6.

Pſittacus extremo munus ab orbe datum.

Seneca l. 3. Nat. Qu. c. 7. *Quomodo poteſt imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tingit?* Florus 1, 13. *Manlius nocte ſubeuntes clangore anſeris excitatus a ſumma rupe deiecit.* Phædrus fab. 35.

Aquila in ſublimi quercu nidum fecerat.
Feles cauernam nacta in media peperat.
Sus nemoris cultrix fœtum ad imam poſuerat.

Vbi *ſublimis, media, ima quercus*, pro *ſublimi, media, ima parte quercus* poſitum

eſt. Nec aliter in Græcis fecerat Heſiodus lib. 1. Ἐργ. in his. Θυρ

- - - Οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρμιβαλάνυς, μέσση δὲ μελίσσας.

In montibus vero quercus ſumma quidem fert glandes, media vero apes. Ceterum ex Latinis iſtis apparet, quam ſolenne ſit Latinis vocem *pars* omittere, neque ipſam illam ſubaudiendam relinquere, ſed notionem tamen eius alteri vocabulo ſubiectam velle. Et eſt hic linguæ Latinæ idiotiſmus quidam, quo a noſtra multisque aliis Linguis diſcrepat. Neque enim, vt Latini *ſublimis* vel *ſumma arbor*, *media arbor*, *ima arbor* dicunt, ita Germani, *der oberſte baum*, *der mittlere baum*, *der unterſte baum*, vt videlicet notionem partis hic ſubiectam velimus. Et quia idiotismus is eſt linguæ Latinæ, quo a noſtra non parum diſcrepat, fit, vt non multum ille hodie vſurpetur, ſed dicatur potius, *ſumma*, *media*, *ima pars arboris*, quam *ſumma*, *media*, *ima arbor*. Iam

Iam ipſi quidem etiam Latini non modo alios idiotiſmos ſuos, vt in lib. de Latinitate faſo ſuſp. pag. 115. oſtendimus, ſed & ipſum hunc ſubinde negligunt, &, vt paulo ante oſtendimus, dicunt *interior pars ædium*, *ſuperior pars ædium*, *prima pars domus*, *reliqua pars corporis*, cum dicere poſſint, *interior domus*, vel *interiores ædes*, *prima pars domus*, *reliquum corpus*. Sed idiotiſmus tamen ille non ideo a nobis negligendus plane eſt; ſed quantum, vt vidimus, ab antiquis frequentatus, tantum & a nobis eſt frequentandus.

PARS

PARS III.

DE

VOCABVLORVM POSITV ET COLLOCATIONIBVS VULGO NEGLECTIS.

Conſtituerat auctor quatuor huius libri partes:

Primam, *de ſignificatione vocabulorum.*
Alteram, *de conſtructione.*
Tertiam, *de poſitu & collocatione.*
Poſtremam, *de ipſis vocabulis vulgo neglectis;*

id, quod ex præfixa diſpoſitione, ſiue generali conſpectu intelligis. Tertiam vero partem ne attigit quidem, ſed vacuum locum in MSto libro reliquit, vbi eam poſt reliquas elaboraret. Enim vero verborum poſitus, non poſtrema Latinitatis pars, ſed vere præſtantiſſima ſuos admiratores ſemper habuit, talesque, qui multo legendi vſu, crebroque exercitio hanc elegantiam adſequuti ſunt; tamen, qui præceptis recte tradiderint, ex longa rhetorum Latinorum ſerie,

ſerie, vix quiſquam occurrit. Quod i aque apud omnes omiſſum eſt, etiam apud inſignem Voſſium, ne fruſtra illud poſt hac etiam quæreretur, in Rhetorica Marchica cautum prouiſumque eſt, quæ, quod pro ſupplemento præſentis libri ſufficiat, ſatisdare atque ſpondere nullus dubito. Explicat enim quinque claſſibus, & exemplis confirmat, quæ in principio periodorum, quæ in fine ſint elegantiora, quæ diuellantur, interpoſitione facta, quæ coniungantur, & quæ tandem ſimpliciter conuertantur. Ea, qui legat & imitetur, ipſosque coniungat Latinitatis auctores, parum reliqui in præceptis deſideret. Quod vero id argumentum ex iis eſt, quibus poteſt aliquid addi, addam illud, quod ad mentem Vorſtii propius videtur accedere. Elegantiæ ſermonis, vt ſales adhibendæ ſunt: atque hoc eſt, quod itidem vulgo negligitur. Vt enim plurimi has tranſponendi delicias, quas dixi, contemnunt & ſatis habent Grammaticum ordinem ſequi; Sic non pauci, quas formulas elegantes eſſe, ſemel intellexerunt, illas vnice ſequuntur, aliis

aliis vbique poſthabitis, neglectis. *La-torem legis* dicunt, nunquam *legis latorem*, *terra marique*, nunquam *mari & terra ; quotus enim quisque reique publicæ, per mihi gratum*, - - - pro *quotusquisque* & *reipublicæ*, *pergratum mihi*, cum quo velim Plinio monitore, intelligant hoc: *Quæ ſunt commodiſſima*, (h. e. elegantiſſima) deſinunt videri, quum paria eſſe cœperunt. Adde, quæ monui in diſſert. de vitioſo Tullii imitatore.

Sunt autem aliqua, quæ ſedem ſuam formamque vix mutant, vt *quid & quatenus*, non *quatenus & quid*, quod Germani vertunt, *wie oder was*, non autem *was oder wie*. Ita non deſeri aut mutari facile ſolet: *mea ſponte*, *ego*, *tu*, *ille actor auctorque*, *der Anfänger vnd Vollender*, non autem *der Vollender und Anfänger*. Sic particula *næ*, quoties cum pronomine inuenitur, inuenitur autem ſine illo rariſſime, Vid. Gram. March. p. 674. ſeq. diuelli ab eo non ſolet, vt: *Næ ego amens ſim, ſi credam. Næ tu homo ridiculus es. Næ vlli vehementer errant*, aliaque huius generis, quæ vſu veterum

ſic

ſic locantur, velut ordine naturali. Quædam conuerſum ordinem admittunt, numero requirente, qui alius eſt in proſa, alius in carmine. Ita *pro ſponte mea, (tua, ſua) crede mihi*, extra carmen dices, mea ſponte, *mihi crede*, quo ordine apud Ciceronem ſemper inuenies, apud alios raro aliter. Si qua ſint exempla, quæ huic ſententiæ opponas, ſcias, ea vel non aduertentibus auctoribus ſcripta eſſe, vel numeri leges non ſatis callentibus. Sic Brutus Ciceroni l. XI. ep. 26. *Crede mihi, niſi iſta omnia ſiunt, quemadmodum ſcribo &c.* Et Caſſius eidem lib. 12. ep. 12. *Crede mihi, hunc exercitum ſenatus atque optimi cuiusque eſſe.* Hoc dicendo Ciceronem auctorem ſequor, qui tertio libro de oratore dicit, poeticum numerum proſa remouendum eſſe; quod quidem ipſe vbique non obſeruauit. Vid. Rhetoricam March. p. 104. & diſſert. m. modo nominatam. De *ne-quidem*, & *vale-dicere*, non ſatis certus ſum, debeantne ſemper ita diuelli, vt nunquam dicendum ſit, nequidem, nulla voce interiecta, & valedicere, tamquam ſit vnum voca-

vocabulum. In libro Horatii Turſellini, de particulis conſcripto, exempla reperio ad hunc modum: *Ego illud nequidem contemnam.* Cic. 2. ep. 16. ad Att. Sed lectionum varietas facit, vt malim ſic imitari: *Ego, ne illud quidem contemnam*, & pari modo in exemplis reliquis. Sic *vale* alicui *dicere* tuto dixeris, & *vale dicere* alicui; minus autem, ſi tamquam vnum verbum expreſſeris, *valedicere*. Diuerſitatem ex pronuntiatione ſenties, quæ ſonantior eſt in *vale dicere*, quam in *valedicere*. De hoc Cellarius in Antib. & C. P. itemque contra Andr. Borrichium illo libello diſputauit, qui eſt poſtremus operum ſuorum: *Iudicium de Vindiciis L. L. Borrichianis.* Quod autem dixi de oratorio numero, eſt illud omnino tale, vt in vocabulorum poſitu maximam vim habeat, cuius numeri rationem, quum pauci intelligant, fit, vt vocum collocatione vulgi ſtilus identidem offendat.

PARS

PARS IV.

DE
VOCABVLIS IPSIS VULGO PRORSVS NEGLECTIS.

CAP. I.

DE
NOMINIBVS, QVAE VULGO NEGLIGVNTVR.

Primo igitur recenſebimus Nomina quædam, quæ vulgo fere ignota ſunt, aut negliguntur; cum tamen a veteribus Latinis vſu valde trita fuerint. Eſtque inter ea vox *acroama:* quæ quidem origine Græca eſt, verum ciuitate Latina planiſſime donata. Nepos 25, 14, 1. *Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quam anagnoſten.* Cicero pro Arch. *Cum ab eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem, libentiſſime audiret, Eius inquit, a quo ſua virtus optime prædicaretur.* Et pro Seſt. *Ipſe ille Ludius non ſolum ſpectator, ſed actor & acro-*

& acroama. Valerius Max. 1, 7. *Cum plebeiis ludis quidam paterfamilias per circum Flanium, priusquam acroama induceretur, ſeruum ſuum verberibus multatum ſub furca egiſſet.* Quo loco pro *acroama* antiquiores typis expreſſi *pompa* habent; ceterum a Pontano, Pighio & aliis optime reſtitutum eſt *acroama.* Deſignabantur autem voce, *acroamatis* muſici, ridicularii & hiſtriones, qui canticis lepidisque dictis conuiuas aut ſpectatores oblectant. Ipſi, inquam, homines dicebantur *acroamata;* quod ſcilicet proferrent, quæ cum voluptate audirentur. In Theſauro Ciceroniano, qui dicitur Nizolii, ſcriptum video ſic: *Acroama, narratio, muſica ſymphonia in fabulis, muſicus concentus.* Quibus deinde ipſa verba Ciceronis ſubiiciuntur. Atqui manifeſtum eſt, Ciceronem non ea, quæ ab homine proferuntur, ſed hominem ipſum *acroama* dicere. *Non ſolum ſpectator,* inquit, *ſed & actor & acroama.* Idem 4. in Verr. *Hic quaſi feſtiuum acroama, ne ſine Corollario de conuiuio diſcederet, ibidem conuiuis inſpectantibus emblemata auellanda curauit.* Quibus verbis ipſe

ipſe Verres *feſtiuum acroama* vocatur. Suetonius Aug. 74. *acroamata* & *hiſtriones* coniungit. *Et aut acroamata & hiſtriones*, inquit, *aut etiam triuiales ex circo ludios interponebat.* Lampridius quoque Alex. Seu. ſic: *Nanos & nanas, & moriones & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donauit.* Ipſi quoque Græci iſtiusmodi homines ἀκροάματα vocarunt, vt ex Athenæo & Plutarcho ſcire licet.

ARBITRATV *alicuius aliquid fieri*, vel quid ſignificet, parum obſeruari, vel vox ipſa vulgo negligi videtur. Dicunt autem, *arbitratu ſuo viuere*, pro pro *lubitu & ex voluntate ſua viuere.* Verbum *arbitrari* quidem actionem intellectus ſignificat: at nomen inde ortum *arbitratu* ad voluntatem fere pertinet. Cicero 1. de fin. *Quæ mihi facultas, vt id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus nunquam eſt data.* Et 7, 1. ad Fam. *Quæro cauſas omnes aliquando viuendi arbitratu meo.* Et 16, 1. ad Att. *Ego literas ipſius arbitratu dabo: eæ te ne moueant.* Subinde vox Synonyma *voluntate* adiicitur. Cicero 2. C. Rull.

Cum ſummam tantæ pecuniæ nullo teſte ſibi ipſe ſuo arbitratu & ſua voluntate feciſſet. Vox cognata *arbitrium* quoque ſubinde voluntatem & libidinem ſignificat. Dicunt enim, *ad arbitrium ſuum, ad arbitrium alterius viuere.* Cuius generis plurima a Nizolio & a Schoro notata videre licet.

ARMAMENTA non tam notum atque vſitatum, quam *arma* & *armamentarium.* Dicuntur autem *armamenta* Latinis, quæ & inſtrumenta. Et quemadmodum inſtrumenta omnino varia ſunt, ita & armamenta. Nauis inſtrumenta intelligit Seneca, quod 6, 15. de Benef. ſcribit: *Quod tu pretium ponis traiicienti maria, & per medios fluctus, cum e terræ conſpectu receſſit, certam ſecanti viam, & proſpicienti futuras tempeſtates, & ſecuris omnibus iubenti ſubito vela ſtringi, armamenta demitti, paratos ad incurſum procellæ & repentinum impetum ſtare?* Item Suetonius Aug. 18. *Tempeſtate in traiectu bis conflictatus: Vtrobique parte Liburnicarum demerſa: ſimulque eius, in qua vehebatur, fuſis armamentis, & gubernaculo diffracto.* Et Florus 4, 2, 76.

Quo-

Quoniam ille horror, cum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naues, armamenta confligerent? Plinius armamenta vinearum commemorat perticas, palos, & id genus alia. Nec mirum vocabuli deriuati eam vim eſſe, cum vox quoque primitiua *arma* tam late accipiatur; idque reſpectu Græcæ ὅπλα, quæ tum arma, tum inſtrumenta ſignificat. Sunt enim arma coquinaria, arma agreſtium, cet. Idem de verbalibus quibusdam in *IO* ſentiendum, quæ in deſuetudinem fere videntur venire. E. g. *Abuſio, contemtio, conſenſio*, cet. de quibus tamen exempla optimorum Auctorum paſſim in ipſis lexicis adparent.

COGNITOR vix alia ſignificatione a veteribus vſurpatum reperitur, quam, qua ſignificat procuratorem, defenſorem cauſæ alterius: quem vernacula lingua *Anwald* & *Volmächtigen* dicimus. Sed quotusquisque eam vocis ſignificationem, quæ quidem, vt dixi, & ſola eſſe videtur, hodie cognitam habet? Plurima eius exempla ex Cicerone congeſſerunt Nizolius & Schorus, in Oratione pro Q. Roſcio reperitur ali-

quoties. Ait enim Cicero: *Quid intereſt inter eum, qui per ſe litigat, & qui cognitorem dat.* Item: *Tu, qui Roſcium pro opere & labore, quod cognitor fuiſſet, quod vadimonia obiiſſet, rogaſti.* Item: *In hanc rem me cognitorem dediſti.* Item: *Niſi te in ſuam litem dediſſet cognitorem.* Rurſus 1. in Verr. *Me defenſorem calamitatum ſuarum, me vltorem iniuriarum, me cognitorem iuris ſui, me actorem cauſæ totius eſſe voluerunt.* Pari ratione minus notum in vulgus eſt vocabulum *cognituræ*, quo ipſum procuratoris munus deſignabant. Suetonius Vitell. 2. *Cuius filius ſectionibus & cognituris vberius compendium nactus.* Non dixit *cognitionibus*, ſed *cogniturìs*: ne de iudice loqui videretur. *Cognitio* enim eſt iudicis; ipſeque iudex *cognoſcere* dicitur: nec tamen idem ille, quod mirum; ſed is, qui aliquem in iudicio defendit, *cognitor* appellatur. Aſconius: *Qui defendit alterum in iudicio, aut Patronus dicitur, ſi Orator eſt: aut Aduocatus, ſi aut ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut Procurator, ſi negotium ſuſcipit; aut Cognitor, ſi præſentis cauſam nouit, & ſic*

ſic tuetur, vt ſuam. Ergo cognitorem Cicero appellauit familiariſſimum defenſorem.

COMMEATVS. Hæc vox, cum res omnino varias, easque quotidianas, ſignificet, tamen vſu parum trita videtur: ponunturque pro ea voces barbaræ *victualia, ſaluus conductus.* Reuocanda ergo & iſta vox in vſum, vſurpandaque, cum, quæ ad alimoniam pertinent, aut poteſtas a militia ad tempus abeundi, eſt ſignificanda. Et vtriusque ſignificationis exempla videamus. Cæſar 1. B. Ciu. *Reliquas merces commeatusque ad obſidionem vrbis, ſi accidat, reſeruant.* Cicero pro L. Manil. *Iam commeatu & priuato, & publico probibemur.* Iuſtinus 5, 2, 14. *Commeatus maligne præbere.* Ante pro eodem dixerat, *ſtipendia præbere.* Et 24, 7, 4. *Vino ceterisque commeatibus referta rura.* Alterius ſignificationis exempla ſunt in his. Liuius 3, 46. *Collegis in Caſtra ſcribit, ne Virginio commeatum dent, atque etiam in cuſtodia babeant.* Item: *Et iam commeatu ſumpto Profectus Virginius prima vigilia erat.* Et l. 23. *Magna pars ſine commeatibus dilabebatur.* Nec tantum facultas

ad tempus abeundi a militia, ſed & quæuis alia abeundi facultas, veniaque a principibus aut magiſtratu data, *commeatus* appellatur: id, quod Buchnerus in Acceſſionibus ad Theſ. Fabri verbis Velleii Paterc. & Suetonii demonſtrauit. Et pertinet eodem illud Iuſtini 18, 7, 9. *Petito commeatu a populo.* Cartalo cum reuerti ad patrem, hoſtem tunc patriæ, in caſtra vellet, *commeatum*, id eſt, eundi poteſtatem & licentiam a populo petiit. Sed hæc tamen ſignificatio vocabuli non propria fuit; ſed potius, quod ipſum quoque commeandi actum ſignificauit. Iuſtinus 4, 4, 5. *Hoſtes etiam marinis commeatibus in vrbe clauſos interciudunt*, i. e. prohibent, ne hoſtes mari, quo vellent commeare, & aliunde annonam petere poſſent. Nepos 1, 7, 7. *Vrbem operibus clauſit, omnique commeatu priuauit.* Item 19, 2, 4. *Vt prouideret, ne ciuitas commeatibus priuaretur.* Præcedit, quod Nicanor Athenienſium portui Piræeo inſidiatus fuerit. Rurſus Iuſtinus 18, 7, 6. *Prohibitis commeatibus, obſeſſaque vrbe in ſummam deſperationem Cartaginienſes adduxerunt. Prohibere commeatus*, & *inter-*

intercludere hoſtes commeatibus, quid aliud eſt, quam prohibere, ne hoſtes, quo volunt, commeare poſſint? Noſtri dicunt, *den Paß verhauen, das Auslauffen verwehren.* Suntque hæ Phraſes omnino tales, quales *prohibere aditum, intercludere aditum, fugam, itinera.* Sed ipſe tamen ille commeatus, id eſt, commeandi actus aliud ſimul inuoluit; videlicet ſubuectionem & importationem rerum neceſſariarum. Atque inde factum videtur, vt ipſum quoque illud, propter quod commeatus, id eſt, res neceſſariæ, & alimenta, *commeatus* vocarentur. Ceterum, quod *commeatus* etiam pro poteſtate & licentia commeandi, & ad tempus abeundi a principe, imperatore, magiſtratu, data vſurpatur, ei ſimile eſt, quod *euectio,* quæ vox curſum publicum ſignificat, ipſam quoque poteſtatem & licentiam curſu publico vtendi, imo & literas & diplomata, quibus poteſtas ea dabatur, ſignificat: vt in Notis ad Sulpicium Seu. p. 190. oſtendimus.

DICTO AVDIENS quaſi compoſita vox, idem eſt, quod obediens; ſed vſu non ſatis trita: imo interdum nec

recte conſtruitur. Caſpar Scioppius, qui, ſi quisquam genuinæ Latinitatis amans atque obſeruans fuit, in epiſtola ad Saulum Mercerum, quæ in Scaligero eius hypobolimæo extat, ſic ſcripſit; *De conſilii ratione, quam Sacrilegus iſte aliorum, credo, monitis dictisque audiens, ſecutus tibi videtur, facile aſſentiet.* Apparet, quod exiſtimarit non modo *dicto audiens*, ſed & *dictis audiens*, imo & *monitis audiens*, Latine dici; nec opus eſſe, vt caſus tertius adiiciatur, dicaturque, *dicto audiens alicui;* ſed dici quoque poſſe, *alicuius dicto audiens.* Verum enim vero in auctoribus antiquis reperitur modo *dicto audiens alicui;* vt *dicto audiens* ſit quaſi vox compoſita, & non aliter, quam *obediens* & *obtemperans* adſciſcat Datiuum. Nepos 17, 4. *Tanta modeſtia dicto audiens fuit iuſſis abſentium magiſtratuum.* Ex quo apparet, adeo Datiuum adſciſcere τὸ *dicto audiens,* vt non modo Datiuum perſonæ, ſed & rei, & quidem iuſſis ſubiiciant. Idem Nepos 11, 2. *Vt nullæ vnquam copiæ magis dicto audientes fuerint duci.* Rurſus 6, 1. *Dicto audientes imperatoribus ſuis non erant.*

Et

Et 14, 2. *Is regi dicto audiens non erat.* Habent quidem nonnullæ editiones *regis dicto audiens;* verum perperam, & contra fidem meliorum codicum. Liuius 41, 10. *Cum milites conſulis imperio dicto audientes futuros eſſe dicerent.* Hic rurſus Datiuus non perſonæ, ſed rei, *imperio* adiectus eſt, dictumque, *imperio dicto audiens.* Nec aliter Plautus Amphitr. 3, 4. *Eum ſequor, eius dicto imperio ſum audiens.* Conſtruendum enim ſic eſt: *Eius imperio ſum dicto audiens*, & *eius* non ad *dicto*, ſed ad *imperio* pertinet. Quare, quod in eadem ſcena legitur: *Ego ſum Iouis dicto audiens*, non dubito, legendum eſſe *Ioui.* Sane non ſuperiore tantum, ſed & variis aliis locis Phraſi *dicto audiens* caſum tertium ſubiicit. Vt Perſ. 5, 2. *Te mihi dicto audientem eſſe adderet.* Et Menæch. 2, 3. *Dicto me emit audientem, haud imperatorem, ſibi.* pro *dicto audiens*, dicit & *dicto obediens*, itidemque caſum tertium ſubiicit. Vt Bacch. 3, 3. *Magiſtro deſinebat dicto eſſe obediens.* Et Perſ. 3, 1. *Futura es dicto obediens patri?* Et ſubiicitur, *dicto ſum audiens*, ſc. patri. Vt appareat, *audiens*

 hic

hic idem eſſe, quod *obediens.* Quod autem illud ſecum habet *dicto*, id tantundem eſſe videtur ac imperio, mandato, iuſſis. Plautus Perſ. 5, 2. *Alicuius dictis parere, ſeruire.* Terentius Hec. 4, 1. *Meis dictis parere, hanc qui poſtulem.* Liuius 11, 11. *Cui cum dicto paruiſſet.* Et habet ergo aliquid Pleonaſmi, quod dicitur: *Dicto audiens iuſſis alicuius, dicto audiens imperio alicuius.*

DIGNATIO, non tam notum, quam *dignatus:* cui tamen ἰσοδύναμον eſt. Feſtus: *Maximæ dignationis Flamen Dialis eſt inter quindecim Flamines.* Iuſtinus 28, 4, 10. *A quo* (Ptolemæo) *honorifice ſuſceptus* (Cleomenes) *diu in ſumma dignatione regis vixit.* Ipſe Cicero 10, 10, ad Att. *Etſi meus quidem* (animus) *eſt fortior, eoque ipſo vehementius commouet, nec quidquam niſi de dignatione laborat.* Ad quæ verba Gothofredus: *Fort. de dignitate lab. ſed dignatio pro dignitate plerumque ſumitur.* Vtuntur eodem vocabulo & Seneca, Curtius aliique. Videndus quoque ſuper eodem Caſaubonus ad Suetonii Cæſ. 4, 2.

INANI-

INANIMVM qui dicant, pauci ſunt: & plerique omnes *inanimatum* dicunt; prorſus quaſi alterum illud plane ignotum ſit. At veteres, ſi non crebrius, ſaltem nec rarius, altero illo vſi ſunt. Cicero 4. Acad. *Cum inter inanimum, & animal hoc maxime interſit, quod inanimum nihil agit.* Item 2. de Diu. *Omnia muta atque inanima commouerentur.* Vbi *muta* ille aliter dicit, quam Syri atque Arabes חרשתא. Hi enim omnia ἄλογα, חרשתא, id eſt, muta dicunt. Cicero, vt apparet, tantum *inanima* ita vocat. Rurſus 1. Tuſc. *Inanimum eſt omne, quod pulſu agitatur externo: quod autem eſt animatum, id pulſu cietur interiore.* Plin, l. 7. c. 15. *Inanima caro.*

INSCIENTIA, quotusquisque nunc eſt, qui dicere auſit, nec contendat dicendum potius eſſe *inſcitia?* At Cicero tam illo, quam hoc, vtitur. Vt 3. de N. D. *Deo ne excuſatio quidem eſt inſcientiæ.* Et pro Syll. *Vos mihi in tantis tenebris erroris & inſcientiæ clariſſimum lumen prætuliſtis.* Et 4. Acad. *Inſcientia multa verſatur in vita.* Sic & nomen

nomen adiectiuum *inſciens* ab eodem Cicerone æque ac *inſcius* vſurpatur. Vt 1, 9. ad Fam. *Inſciente Collega.* Et 8, 23, ad Fam. *Illo abſente & inſciente migrare.*

INSIGNITVS & comparatiui gradus *inſignitior* reuocandum itidem in vſum. Liuius 4, 4. *An eſſe vlla maior aut ſignitior contumelia poteſt?* Et 8, 13. *Quo inſignitius omiſſa res Æmilio ſuperioris anni conſuli exprobaretur.* Sed hic a nomine illo adiectiuo deriuatum aduerbium eſt. Rurſus 7, 6. *Et lacus nomen ab hac recentiore inſignitius fabula eſt.* Vide Notas Gronouii ad hunc locum. Tacitus 4. Ann. *Inſignitius flagitium.* Ergo æque ac *inſigne*, de quo ſupra, rebus quoque malis tribuitur. Nec minus aduerbium inde deductum *inſignite* ſic vſurpatum inuenias. Cicero pro Quint. *Neque tamen quisquam inuentus eſt tam inſignite impudens.*

INTELLIGENTIAE vocabulum valde itidem negligi video, & fere non niſi a Philoſophis vſurpari, eum habitum mentis ſpecies referre inſtituunt, dicuntque habitus mentis eſſe quinque, intel-

intelligentiam, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam & artem. At Ciceroni aliiſque antiquis ea vox multum vſurpata fuit; & ita quidem, vt tum actionem intelligendi, tum eam, vnde actio proficiſcitur, facultatem ea voce deſignauerit: nunquam vero eam rem *intellectum* dixerit. Vt 2. de Inu. *Intelligentia eſt, per quam animus perſpicit, quæ ſunt.* Et de Vniu. *Deus intelligentiam in animo, animum concluſit in corpore.* Et 1. de Diu. *Pars animi, quæ rationis atque intelligentiæ ſit particeps.* Et 3. Off. *Honeſtum quod in noſtram intelligentiam cadit.* In his facultatem & potentiam intelligendi ſignificat. Dicunt etiam *intelligentiam habere, intelligentia alios anteire, intelligentia iuris ciuilis præſtare*, & id genus alia. In quibusdam ipſam quoque operationem, ipſum actum intelligendi ſignificare videtur. Vt 1. de N. D. *Fretus intelligentia veſtra breuius diſſero.* Et pro S. Roſc. *Quid cenſes, hunc quo ſtudio & qua intelligentia eſſe in rebus ruſticis.* Et 5. Tuſc. *Proponenda quædam quaſi mouentia ſunt, quæ nos magis ad cognitionem intelligentiamque con-*

conuertant. Vide plura id genus a Nizolio & a Schoro notata. Alterum verbum *intellectus* non quidem plane reiicerem, quippe quod a Plinio, Seneca, Quintiliano & aliis eſt vſurpatum: ſed vocabulum *intelligentia* tamen nec negligi velim.

LAVTIA dicuntur cibus, potus, aliaque neceſſaria, quæ legatis dantur. Liuius 28, 39. *Locus inde, lautiaque legatis præberi iuſſa, & muneris ergo in ſingulos dari, ne minus dena millia æris.* Et 33, 9. *Macedones deducti extra vrbem in villam publicam: ibique iis locus & lautia præbita.* Et 45, 20. *Poſtquam conſulti ab Marco Junio Conſule patres, ſtantibus in Comitio legatis, an locum, lautia, ſenatumque darent, nullum hoſpitale ius in iis ſeruandum cenſuerunt.* Feſtus: *Item Dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hoſpitii gratia.* Vide eum in *Dacryma*. Scaliger ad Feſti vocem *Lautia*, vel *Lautitia* potius, ſcribit, *prius Dautia vocata fuiſſe*. At ex verbis Feſti collegerit quiſpiam, ipſum quoque Liuium *dautia* appellaſſe. Scribit enim Feſtus: *Dacrymas pro lacrymas Liuius ſæpe poſuit, nimirum,*

mirum, *quod Græci appellant* δάκρυα. Item: *Dautia, quæ lautia dicimus & dantur legatis hoſpitii gratia.* Hodie tamen in Liuio non niſi *Lautia* legitur: In Senatusconſulto quoque fœderis cuiusdam in tabula ænea ſcripto, & a Grutero pag. 103. veterum Inſcriptionum recenſito reperio ſic fuiſſe: *Munusque eis ex formula locum lautiaque q. vrb. eis locare mittereque.*

LVCVLENTVS vox hæc aut raro, aut non ſatis recte, vſurpari videtur. Vulgo vſurpant pro dilucido, manifeſto. Sed veteres primo pro eo, quod multum lucis habet, poſuere. Vt Cicero 7, 10. ad Fam. *Camino luculento vtendum cenſeo.* Deinde pro egregio.

OPVLENS quoque dicunt, optimæ notæ auctores, non tantum *opulentus*. Nepos 12, 3, 3. *Neque animo æquo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam.* Auſonius Idyll. 2.

Non opulens, nec egens: parcus, ſine ſordibus egi.

Vide & Theſaurum Fabri a Buchnero locupletatum. Vbi tamen, quod ad archaiſmos id vocabuli referendum docetur, nobis non probatur, neque enim, ſi ita eſſet,

eſſet, Nepos temere vſus eo fuiſſet. Sic & *violens* dixerunt pro *violentus*. Horatius l. 3. Od. vlt. *Qua violens obſtrepit Aufidus*. Et l. 1. ep. 10.

Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte.

Perſius quoque Sat. 5. *Nunc ferus & violens*. Et deriuata ab his ipſis nominibus adiectiuis ſunt aduerbia *opulenter*, *violenter*; non aliter, quam a *ſapiens* eſt *ſapienter*, & a *prudens* eſt *prudenter*.

POTENTATVS quoque ignota fere vox eſt. Vſi autem illa Cæſar, Liuius & alii. Giſanius ex lib. 26. Liuii citat: *At ille, cum ab re auerſus tum æmulo potentatus inimicus rem Hannibali aperit.*

RECTIO quotusquisque eſt, qui nunc dicere auſit pro regimine? At Cicero ipſe vocabulo non ſemel vſus eſt. Vt 4. de fin. *Omnium rerump. rectiones, genera ſtatus, mutationes præſcripſimus.* Et l. 5. *Ea quoque eſt non ſolum ad priuatæ vitæ rationem, ſed etiam ad rerump. rectionem relata.* De cognata voce *rector*, ſatis quidem nota & vſitata illa, notetur, quod non modo de ſcholarum, ſed & de totarum vrbium ac prouinciarum mode-

moderatoribus vſurpetur.* Cicero de Somn. Scip. *Ciuitatum rectores & conſeruatores.* Et 1. de Or. *Rector reip. & publici conſilii auctor.* Iuſtinus 5, 8, 8. *Rectores triginta Athenis.* Et 41, 2, 2. *Ex populorum ordine duces in bello, ex hoc rectores in pace habent.*

* Liuius lib. 39 c. 15. Pro Præſide quoque & Ephoro videtur adhibuiſſe. *Vbicunque multitudo eſſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe.*

REPENS quoque Latini dicunt; nec tantum *repentinus. Quæ repens clades allata eſſet, obuios percunctantur.* Ipſe Cicero 3. Tuſc. *Ne me imparatum cura laceraret repens.* Item: *Hoſtium repens adventus.* Liuius l. 6. *Fama repens belli Gallici allata perpulit ciuitatem.* Et l. 9. *Repens aduentus conſulis ita exterruit Vmbros.* Et l. 21. *Qui tumultus repens, poſtquam eſt Romam perlatus.* Sigonius: Cum lib. 2. Ital. antiq. verba Liuii 22. 8. *Priusquam ſatis certa conſilia eſſent, repens alia nuntiatur clades*, produceret, addidit, ſe legere *repente*; ſed manifeſto errore: quem quidem ad lib. 8. Liuii notauit Gronouius.

CAP. II.

DE

VERBIS QVIBVSDAM, VT GRAMMATICI VOCANT, VULGO PRORSVS NEGLECTIS.

ABSCIDERE eſt itidem inter illa, quæ hodie vulgo negligun- tur. Imo & edendis auctoribus antiquis prorſus quaſi eliminatum id erat, ſed ſemper ſcriberetur *caput abſciſſum*, non *abſciſum*. Reddiderunt igitur Viri critici plurimis auctorum locis. Et inter ceteros Ioh. Fred. Gronouius apud Liuium 44, 5, vbi legebatur, *rupes abſciſſæ*, ſcripſit *rupes abſciſæ*. Ad quem eundem locum idem Gronouius de differentia verborum *abſcidere* & *abſcindere*, ita differit: Frobenius *abſciſæ*. Et ſane ſic paſſim ac fere vbique optimi atque antiquiſſimi codices: vt aut abolendum omnino ſit *abſciſſus*, aut non tam membranas, quam rationem ali-

quam

quam ad aurem decernere oportere, vbi ſit hoc aut illud ponendum. Itaque eo progreſſi ſunt docti viri, vt fecerint *ſcindo, ſcidi, ſciſum*, nam & *abſcidere*, pro *abſcindere*, apud Plautum legi, & non mirum a σχίζω σχιδέω, *ſcindo* & *ſcido* eſſe. Sed quantitas mediæ in præteritis oſtendit, duo verba fuiſſe *abſcindo* & *abſcido*. Sunt enim Virgilii: *Herpetium ſiculo latus abſcidit*. & Ouidii: *Terris abſcidit vndas;* & viciſſim Ouidii in 12. *Abſcidit iugulo pectus*, & Senecæ in Phœniſſis, *Vitæ bona proiecit atque abſcidit*, & Lucani lib. 3. 503.

Abſcidit noſtræ multum ſors inuida laudi.

Vt quidem in ſcriptis obſeruauimus. Et Martialis:

Abſcidit vultus enſis vterque ſacros.

Hactenus Gronouius. Mirum autem, quod cum idem, cum apud Liuium 44, 15, in optimo quoque cod. inveniſſet, ſic ſcriptum, *vt quisque hoſtem impigre occiderat, primum capite ægre inter turbam tumultumque abſcidendo*, non, vt pro *capita*, quod in vulgatis erat, reſcripſit *capite*, pro *abſcindendo*, quod itidem in vulgatis erat, reſcripſit *abſcidendo*. Sic & Pighius eum toties in Valerio Maximo pro *caput ab-*

ſciſſum, ex MSS. reſcripſerit *abſciſum*, tamen in eodem Valerio 9, 13, 3. tolerauit, *donec caput eius abſcinderetur*, cum ſine dubio & hic in MSS. repererit *abſcideretur*, ſane in codd. Brandeb. manifeſte eſt *abſcideretur*, non *abſcinderetur*.

AEQVIPARARE, elegans verbum eſt; ſed raro vſurpari videas. Apud veteres ſatis frequentatum fuit. Virgilius Ecl. 5.

Nec calamis ſolum æquiparas, ſed voce magiſtrum.

Nepos 2, 6, 1. *Vt ipſam vrbem dignitate æquipararet.* Et 7, 11, 3. *Adeo ſtudiis eorum inſeruiſſe, vt nemo eum labore corporisque viribus æquipararet.* Cicero 5. Tuſc. *Nemo eſt, qui factis me æquiparare queat.*

ALLEGERE quoque vulgo fere negligi, aut rarius, quam par erat, vſurpari video; cum tamen vetus, & ab optimis Auctoribus vſurpatum verbum ſit. Eſt autem idem, quod legendo addere, & in cœtum quendam cooptare. Liuius, vt Budæus citat: *Qui de plebe allegebantur, eandem ægre paſſi Patres.* Plinius lib. 1. ep. 14. *Allectus a diuo Veſpaſiano inter prætorios, honeſtam quietem huic noſtræ ambitioni dicam an dignitati? conſtantiſſime*

præ-

prætulit. Suetonius Cæſ. 41. *Senatum ſuppleuit, patritios allegit*, id eſt, quos faceret patritios, & in patritiorum numerum referret, legit. Item Aug. 2. *Ea gens a Tarquinio Priſco, rege inter Romanas gentes, allecta in Senatum, mox a Seru. Tullio in Patritias transducta.* In antiquis quoque inſcriptionibus frequens eſt *allectus* & *adlectus:* legiturque *allectus in ordinem decurionum, in ordine Senatorio, allectus inter immunes, allectus inter equites.* Vide Indices Gruteri in volumen veterum inſcript. Simplex *legere* quoque ſic vſurpatur. Cicero 6, 19. ad Fam. *Cum qui hodie haruſpicinam facerent, in Senatum Romæ legerentur.* Sic enim legendum videtur; non, vt quidam codices habent, *in Senatu.*

ANQVIRERE rari hodie vſus verbum videtur; eoque factum, vt qui auctorum veterum libros emendandos ſuſceperunt, ſubinde illud quaſi nunquam exſtitiſſet, transformandum putarint. Et minime ſane abolendum, ſed in vſum potius reuocandum illud. Lucretius 4, 1182.

Protrahere in lucem, atque omnis anquirere niſus.

Vbi *anquirere* eſt diligenter *inquirere.* Cicero 1. de Or. *Omnis artis loci anquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus oſtendunt ſe.* Item de Fat. *In qua quid valeat, id, quod geri poſſit, anquiritur.* Liuius l. 6. *Sunt qui duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores ſint.* Vbi *anquirere* eſt pro quærere & iudicare. Eſt item pro accuſare. Liuius l. 8. *Capite anquiſitum ob rem bello male geſtam, de imperatore nullo ad eam diem eſſe.* Florus 4, 12, 12. *Quod* (aurum) *alioquin gens omnium cupidiſſima, ſtudioſa diligentia anquirit.*

ANTEFERRE item non tam vſu tantum, quam præferre. Quare hoc quoque Latinitatis ſtudioſi præcipua obſeruatione dignum putent. Nepos 15, 5, 3. *Anteferre bello pacem.* Item 20, 1, 3. *Vt antetulerit ſuorum ciuium libertatem fratris ſaluti.* Item 20, 3, 6. *Nullius conſilium non modo antelatum, ſed ne comparatum quidem eſt.*

ANTEPONERE non tam vſitatum hodie, quam præferre. In vſum igitur & illud reducatur. Cicero poſt red. ad Quir. *Vt ſi meas rationes vnquam veſtræ ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam pœnam*

pœnam ſuſtinerem mea voluntate ſuſceptam. Nepos 15, 2, 2. *Vt adoleſcens triſtem & ſeuerum ſenem omnibus æqualibus ſuis in familiaritate antepoſuerit.* Et 18, 1, 2. *Eum tibi aliquando anteponi, indigne ferebant.* *Dicunt & proponere eadem ratione.* Nepos 17, 4, 3. *Opulentiſſimo regno præpoſuit bonam exiſtimationem.*

ANTESTARE minus tritum hodie verbum eſt. Quod & Caſpar Barthius obſeruauit: ideoque in lib. XXXIV. Aduerſariorum Cap. 6. ſcribit, *eſſe verbum elegans, ſed non adeo vſu tritum, quin apud paucos reperiatur.* Eſt autem *anteſtare alicui* idem, quod *præſtare, antecedere, anteire, antecellere aliquem.* Cicero 2. de Inu. *Crotoniatæ quondam omnibus corporis viribus & dignitatibus anteſteterunt.* Nepos 3, 1. 2. *In his cognitum eſt, quanto anteſtaret eloquentia innocentiæ.* Sed pro *anteſtare* veteres dixerunt & *antiſtare;* quomodo in Corn. Nepote a Bœclero & aliis eſt editum; non aliter ſcilicet, quam pro *anteceſſor* dictum eſt & *anticeſſor.* Videſis Salmaſii ad Flor. 4, 12. Notas C. Claudius Quadrigarius apud Gellium 9, 13. *Cum interim Gallus quidam nudus præ-*

ter ſcutum & gladios duos, torque atque armillis decoratus proceſſit, qui & viribus & magnitudine, & adoleſcentia, ſimulque virtute ceteris anteſtabat. Vbi Carrio itidem legi vult *antiſtabat*, vide Antiq. lect. 2. 1. Metellus Numidicus in Oratione apud eundem Gellium 12, 9. *Qua in re, quanto vniuerſi me vnum antiſtatis.* Sed hic conſtruxit cum quarto caſu. Vtitur & Lucretius eo verbo. Vt 5, 22.

Herculis antiſtare autem ſi facta putabis.

Vide Indicem in hunc locum Paræi.

ARCESSERE minus notum ac frequentatum hodie, quam *accerſere.* Veteres tamen frequenter eo vſi. Cicero pro S. Roſc: *Cum ab aratro arceſſebantur, qui conſules fierent.* Et pro Dom. *Cum P. Lentulus, C. Metellus me arceſſerent in Senatum, non venirem?* Nepos 25, 21, 4. *Agrippam generum ad ſe arceſſi iuſſit.* Liuius 36, 7. *Nunc quoque arceſſas, cenſeo omnes nauales terreſtresque copias.* Ad quem locum is, qui codices MSS. ſi quisquam, verſauit, ita: *Semel dixerim, vbicunque id verbum occurrit, ibi ſcriptis in antiquioribus fere ſemper* arceſſere, *non* accerſere *legi. Itaque facile accedo doctis viris,*

viris, qui illo modo, non hoc, pronuntiaſſe & ſcripſiſſe, veteres cenſent. Notentur autem verbi *arceſſere* & vſus quidam. Et primo quidem, quod *arceſſere* dicunt pro accuſare. Cicero pro Deiot. *Arceſſere aliquem capitis.* Et 2 Off. *Arceſſere aliquem in iudicium capitis.* Et pro Fl. *Arceſſere aliquem iudicio.* Deinde quod dicunt: *Arceſſere aliquid a capite*, pro *ab ipſa origine aliquid petere.* Cicero 2 de Or. *A capite quod velimus arceſſere, & vnde omnia manant videre.* Et in Top. *Non erit neceſſe id vſque a capite arceſſere.*

ASPORTARE. Gellius Noct. Att. 6, 17. *Omnem illam librorum copiam Xerxes, Athenarum potitus, vrbe ipſa præter arcem incenſa, abſtulit aſportauitque in Perſas.*

DISTINERI elegans eſt pro *teneri, impediri.* Cicero 7, 12. ad Fam. *Nos hic multitudine & celebritate iudiciorum ita diſtinemur, vt quotidie vota faciamus, ne intercaletur.* Et 12, 30. ad Fam. *Antea diſtinebar maximis occupationibus.* Et 2, 23. ad Att. *Ex eo colligere poteris, quanta occupatione diſtinear.*

EIERARE aut *eiurare* vel totum vulgo ignotum, vel certe quædam eius

ſignificatio, videtur; quod videlicet idem eſt, quod reiicere, non agnoſcere, deteſtari. Cicero 2. de Or. Cum ei M. Flaccus multis probis obiectis, P. *Mutium iudicem tuliſſet, Eiero, inquit, iniquus eſt.* Vbi, *eierare iudicem*, idem eſt, quod non agnoſcere, reiicere. Sic Tertullianus in lib. de Idololatria, quod alii *renuntiare* vel *abrenuntiare Diabolo & pompæ eius* dicunt, eleganter dicit, *Diaboli pompam eierare. Tu, ſi Diaboli pompam eieraſti, inquit, quicquid ex ea attigeris, id ſcias eſſe idololatriam.* Iuſtinus 12, 4. 1. *A Philippo illum patre tantum degenerauiſſe, vt etiam patriæ nomen eiuraret.* Tacitus 3. Hiſt. 68. *Præuenerat rumor eiurari ab eo imperium.*

EXAEDIFICARE, vel idem quod ſimplex *ædificare*, vel aliquid amplius ſignificare, vulgo autem fere negligi videtur. Cicero ſubinde eo vtitur. Vt 2. de Leg. *In noſtris ſedibus exædificatum templum Licentiæ.* Et 4. Acad. *Ne exædificatum quidem hunc mundum diuino conſilio exiſtimo.* In his *exædificatum* idem eſſe videtur, quod *ædificatum*: At in aliis videtur aliquid amplius ſignificare, & quidem ipſam ædificationis abſolutionem & perfectio-

fectionem. Plautus Trin. 1, 2. *Dare te in manus argentum amanti homini adoleſcenti, qui exædificaret ſuam inchoatam ignauiam.* Cicero 1. de Or. *Rogo, vt quoniam tantum quoque habemus otii, quantum iamdiu non contigit, ne grauere exædificare id opus, quod inſtituiſti.* Cæſar 1. B. Ciu. *Quod oppidum Labienus conſtituerat, ſuaque pecunia exædificauerat.* Plauto: *Exædificare aliquem ex ædibus*, idem quoque eſt, quod expellere ex ædibus. Vt Trin. 5, 2. *Exædificauiſſet me ex his ædibus, absque te foret.* Quæ locutio ſimilis eſt illi, qua apud Nonium Attius dixit: *Expectorare ex animo.* Videtur autem ioci cauſa id ita formatum a Plauto, quemadmodum multa quoque alia.

PRAEOPTARE eleganter dicitur pro malle: ſed neglectum fere itidem eſt hodie. Nepos 25, 12, 1. *Præoptaretque equitis Romani filiam generoſarum nuptiis.* Ergo dicunt: *Præoptare aliquid alicui.* Sed dicunt etiam: *Præopto facere hoc.* Plautus Capt. 3, 5, 30. *Meumque potius me caput periculo præoptauiſſe, quam is periret, ponere.* Vide & Trin. 3, 2, 22.

PRAEFINIRE quoque huc refe-

ren-

rendum, nam & ipſum parum tritum hodie videtur. Cicero 7, 2. ad Fam. *Sed eo vidiſti multum, quod præfiniſti, quo ne pluris emerem.* Noſtri: *Du haſt mir vorgeſchrieben.* Et 2. de Leg. *A Platone ſumtus funerum præfinitur ex cenſibus.* Et pro S. Roſc. *Aliquanto poſt eam diem venerunt, quæ dies lege præfinita eſt.* Et 5. Tuſc. *Tu vero, vt videtur, nam præfinire non eſt meum.*

PRAEPEDIRE idem eſt, quod impedire: ſed neglectum fere eſt hodie. Saluſtius B. Iug. *In conſule noſtro multæ bonæque artis & animi & corporis erant: quas omnes auaritia præpediebat.* Liuius 7, 36. *Quo* (pauore) *præpediti nec arma impigre capere, nec obſiſtere, nec inſequi poterant.*

REPRAESENTARE ſublatum prorſus de lingua Latina videri, adeo paucos eſſe, qui eo vtantur, ſcribit Antonius Schorus. Ignoratione enim eius vulgus dicere, *promta pecunia ſoluere*, *cum pecunia promta emere.* Sed dixerint ſaltem & *præſenti pecunia emere:* Ipſum *repræſentare* plane negligi non negem, non ea tantum ſignificatione, quam Schorus notauit, ſed & alia. Præterea legendis auctori-

ctoribus antiquis & hoc obſeruare licet, verba diuerſarum conſtructionum ſubinde conſtructionem habere vnam eandemque; vel potius, vnum verbum conſtructionem ſequi alterius; ſi quidem verba inter ſe propinqua ſint. Nam ſeparata ſuam quodque peculiarem conſtructionem habet. Exempli gratia *ſuadere*, cum caſum modo tertium adſciſcere ſoleat, conſtructionem quoque aliorum verborum ſequitur, & adſciſcit caſum quartum. Cicero 13, 4 ad Famil. *Hæc eo ſpectant, vt te horter, & ſuadeam: reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandum.* Et de prouinc. conſular. *Nam poſtea me, vt ſibi eſſem Legatus, non ſolum ſuaſit, ſed etiam rogauit.* In quibus proximis & hoc ſingulare eſt, quod verbum *ſuadere*, etſi priorem locum occupat, tamen conſtructionem ſequitur verbi *rogare*. Cæſar 6. B. Gall. *Neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Cicero cæterique eius ætatis ſcriptores dicunt perpetuo: *Communicare cum aliquo aliquid.* Quod autem Cæſar verbum *communicare* conſtruxit cum caſu tertio, id ideo factum, quod verbum *reddere*

dere in propinquo eſt, quod ipſum illum caſum adſciſcit. Pari modo idem Cæſar lib. 6. de B. Gall. ſcribit: *Iis omnibus domus patent, victusque communicatur.* Sunt qui Cæſarem verbum *communicare*, & ſeparatum cum caſu tertio conſtruxiſſe putent, & quidem lib. 3. de B. Ciu. in his verbis: *Adhibitis Libone, Luceio & Theophane, quibus communicare de maximis rebus conſueuerat:* Verum monuerunt Viri docti, optimos codices MSS. habere, *quibuscum communicare conſueuerat.* Videſis Gronouium lib. 2. Obſeru. p. 113. Cicero pro C. Cornelio: *Legem dedit, an tulit, an rogauit, an hortatus eſt?* Liuius 32, 19. *Odi, odioque ſum Romanis.*

CAP.

CAP. III.

DE

PARTICVLIS QVIBVSDAM VULGO NEGLECTIS, AC IN VSVM REVOCANDIS.

Vt in aliis orationis partibus, ita nec in particulis deſunt, quæ vulgo negliguntur, quamuis ad latinitatem non proletariam plane ſpectent.

ADHVC a pauciſſimis adhibetur, ſi *ad hoc vsque tempus* aliquid factum ſignificare velint. Eſt tamen hic vocabuli vſus apud ſcriptores optimos tam frequens, quam infrequens apud eos eſt vulgatum iſtud *hactenus*, pro Germanorum *bisher*. Cic. lib. 4. Ep. 7. *Eo te adhuc conſilio vſum intelligo, vt id reprehendere non audeam.* Idem ad Atticum 7, 25. *Me adhuc non legiſſe* (Catonem tuum) *turpe vtrique noſtrum eſt.* Id ad Fam. 16, 18. *Indulge valetudini tuæ, cui qui-*

quidem tu adhuc, dum mihi deſeruis, ſeruiſti non ſatis. Et 9, 13. *Et in ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo.* Plin. Panegyr. c. 1. *Etſi adhuc dubium fuiſſet, forte caſuque rectores terris, an aliquo numine darentur, principem tamen noſtrum liqueret diuinitus conſtitutum.* Nec mirum iſtud, quod potius voce *adhuc*, quam voce *hactenus* vti, ea quidem notione voluere. Eſt enim *adhuc* manifeſto pro *ad hoc*, intellecto *tempus.* At hactenus eſt eius formæ, cuius ſunt *quatenus*, *eatenus*, *aliquatenus*, & ſequitur hæc fere particula *vt.* Cic. de Orat. *Hæc artem quidem & præcepta duntaxat, hactenus requirunt, vt certis dicendi luminibus ornentur.* Iuſt. 39, 1, 9. *Rex a matre hactenus conſtituitur, vt nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem eſſet.* Vide & libellum de latinitate merito ſuſpecta, p. 155.

GENERATIM, SPECIATIM, his vocabulis hodie, qui vtatur, vix reperias. Dicunt: *in genere, in ſpecie.* Atqui

Atqui Cicero, aliique veteres, vocabulis iſtis crebro, his nunquam aut rariſſime, vſi ſunt. Cæſar 2. B. Ciu. *Omnibus generatim gratias agere.* Cic. 2. de Orat. *Infinitum mihi videtur, id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur hoc modo: Expetendane eſſet eloquentia, expetendine honores.* Cic. poſt Red. in Sen. *Legem ſpeciatim de ſalute mea promulgauit.* Pro *ſpeciatim* quoque dicere ſolent auctores *ſigillatim, membratim.* Cic. 7. in Verr. *Nam quid ego de cæteris Ciuium Romanorum ſuppliciis ſigillatim potius, quam generatim atque vniuerſe, loquar?* Et 2. de Inuent. *Vt ſi amicitiæ quid cauſa factum dicetur, ſi inimici vlciſcendi, ſi metus, ſi gloria, ſi denique, vt omnia generatim ampleƈtamur, alicuius retinendi, augendi, adipiſcendique commodi cauſa.* Virgil. l. 2. Georg.

Quare agite, o proprios generatim diſcite cultus
Agricolæ - - -

Suetonius Caligula c. 22. *Hoſtiæ generatim immolantur per ſingulos dies.* Sed non eadem in his omnibus vocabuli

notio apparet. In quibusdam enim *generatim* idem eſt, quod generaliter, vniuerſe: In aliis vero idem eſt, quod *ſeparatim* per certa genera, vel, vt cum Dialecticis loquar, *per certas ſpecies.* Quod Virgilius dicit, cultus arborum proprios *generatim* diſcendos eſſe, ſenſus eſt, vniuſcuiusque generis arborum cultum ſeparatim diſcendum eſſe, quod videlicet vnum genus arborum auulſione, aliud infoſſione, aliud inſitione, aliud aliis modis, colatur.

IDENTIDEM pro *frequenter, ſubinde*, cumprimis eſt in ignoratis & neglectis vulgo, quod tamen in deliciis habent caſtigatiſſimi ſcriptores. Cic. pro S. Roſc. *L. Caſſius identidem in cauſſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet.* Plin. Ep. VI. 7. *Inuicem ego epiſtolas tuas lectito, atque identidem in manus quaſi nouas ſumo.* Et I, 13. *Nunc otioſiſſimus quisque multo ante rogatus, & identidem admonitus aut non venit, aut queritur, ſe diem perdidiſſe.* Cic. de Nat. D. *Idque prouidit natura, vt identidem fieri poſſet cum maxima celeritate.* Liuius lib. 40. *Cum iden-*

identidem ſpecies & vmbræ inſontis interemti filii eum diris agitarent. Et lib. 26. *Subſidia deinde identidem ſubmiſſa auerterunt in fugam hoſtes.*

NEQVICQVAM eleganter pro *fruſtra* adhibetur, ſed non multum vſu tritum eſt, adeo, vt pene exulet a noſtrorum ſcriptis. De hoc Feſtus: *Nequicquam ſignificare idem, quod fruſtra, plurimis autorum exemplis manifeſtum eſt.* Et ita ſane eſt. Cæſar 1. B. Ciu. *Sin* (Senatus) *cunctetur, atque agat lenius nequicquam eius auxilium, ſi poſtea velit, imploraturum.* Salluſtius B. Cat. *Vbi ſocordiæ tete, ignauiæque tradideris, nequicquam Deos implores, irati infeſtique ſunt.* Cic. 3. Offic. *Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non poteſt, nequicquam ſapit.* Tacitus Hiſt. 2. *Angebant Cæcinam, nequidquam omnia cœpta & ſeneſcens exercitus ſui fama.*

PARTICVLATIM negligitur fere hodie, pro *per partes.* Reducendum in vſum ex Columella lib. 7. *Particulatim facilius, quam vniuerſus conualeſcit.*

leſcit. Et Seneca epiſt. 24. *Particulatim excarnificare*, & *vota particulatim facere*, non dubitat dicere. Ipſe Cicero, ſive Auctor ad Heren. *Si ſummatim, non particulatim narrabimus.*

PRIVATE ſupra in parte 1. c. 7. de aliquo aduerbii *priuatim* vſu diximus, qui vulgo fere negligatur. At cognati *priuate* non vſus quidam, ſed ipſum totum negligitur. Eſt autem idem, quod *priuatim*, ea quidem huius ſignificatione, quæ ſupra prædicto loco eſt expoſita.

QVANDOQVE pro *interdum*, qui dicant, ſunt plurimi. Qui vero pro *aliquando* & de *tempore futuro* vocem eam vſurpent, dicantque exempli cauſſa: *Hoc tibi exitio quandoque futurum eſt*, vix inuenias. Atqui apud veteres vocabuli vſu iſto nihil eſt frequentius. Cic. Ep. 6, 19. *Ego me Aſturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* Suetonius in Nerone: *Britannicum ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praualeret, veneno*

neno aggreſſus eſt. Tacitus An. 6, 20. *Et tu Galba, quandoque deguſtabis imperium.* Plin. Ep. 4, 13. *Totum etiam pollicerer, niſi timerem, ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, vt accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publice conducuntur.* Id. Panegyr. *Ex his quandoque naſcentur, quibus alimentis opus non ſit.* Eſt autem & alius eiusdem vocis vſus, qui, cum apud veteres paſſim appareat, hodie fere negligitur; quod videlicet *quandoque* eſt, pro *quandocunque*, vt in illo Horatii, quod vulgo ſenſu plane diuerſo, quam ipſe poeta, vſurpant; *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

SVBINDE, idem fere, quod *identidem* (vid. ſup.) frequenter, ſed cum interuallo, notat. Rariſſime, nec ſatis recte, adhiberi ſolet. Plin. ep. 1, 2. *Tempus audiendis fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nunciari iubent &c.* Et 11, 7. *Erit ergo pergratum mihi, hanc effigiem eius ſubinde intueri, ſubinde reſpicere.*

Idem de aduerbiis quibusdam com-

paratiui gradus ſentiendum eſt. Quotus enim quisque hodie *explicitius*, *explanatius*, *ſollicitius*, *excuſatius* &c. loqui audet? Cic. in Oratore: *Explanatius definire.* Cæſ. 1. de Bell. Ciu. *Explicitius videbatur Ilerdam reuerti.* Quintilianus 2. *Solicitius adhibere diſcrimina.* Apuleius Apolog. *Peccatum ſemel bonus quisque ſollicitius cauet.* Plin. ep. IX. 21. *Licebit rurſus iraſci, ſi meruerit, quod exoratus excuſatius facies.* Iuſtinus 32, 2. *Sperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis, excuſatius ſacrilegia commiſſurum.*

DE VITIOSO

DE
VITIOSO
M. T. CICERONIS
IMITATORE

DISSERTATIO

M. ANDREAE IVLII DORNMEIERI.

ARGVMENTVM
DISSERTATIONIS.

Cicero in eloquentia primus, homo tamen, h. e. errori obnoxius. n. 1. 2. Ipſe modeſtior, quam vt hoc negauerit. 3. 4. 5. 6. Inepta imitatio quotuplex? 7. Quatuor conſtituuntur claſſes diſſertationis. 8. Claſſis PRIMA *de næuis Ciceronis. Ac primum de iis, qui aliquos næuos ei tribuerunt, obtrectatoribus partim, partim æquis iudicibus. 9. 10. 11. 12. 13. Quorum auctoritate omisſa, exemplis res probatur, ſingularum vocum, 14. 15. 16. & ſyntaxeos, 17. Interiectum h. l. eſt, quomodo cognoſcatur, fueritne aliquid adprobante*

te auctore ſcriptum, an ei præter cogitationem exciderit. 18. Exempla iam, quæ contra oratorium numerum ſunt, adferuntur, vt, multa monoſyllaba coniuncta, diſſyllaba, polyſyllaba, & in quibus tono peccatur. 19. 20. 21. rhythmi, 22. eadem initia plurium periodorum, nimia particularum coniunctio, abundans vocum iteratio, idiotiſmus, cuius adfectatio improbatur; 22. 23. 24. 25. verſus poetici in proſa negligenter poſiti. 26. Additur de conatu quorumdam, qui Ciceronis næuis figuræ nomen obtendunt, aut aliter eos excuſant. 27. 28. 29. Claſſis ALTERA *de iis, quæ non ipſi Ciceroni vitia ſunt, ſed imitatori. De Archaiſmis. 30. 31. 32. de archaiſmorum vſu & abuſu. 33. de Nouatis ſeu factis. 34. 35. 36. 37. 38. 39. de orthographiæ diuerſo vſu. 40. 41. de iis, quæ Germaniſmi ſpeciem oſtendunt. 42. de raris ac ſingularibus. 43. Claſſis* TERTIA *de iis, quæ ex Cicerone excerpta, perperam & alieno loco applicantur, vt ſunt, græca, 44. 45. poetica, philoſophica, ſcholaſtica, 46. quædam ex errante philoſophia, 47. nonnulla, quorum vſus ambiguæ & ſuſpectæ notæ eſt. 48. de eccleſiaſticis vocibus & locutionibus. ibid. de confuſione dictionis Aſiaticæ, Atticæ, & Laconicæ. 49. 50. de formulis* προσφωνήσεως *in orationibus, itemque de inſcriptionibus & ſubſcriptionibus epiſtolarum. 51. de vocabulis honorum, dignitatum ac ordinum. 52. de connexa & diuiſa oratione. 53. 54. de fictis vocum differentiis, & ſynonymis. 55. 56. 57. 58. 59. 60.*

Claſſis

Claſſis QVARTA *de iis, quæ falſo vel obſcure Ciceronis dicuntur, primumque, quæ quidem non huius, at aliorum auctorum, vſu cognita ſunt & adprobata. 62. deinde, quæ nec Cicero habet, nec aliquis antiquorum, nec, ſi quis habeat, imitari decet. 63. De cauſſis, cur multa Ciceroni falſo tribuantur, vti ſunt, errores Lexicorum, in quibus varie offenditur. ibid. & 64. deinde Grammaticorum. 65. itemque aliorum, libros Ciceronis vitioſe deſcribentium. 66. tandem de illis, qui ſolum Tullium imitatione dignum fabulantur. 67. ſeqq.*

§. I.

Qvod omnibus fere ſolet accidere, qui dignis laudibus claros viros impertiunt, vt plus iuſto feciſſe multis videantur, idem & mihi auguror euenturum, ſi Marci Tullii decus honoremque explicuero; quum defuturi non ſint, quibus non tantum admirator eius videar, ſed intemperans etiam cultor & adorator. Atque fateor, me Ciceroni tantum in eloquentia ſemper tribuiſſe, quantum nemini: neque tamen diuinos ei honores adſigno, quem hominem fuiſſe, ex mortali conditione intelligo. Quem ſi ſic

laudarem, vt omiſſis, quæ reprehendi poterant, ſola, quæ ad commendationem pertinent, perſequerer, verendum mihi non foret, ne vitioſus ob eam cauſſam audirem. Solent quippe, qui de laude illuſtrium hominum ex inſtituto diſſerunt, vitiorum memoriam tranſire; & qui contrarium capeſſunt argumentum, virtutem ſilent: nec aut illos aliquo iure, aut hos culpaueris, quoniam vtrique agunt pro inſtituto ſuo.

§. II. Aduerſa mihi permiſſa ratio erit, Ciceronis næuos indicaturo, poteroque omnia, quæ ad aliquam laudem referuntur, citra præuaricationis crimen ſilere. Quare, quem alibi decorandum mihi ſumſi, adprobantibus æquis rerum arbitris, eius iam imperfectionem, iisdem forte non improbaturis, eo ſimul patefaciam argumento, quo de ſiniſtra Ciceronis imitatione diſſeram. Cui conatui ſi quis ſuccenſere & iraſci velit, debet ante omnia conſiderare, quanam me pœna dignum putet, ſi Marcum Tullium ex cenſu hominum eiicerem. At homines errori obnoxios eſſe, qui neget, eum ego an iudicio pollere dicam,

cam, valde dubito; hominem eſſe non credo.

§. III. Quin ipſe Tullius, etſi vir cupidiſſimus gloriæ, & nequaquam ſui contemtor, tamen, ſi reſpondere poſſet ſuperbe laudantibus, iis inquam, qui ab omni eum errore adſerunt, multo foret verecundior modeſtiorque, quam vt iniquam de ſe opinionem & plane ruſticam non deprecaretur. Secus de illo qui iudicet, non obſeruauerit is, aut, ſi obſeruauit, oblitus deinde ſit neceſſe eſt, quæ in ſcriptis Ciceronis teſtimonia leguntur.

§. IV. Immo nec ei, qui quidem apud ipſum Ciceronem talia parum attendit, ignota poſſunt eſſe, niſi aliis quoque Philologorum libris neglectis. Quintilianus diuerſis locis hæc attigit, cuius liber de Inſtitutione oratoria in ſcholis verſatur, aut verſari debet. Is tertio libro (cap. VI.) ſic refert: *Hippocrates clarus arte medicinæ, videtur honeſtiſſime feciſſe, quod quosdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt: & Marcus Tullius non dubitauit, aliquos iam editos libros aliis poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut*

ſicut Catulum atque Lucullum, & hos ipſos, de quibus modo ſum locutus, artis Rhetoricæ. Etenim ſuperuacuus foret in ſtudiis labor, ſi nihil liceret melius inuenire præteritis. Eiusdemque nominis & argumenti libros Voſſii quis ignorat? quorum aliquo (libro IV. p. 25.) hæc tradit: *Fuit, quum exiſtimaret Marcus Tullius, inhibere remos idem eſſe ac retinere, eoque vt auriga equos inhibet, quo curſum ſiſtat, ita etiam remos inhiberi putaret, quum ſuſtinerentur. Poſtea ex nautis didicit, inhiberi remos, quum remiges, alio nauigantes modo, nauim ad puppim conuertunt. Quod edoctus, minime ceſſandum putauit, vſque dum eius rei & Atticus & Varro monerentur, quo in ſecundo Academicarum quæſtionum libro, quem iam transmiſerat, locus ille emendaretur. Quod ita eſſe indicant Tullii verba ad Atticum epiſt. XXI. libro XIII.*

§. V. Viderunt ingenuam Tullii confeſſionem alii quoque eruditi, datoque loco, paſſim eam commemorarunt, ne falſum putetur, quod aliqui, indicatis tantum errorum exemplis, aut ſine his etiam teſtantur, erraſſe Ciceronem, tantum virum, tanto rerum omnium vſu

vſu excellentem. Apud Aulum Gellium (libro XV. cap. VI.) *manifeſtus error* ei tribuitur, *qui non* ſit *animaduerſus poſtea, correctusque vel ab ipſo, vel a Tirone liberto eius, diligentiſſimo homine, & librorum patroni ſui ſtudioſiſſimo.* Vbi dicitur manifeſtus error, Petrus Moſellanus, quo dubitationem lectori ſubmoueret, hæc adnotauit: *Marcus Tullius in epiſtolis ad Atticum ingenue fatetur, id genus memoriæ errores non ſemel commiſſos: verum deprecatur crimen, vel culpam potius, hoc potiſſimum nomine, quod altiſſimis Philoſophiæ contemplationibus & reipublicæ curis occupatus, non quiuerit ſe ad adminicula hæc demittere: cuiusmodi errorem apud Ciceronem eumdem, libro de Diuinatione ſecundo, Politianus adſeruauit in Miſcellaneis capite quinquageſimo tertio, quod videlicet Agamemnonem Homericum pro Vlyſſe nominet.*

§. VI. Sunt quidem nonnulla, quæ Cicero ſic excuſat, vt videatur defendere; ſed hæc talia ſunt, vt ſui auctoris interpretationem admittant: neque facere tamen poteſt, vt errare ſe potuiſſe diſſimulet; tantum abeſt vt neget.

Exemplo ſit, quod *in Piraea* dixerat, pro *Piræeum:* quam locutionem in epiſtola quadam ad Atticum (libro VII. ep. IV.) tuetur: *Venio ad Piræea, in quo magis reprehendendus ſum, quod homo Romanus Piræea ſcripſerim, non Piræeum, (ſic enim omnes noſtri locuti ſunt,) quam quod IN addiderim. Non enim hoc (particulam in) ut oppido præpoſui, ſed vt loco: & tamen Dionyſius noſter, qui eſt nobiſcum, & Nicias Cous, non rebatur oppidum eſſe Piræea. Sed de eo videro. Noſtrum quidem ſi eſt peccatum, in eo eſt, quod non vt de oppido locutus ſum, ſed vt de loco: ſecutusque ſum, non dico Cæcilium, Mane vt ex portu in Piræeum, (malus enim auctor Latinitatis eſt,) ſed Terentium, cuius fabellæ, propter elegantiam ſermonis, putabantur a C. Lælio ſcribi:* HERI ALIQVOT ADOLESCENTVLI COIMVS IN PIRAEEVM. Et idem: MERCATOR HOC ADDEBAT, CAPTAM E SVNIO. *Quodſi* δήμους *oppida volumus eſſe, tam eſt oppidum Sunium, quam Piræeus.*

§. VII. Hæc ipſius Tullii mentem ſatis declarant, quibus vberiore explicatione non immoror, eo progreſſurus, vt,

vt, inepta Ciceronis imitatio quæ ſit, in ſpem melioris doceam. Cuius quidem rei latior conſpectus eſt, quam vt ſoli errores Tullii ob oculos ponantur, quia non magis dicendus eſt malus imitator, qui errantem hunc, quam qui errorem ſequitur aliorum, Tullio locutiones varias adfingentium, itemque, qui non adſequitur ſcite præeuntem: volo tamen de erroribus initio præmonere, quia non tantum aliquam hi partem diſſertationis efficient; ſed etiam verecundiæ meæ cauſſa, vt ſtatim conſtet, quem erroris arguo, eſſe eum iudicio quoque meo inſignem, & præ ceteris imitatione digniſſimum.

§. VIII. Dicam itaque, vt ſummas breuiter præfigam, PRIMA claſſe de næuis Ciceronis: ALTERA de iis, quæ quidem auctori ſuo latina ſunt, non autem cuicunque imitaturo, aut vbique cuipiam: TERTIA de iis, quæ alio ſenſu & loco, quam decebat, ex Ciceronis locutionibus petuntur: POSTREMA, quæ Ciceroni dubie falſoque tribuuntur.

§. IX. Ac Ciceronis quidem vitia & errores qui notarunt, non pauci ſunt

eruditorum, antiqui iuxta & recentiores, iique vel Philoſophiam eius, hiſtoriam, resque ceteras examinarunt, vel verba & eloquentiam. In his ſunt, qui ſcientes a vero receſſerunt; ſunt etiam, qui neſcientes. Me certe data opera nihil ficturum teſtor; & ne fallam inſcius, in euidentiſſimis ſubſiſtam. Relictis autem iis, quæ verbis res opponuntur, ſolam Tullii dictionem mihi proponam, nullum nec veterem iudicem preſſe ſecuturus, nec recentiorem, ſed quidquid inuenero tale, vt adfirmare cum ratione poſſim.

X. Sunt enim, quos obtrectatores verius dicas, quam iudices, inter quos nominatim eſt vterque Aſinius, pater, Pollio, is qui Patauinitatem in Liuio notauit, (Quintil. libro I. cap. V. & libro VIII. cap. I.) & Gallus, filius, & Largus Licinius, & Caluus, & Didymus Chalcenterus, (de cuius libris legitur apud Ammianum XXII. extr.) aliique veterum; & recentis æui Claudius Verdierius, homo Gallus, (Morh. Polyhiſt. t. I. l. I. p. 191.) & quem canem dicunt Grammaticum, Caſpar Scioppius, & plu-

plures. Sunt deinde, qui quidem a liuore alieni deprehenduntur, non autem ab errore: ad quos Brutum ex antiquitate retuleris, &, qui recentior eſt, Quintilianum, & ſuperioris ſæculi Voſſium, & alios, quos non recenſebo.

§. XI. Quem Gallum Aſinium iam memoraui, & Largium, de his Gellium (libro XVII. cap. 1.) cognoſce: *Nonnulli tam prodigioſi, tamque vecordes exſtiterunt, (in quibus ſunt Gallus Aſinius, & Largius Licinius, cuius liber etiam fertur infando titulo Ciceromaſtix.) vt ſcribere auſi ſint, Marcum Ciceronem parum integre, atque improprie, atque inconſiderate locutum. Atque alia quidem, quæ reprehenderunt, neque dictu neque auditu digna ſunt.* De Caluo & Aſiniis Fabius libro duodecimo: (cap. 1. p. 714. edit. Obrecht.) *Transeo illos, qui Ciceroni ac Demoſtheni ne in eloquentia quidem ſatis tribuunt; quamquam neque ipſi Ciceroni Demoſthenes videatur eſſe perfectus, quem dormitare interim dicit; nec Cicero Bruto Caluoque, qui certe compoſitionem illius etiam apud ipſum reprehenderunt; nec Aſinio vtrique, qui vitia orationis eius etiam inimice pluribus locis inſequuntur.*

§. XII.

§. XII. Eadem de Bruto & Caluo legas in Dialogo notiſſimo de oratoribus: (cap. XVIII. n. 6.) *Legiſti vtique & Calui & Bruti ad Ciceronem miſſas epiſtolas, ex quibus facile eſt deprehendere, Caluum quidem Ciceroni viſum exſanguem & attritum; Brutum autem otioſum atque diſiunctum: rurſumque Ciceronem a Caluo quidem male audiuiſſe, tamquam ſolutum & eneruem; a Bruto autem, vt ipſius verbis vtar, tamquam fractum atque elumbem.* Ex his autem non animus Bruti & Calui, ſed nuda reprehenſio intelligitur: quæ qua mente profecta ſit, ingenua an maligna, aliunde noſcendum eſt, & conſtat ex eodem libro cap. XXV, vbi Quintilianus, *Quomodo inter Atticos oratores,* inquit, *primæ Demoſtheni tribuuntur, proximum autem locum Aeſchines, & Hyperides, & Lyſias & Lycurgus obtinent: ſic apud nos Cicero quidem ceteros eorumdem temporum diſertos anteceſſit; Caluus autem, & Aſinius, & Cæſar, & Cœlius, & Brutus, ſuo iure & prioribus & ſequentibus opponuntur. Nec refert, quod inter ſe ſpecie differant, quum genere conſentiant. Adſtrictior Caluus, numeroſior Aſinius* (non Gallus, ſed Pollio) *ſplen-*

ſplendidior Cæſar, amarior Cœlius, grauior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero; omnes tamen eamdem ſanitatem eloquentiæ ferunt: vt, ſi omnium pariter libros in manum ſumſeris, ſcias, quamuis in diuerſis ingeniis, eſſe quamdam iudicii & voluntatis ſimilitudinem & cognationem. Nam quod inuicem ſe obtrectauerunt, & ſuperſunt aliqua epiſtolis eorum inſerta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non eſt oratorum vitium, ſed hominum. Nam & Caluum, & Aſinium, & ipſum Ciceronem, credo ſolitos inuidere, & liuere, & ceteris humanæ infirmitatis vitiis adfici: ſolum inter hos arbitror Brutum non malignitate, nec inuidia, ſed ſimpliciter & ingenue iudicium animi ſui detexiſſe.

§. XIII. Idem eſto iudicium de Quintiliano, cenſore Tullii, vt plurimum ſatis accurato, interdum errante quoque, nunquam obtrectante; idemque de aliis, & inprimis de Hieronymo, cuius hæc de Cicerone digna eſt obſeruatu ſententia: *Tullius noſter Platonis integros libros ad verbum interpretatus eſt, & quum Aratum iam hexametris verſibus edidiſſet, in Xenophontis Oeconomico luſit; in quo opere*

ita

ita ſæpe aureum illud flumen eloquentiæ quibuſdam ſcabris & turbulentis obicibus retardatur, vt, qui interpretata neſciunt, a Cicerone dicta non credant. Difficile eſt enim, alienas lineas inſequentem non alicubi excedere, & arduum, vt, quæ in aliena lingua bene dicta ſunt, eumdem decorem in translatione conſeruent. Significatum eſt aliquid vnius verbi proprietate; non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro implere ſententiam, longo ambitu vix breuis vitæ ſpatia conſummo. Accedunt hyperbatorum anfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum, cet. Ad honeſtum hunc ordinem cenſorum Voſſius quoque referendus eſt, vir, ſi quis alius, iudicio pollens, & philologiæ laude abundans. Scioppium nihil moror, mordaciſſimum illum, hominem dices, an canem? qui, quum nec ſuperiorem ferret, nec parem, nullius honori ac nomini pepercit, inueniens in Cicerone nonnulla, quæ iure corrigeret; ſed plura fingens, quæ turpi auſu inceſſeret atque laceraret. Eat is cum ſimilibus, indignis, quos vel ſequendos putem, vel refellendos.

§. XIV. Neque enim, ſi tantum auctori-

ctoritatibus agam, adſenſum vbique conſequar, ſed ſi rationibus inſtitutum perficiam, proferamque indubitate vera. Ad hæc igitur colligenda nunc me confero, &, quod primum eſt, in apto venuſtoque corpore næuos aliquos noto, quum vnum adhuc præmonuero, timori occurrendum eſſe quorumdam, qui putant, nullo loco reprehendendum eſſe Ciceronem, ne lectionem eius imitationemque adoleſcentes reſpuant. In quo nimium cautos eos dicendos eſſe, ex eo patet, quod indicatis iis, quæ culte dicta non ſunt, fit, vt meliora eligantur, quorum nulla forſan ſine iſtis indicibus cupiditas fuiſſet.

§. XV. Illo igitur metu omiſſo, rem omnem intento intueamur oculo, &, vbi errauerit magnus magiſter, minores quidem nos, tamen obſeruemus; & videbimus tam in ſingulis vocibus nonnihil, quod notam ferat, quam in contextis, ſeu varia compoſitione. Non obſcuris hic vtar teſtimoniis, nec proferam, quæ poſſint in diuerſam ſententiam diſputari; cuius modi eſt, quod *vindicationem* recte a Cicerone definiri Voſ-

ſius

ſius negat. (libro II. Inſtit. Orat. p. 202.) Nam primo de inuentione libro *vindicatio* dicitur, *per quam vim & contumeliam defendendo & vlciſcendo propulſamus a nobis, & a noſtris, & qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus.* Ait Voſſius, vindictam & pœnam a Cicerone confundi: pœnam infligi propter alios, emendationis cauſſa; vindictam non exerceri propter alios, ſed propter ſe. Hoc certe tale eſt, in quo facile excuſauerim Ciceronem, ſi non omnino laudauerim.

§. XVI. Euidentius puto, quod παῤῥησίας vocabulum Latine *licentiam* transtulit, & alibi *effrenationem*, quod idem Voſſius accurate fieri negat. libro V. cap. 13. p. 413. (Vide plura de translatis e græco, §. XVII.) Sic *fidei* etymon conſtituit, quia *fiat*, quod dictum ſit. Alibi *ſubtile* idem ei eſt, quod *humile*, quum tria genera dicendi hæc ponit: *Subtilia humiliter, magna grauiter, & mediocria temperate dicere.* Errauit, credo, quum hæc diceret, Marcus Tullius. Quem ſi quis liberare ſtudeat, vt ſunt quidam deſperatarum etiam cauſſarum patroni,

patroni, fingat ille, contendatque, *ſubtilia* primo ſignificatu dici, quæ ſint ita tenuia & minuta, vt oculorum ſenſum fere fugiant, ſintque nullius aut vulgaris pretii. Ita quidem dicetur aliquid, ſed id aliquid nihil erit.

§. XVII. Deinde in ſyntaxin etiam ſiue conſtructam orationem, a Cicerone peccatum eſt, quod e pluribus hæc probabunt, dudum ab aliis notata. *At vero etiam tum Catone viuo, qui annos quinque & octoginta natus exceſſit e vita, (quum quidem eo ipſo anno contra Sergium Galbam ad populum ſumma contentione dixiſſet; quam etiam orationem ſcriptam reliquit) ſed viuo Catone minores natu multi vno tempore oratores floruerunt.* In Bruto, ſeu de Claris Orat. Hoc loco Petrus Ramus in Ciceroniano ſuo, *Omitte*, inquit, *parentheſin, extrema coniunge, ſenties apertius exemplum hyperbati, quod non dubium ſyntaxeos vitium eſt.* Idemque Ramus alterum ex eodem Bruto, immo tertium quoque addit, quæ iam omitto, vt etiam iſtius libri legendi cupiditatem excitem. Ita, quæ nunc ſequuntur, accuratam ſyntaxin non

b oſten-

oſtendunt. *Marcus T. Cicero Appio Pulchro* (*vt ſpero*) *cenſori ſalutem plurimam dicit.* libro III. ep. XI. ad diuerſos vulgo familiares. Non dicendum videtur, *vt ſpero*, ſed *vt ſperat*, quia ſequitur *dicit*, non *dico.* Niſi hoc forte ſic excuſaueris, vt putes, in animo Ciceronis *dico* fuiſſe, non *dicit.* Et primo libro ep. IX. n. 63. *Itaque eius omni & gratia, quæ ſumma eſt, & opibus, quas intelligis eſſe maximas, ſic fruor, vt meis.* Vox *omnis*, ante particulam & poſita, requirit, vt *ope* dicatur, non *opibus.* Quæ ſi ſic ordinabis. *Itaque & omni eius gratia*, cetera: nihil moneo. Similiter quarto ad Herennium: *Illis, quod & libet, licet, & quod licet, poſſunt.* Datiuus caſus pronominis, *illis*, cum verbo *poſſunt*, male cohæret. Quodſi dixiſſet, *Illis quod libet, licet, & quod licet, poſſunt*, concederem, *poſſunt*, idem eſſe, quod *illi poſſunt:* (de quo genere ſupplendæ orationis infra dicam. §. 53. & 54.) ſed obſtat huic ellipſi coniunctio ET, primo loco ante verbum poſita, in quo verborum ordine negatæ ellipſeos ratio ſita eſt. Verum hæc Tullio non cogitanti excide-

 derunt.

derunt. Contingit enim inter ſcribendum, vt quam conſtructionem initio periodi in animo habebamus, eam amittamus in fine, quum ſermone alicuius, vel alio modo interturbamur. Huius generis multa apud diuerſos reperias, vt apud Cornelium Nepotem in fragmentis: *Video, magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore & continentia præcipiant argutisſime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere.* Pronomen *eosdem* in hac oratione abundare, quis non concedit? Plinius libro X. ep. XXXIV. *Ego tamen æſtimans, nouum fieri debere, videris mihi deſiderio eorum indulgere poſſe.*

§. XVIII. Aut hæc errata ſunt, aut, quis error ſit, omnino neſcio. (Vide Cellarii notam ad hanc epiſt.) Atque conceſſa res eſt clarorum philologorum ſententiis: tu vero, qui antiquitatem vbique miraris, vbique prædicas, tueris, omnemque erroris ſuſpicionem damnas, conſtitue, ad quam nouam figuram talia referantur. Figura eſt, ſi quid aliter, quam fert communis regula, dictum reperitur; ſed dictum a ſciente & volente. Scientem autem dixiſſe, mihi tum non

perſuadeo, quum eſt exemplum huiusmodi, cui ſimile non exſtat; aut ſi omnino exſtet, tamen connectendi ratione, analogia, & exemplis deficitur. Sunt quædam talia, de quibus, licet communi regulæ non reſpondeant, certis tamen indiciis aut veriſimilibus conſtat, huius illiusue auctoris eſſe, & quidem ita ſcribere volentis. Sic nemo negauerit, ſcriptori exemplum id placuiſſe, quod idem diuerſis locis iterauit. Maxima probabilitas eſt in iis, quæ ſacris ſcriptoribus cum profanis communia ſunt: nam quum certum indubitatumque ſit, quæ a communiore vſu in ſacris recedunt, recte nihilominus habere; nec errori locum eſſe, fit, vt eadem, ſi ſint apud profanum aliquem ſcriptorem reperta, ad eamdem figuram referantur. Hanc ſolam rationem, ſed veriſimillimam admitto: poteſt enim, quod aliquo loco de induſtria ſcriptum eſt, alibi cum errore poſitum eſſe. Illud auctori non placuiſſe exiſtimamus, ſed excidiſſe non opinanti, quod oratorium numerum turbat, vti ſunt, quæ ſequuntur.

§. XIX. Primum quidem huic numero

mero monoſyllaba impedimento ſunt, vt: Honeſtum, *quid ſit, ſi id non eſt in* voluntate, negat ſe intelligere. libro II. de Fin. cap. 87. & paucis interiectis: *Non is vir eſt, vt, quum.* cet. Diſſyllaba deinde huc pertinent, vno commate ter, quater, aut maiore numero coniuncta, exceptis, quæ conſilio quodam & adfectu iunguntur, vt: *Quantæ tibi curæ meus honos fuerit.* libro XV. ep. XI. pr. *Nec eſſe vllum magnum malum, præter culpam.* VI. ep. 4. n. 6. *Atque iſtam quidem partem vitæ conſuetudinisque noſtræ totam ad te defero.* I. ep. 9. n. 69. *An vero vllam vsque eſſe oram tam deſertam putatis?* pro Lege Manil. cap. 15. Sed in eo, quod nunc adducam, adfectus nullus probabilis eſt. *Vereor, ne aut eripiatur nobis, aut deſeratur: quorum vtrum minus velim, non facile poſſum exiſtimare.* libro I. ep. 5. n. 5. Quodſi hoc etiam exemplum videatur alicui emphaticum, vitet illa, in quibus emphaſin deſiderabit.

§. XX. Sed & ea non admodum placent, quæ alternis ſyllabis eleuantur & ſubſidunt, vt: *Nihil mihi tam deeſſe ſcito.* libro XII. ep. 18. Excipio, ſi quæ-

dam voces celerius ceteris pronuntiantur, vt: *Scire enim cupio, quid agas.* libro VII. ep. 10. vbi verbum *cupio* celeriore pronuntiatione tonum variat; addo, quod & commate interpoſito idem fiat. Hic autem in vniuerſum nihil niſi illud præcipio, aurium iudicio, quod vbique in ſtilo dominatur, etiam in his vti oportere. Triſyllaba complura, & quadriſyllaba, itidem contra decorum numerum adferuntur, niſi accentuum varietate gratia ſervetur: qui ſi occupauerint cujusque vocabuli vel primam ſyllabam, vel aliam, oratorio numero vis infertur; quod fit in eo Ciceronis: *Non igitur de improbo ſed callide improbo quærimus.* Duo triſyllaba, quæ accentum in eadem ſyllaba referunt, totidemque quadriſyllaba, tuto adhibes, modo id parce fiat: plura cumulare, contra numeri legem eſt, decetque aurem ſequi, ſuis verba modulis penſitantem.

§. XXI. Neque magis gratum eſt, aliquot commata pari vocum numero concludere, idque vel paribus ſyllabis, vel ita imparibus, vt prima quæque vox commatum, vel altera, vel poſtrema, ſylla-

ſyllabarum numero conueniat. *Te tamen, mi Brute, ſic amo, vt debeo* Cic. Lib. XI. Ep. 21. Vides hic, primam cujusque commatis vocem monoſyllabam eſſe, alteram diſſyllabam, præter vltimam periodi. Sed & alibi vitium hoc, aut ſemiuitium, cauendum eſt, quum in eodem commate occurrit, vt: *Hi pueri tam lepidi.* Catil. II. Cap. 10. Cujus generis plura ſunt apud Ciceronem: quo tamen referri nolim, quæ aliquam ſcribentis induſtriam aperte præ ſe ferunt, vti eſt illud: *Sic moneo,* vt filium, ſic faueo, vt mihi. lib. X. Ep. 5. extr. Pronum eſt intelligere, de induſtria & voluntate ſic ſcriptum eſſe, & vel pueris notum puto anaphoræ nomen, quo id refertur. Addo his exempla, in quibus prima vox quartæ, quantum ad ſyllabas attinet, reſpondet, ſecunda quintæ, ſextæ tertia, vt: *hæc ſcripſi ſubito, quum Bruti pueri &c.* lib. III. Ep. 7. n. 1.

§. XXII. Præterea nec rhythmi numeroſe ſonant, niſi ſingularis ratio conſtet, cur ponantur. Neque enim eſt gratum auditu: *Tres ſunt res.* pro Archia Cap. XIII. *Minore cum labore.* Ca-

til. IV. Cap. XI. *Superioribus temporibus* libro I. epiſt. 17. *Villa puſilla.* libro XII. Ep. 20. Video, Marcum Tullium, quæ quidem hic neglexit, alio loco curioſius euitaſſe, vbi dixit: *acute arguteque.* pro Cælio: Cap. VIII. *locutus ſecutusque* ad Att. VII. Ep. 3. *pro acute & argute, locutus & ſecutus.* & pari modo ſæpiſſime. Hic rurſus excipias, quæ ſingulari ſtudio proferuntur, vt: *ore & amore.* Lib. XII. Ep. 28. Poteſt etiam huc referri, quod Quintilianus dicit Ciceroni excidiſſe: *Res mihi inuiſæ viſæ ſunt:* & in Carmine: *o fortunatam natam.* Quint. Inſt. Orat. IX. Cap. 4. Et quod idem in eodem notat: *Non ſolum igitur illud iudicium iudicio ſimile iudices.* Lib. VIII. Cap. 3. Sed hæc omitto, laudata ab his, ab aliis culpata. Certum & euidens eſt, Oratores paranomaſiam & parecheſin minus amare. De Commatibus ſimili ſono terminatis idem notetur, & cum iudicio ponantur huius generis exempla, nec homœoteleuton quoduis figura rhetorum dicatur, ſed illud ſolum, quod ingenium elegantiamque oſtendit.

§. XXIII. Neque vero deſunt alia, quæ

quæ notam in Ciceronis ſcriptis ſuſtinent, ex incuria partim orta, partim ex adfectatione. Ecquis imitetur, quod interdum duas pluresque periodos eodem incipit modo? Lege quæſo libri V. Epiſtolam XII, quæ eſt ad Lucceium, & multas videbis periodos, in quibus particula *enim* inter primas conſpicitur. Loquor autem de periodis ita coniunctis, ut alia non intercedat, in qua particula hæc ceſſet. Numero 14. 15. 16. (edit. Cellarii) tres continentur periodi, quarum prima ſic inchoatur: *Nihil eſt enim aptius:* altera: *habet enim præteriti doloris:* tertia: *quem enim noſtrum.* Numero 21. & 22. tribus periodis hæc habes: *Neque enim tu is es:* deinde: *Neque autem ego ſum ita demens:* tum: *Neque enim Alexander.* Hæc vero nemo imitetur. Et quis (vt alia proferam) coniunctione multarum vocum oblectetur, quas inflexibiles vocant Grammatici, altera claſſe partium orationis comprehenſas? vt: *Non modo aperte, ſed etiam libenter cum rep. bellum gerere.* Lib. XI. Ep. 5. Et in libro de Oratore: *Sed etiamſi licentius, tamen interdum non impudenter.* Quis eſt, quin vocis & for-

mulæ nimiam repetitionem improbet? Cuius exemplum eſt illud, *eſſe videatur*, tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententia poſitum, vt ait auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, quem Quintilianum eſſe iudico. Cap. XXIII. quam formulam in vna oratione pro Lege Manilia octies numeraui.

§. XXIV. Idgenus plura inuenio, quibus Cicero vel delectatur, vel nullo ſingulari conſilio vtitur, vt: *omnes, qui vbique ſunt*, pro *omnes homines*, quod pluribus locis adhibet, Lib. II. de Finib. pr. *Aut Epicurus, quid ſit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique ſunt, neſciunt.* Et paulo poſt: *huic verbo omnes, qui vbique ſunt, qui Latine ſciunt, duas res ſubjiciunt.* Et Tuſc. Quæſt. libro I. *Omnes, qui vbique ſunt, conſentiunt.* Coniungit etiam hæc frequenti vſu: *quidem certe, quidem ego, quidem tu. Id quidem certe calamitate docti, memoria retinere debemus.* Leg. Manil. Cap. 7. *Nunc quidem certe cogitatione quadam ſpeque delector.* In Archia Cap. 12. *Sunt quidem certe in amicorum noſtrorum poteſtate.* Lib. I. Ep. 8. *Illud quidem certe noſtrum conſilium jure laudandum eſt.* Ep. 9. n. 31.

n. 31. *Quem quidem ego hoſtem.* Catil. II. Cap. 2. *Quem quidem ego, quum ex vrbe pellebam.* Catil. III. Cap. 7. *Quæ quidem tu maiora & grauiora cognoſces.* Lib. X. Ep. 20. *Cui quidem tu deo pie & caſte ſatisfacias.* Lib. XIV. Ep. 7.

§. XXV. Hæc etſi per ſe Latina ſunt, vitii aliquid videntur ex nimia iteratione attrahere. Et ex his quædam talia ſunt, quæ ſi alii velint imitari, ego, pace illorum, vehementer nolim. In hac ſane formula: *eſſe videatur*; quid præter nimium uſum reprehendendum putem, nihil occurrit. Sed, *omnes qui vbique ſunt*, a ſimplici dictione, & vſu aliorum, longiori via divertit. Fatebor etiam hoc loco, me, quando formulam *etiam atque etiam* ſcribere volui, eſſe ſæpius, neſcio quo metu, retractum, tametſi præter Ciceronem aliorum etiam auctorum ſit; ſed illius tamen adfectantis. Idemque contigit in hac locutione: *quoad eius fieri poteſt*: quam elegantiam (ſi tamen elegantia dicenda ſit) aliis relinquo. Tanta vis idiotismi eſt, tantus horror adfectationis.

§. XXVI. Quodſi plura clarioraque, requi-

requiris, quibus conſtet, Ciceronem eſſe errantium aliquem, dabo clariſſima, faciamque, vt ſuo ſe iudicio magnus Orator prodat. Verſus in oratione vitium eſſe, ipſe tertio de Oratore libro docet, numeri oratorii ſtudioſus; nec vero ipſe tam cautus fuit, vt hanc reprehenſionem non incurreret. Contineo me ab exemplorum copia, & ex plurimis pauca iam profero, ad id genus carminum pertinentia, quod, quo familiarius in ſcholis eſt, hoc facilius in Oratione agnoſcitur. *Diſpliceo mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore.* Lib. III. Ep. 8. ad Atticum. *Auctores, teſtes, laudatoresque fuerunt*: Ad Quirit. poſt redit. Cap. 7. *Morbo tentari non poſſunt; corpora poſſunt.* Lib. IV. Tuſc. Quæſt. Cap. 4. *De te etiam dixi tum, quæ dicenda putaui.* In fragmentis Epiſt. ad Brutum. *Experrectus enim potuit illa viſa putare.* libro IV. Acad. Quæſt. ubi ſolum pronomen *illa* impedit, quo minus integer ſit hexameter. Sic multæ periodi, multa membra in modum verſus exeunt, vt: *laudabuntur iidem.* libro I. Ep. 9. n. 22. *fructus ferre videntur.* libro IX. epiſt. 3. n. 3. *ſi te delectat*, habebis. Libro VII. Ep. 23. n. 10.

n. 10. His plura non addo, etſi plurima ſuperſunt, a Mureto, Voſſio, & aliis collecta, nec pauca, quæ hi non obſeruarunt.

§. XXVII. Dices, figuræ nomen exemplis omnibus deberi, quæ vitium videantur, aut licentiæ dandum aliquid eſſe. Scio multos hac uti ſolere excuſatione, quod leui riſu Quintilianus tetigit. Lib. VIII. Cap. III. Ταυτολογία, *id eſt, eiusdem verbi, aut ſermonis iteratio, quamquam non magnopere ſummis auctoribus vitata, interim vitium videri poteſt: in quod ſæpe etiam incidit Cicero ſecurus tam parvæ obſeruationis: Interim mutato nomine* Ἐπανάληψις *dicitur, atque eſt id ipſum inter ſchemata: quorum exempla illo loco reddam, quo virtutes erunt.* Sed ſi alii conſenſerint, per me quidem eſto, Ciceronem nihil erraſſe; modo id conſequar, eſſe varia, quæ quis imitari non debeat. Quamquam enim inique dubitatur, mortales omnes in vitia poſſe incidere, optimumque eſſe, qui minimis urgetur; vt hæc tamen lis finiatur, eſto inquam, eum variis locis tantum non imitandum eſſe, cui dixeram & vitia poſſe obiectari.

§. XXIIX. Equidem haud ignoro, eſſe

eſſe aliquos ita pertinaces, vt, quem vehementer probant, eum errantium numero plane eximant: & noui hominem eruditum, qui, vt crederetur Ciceronianus, ex omni occaſione magiſtrum hunc prædicabat, dicebatque cum Fabio, *eum demum profeciſſe, cui valde Cicero placeret.* Huic vt ludum alter faceret, itidem Tullii æſtimator, ſed æquus, ſed cordatus, mendoſum aliquem Tullianarum epiſtolarum librum producebat, editoris quidem celeberrimi, ſed qui typorum aliquot errores non emendauerat. Rogatus itaque Marcellus, (ita iam appellabo illum eruditum) quæ mendoſe prælegebatur, Latinitatem, mire ſe torquebat, vt connexionem oſtenderet, ſeque nihilominus mirari ſimulabat, Tullii verba obſcura cuipiam videri. Collatis autem deinde exemplaribus aliis, vitium apparebat: vnde pudor hominis Ciceroniani, & liberalis aliorum riſus.

§. XXIX. Ego vero, vt facilis in concedendo ſum, ſi quis Ciceronem erraſſe dixerit, ita, ſi quis contra contenderit, poſſum, ut litigioſam concertationem præpediam, etiam defendentem audire.

Igitur,

Igitur, quæ dicta ſunt a me hactenus, ſic mutabo, (ſi ſic placet) vt, qui mentem meam haud norunt, putent, me priorem ſententiam damnaſſe. Interim illa claſſis, quam de NAEVIS Ciceronis conſtitueram, vel ob id maneat, vt aut erraſſe Ciceronem conſtet, aut fuiſſe aliquos, qui eum erroris poſtularint.

§. XXX. Iamque claſſis altera de iis ſuccedat, quæ non ipſo in Cicerone reprehenduntur, ſed in imitatore. Faciam ab ARCHAISMIS initium, h. e. antiquatis vocibus & conſtructionibus, politiore ſtilo non ſatis dignis. Huius claſſis ſunt illa: *Auerruncare* libr. IX. Ep. 2. ad Attic. *Dii, inquis, auerruncent, i. e. auertant,* & *Muginari,* i. e. tarde agere. ibid. XVI. Ep. 12. *Duint* pro dent, Catil. I. cap. 9. *Utinam tibi iſtam mentem dii immortales duint.* Antiqua formula: *Susque deque* de qua Gellius XVI. cap. 9. Genitiuus *dies* pro diei. ibid IX. Cap. 14. *pernicii,* pro perniciei, pro Sexto Roſcio cap. 45. quod idem Gellius obſeruauit. *Vnæ* in dandi cauſa, pro vni: de quo Priſcianus, *Sciendum eſt,* inquit, *quoties ſuperiora maſculina* (hoc eſt *vnus, ſolus,* cet.) *in I deſinunt in genitiuo,*

&

& in *O datiuo* (*hoc enim quoque rarior habet vſus, & vetuſtior*) neceſſario fœminina ſupra dictos in Æ diphthongum terminant caſus. Libro VI. pag. 678. edit. Putſch. Duo Ciceronis exempla ſubiicit: pro M. Tullio: *Hoc iudicium ſic exſpectatur, vt non vnæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur:* & ad Herennium: *Non res totæ rei neceſſe eſt ſimilis ſit.* Imperatiuo *calface* uſus eſt libro XV. Ep. 18. *Ades ad imperandum*, h. e. ad parendum, libro IX. Ep. 25. *Eſſe in prædonum poteſtatem*, pro poteſtate, pro Lege Manil. Cap. 12. quam conſtructionem, vt antiquam, Plauto aliisque vſitatam, Gellius aduerſus eos defendit, qui ſolœciſmum dixerant. Imitati ſunt etiam Cæſar, Liuius, Salluſtius, atque diuerſis locis Curtius; quod illorum auctoritati concedendum eſt, non autem imitandum facile, quia tum ab regula, & vſu crebriore veterum Romanorum, tum ab imitatione recentiorum recedit. *Rem præſidio* ſperant futurum, etiam Ciceronis eſt, & apud eumdem Gellium defenditur, vt probe & venuſte dictum, quamuis vitii ſuſpicionem ſubiſſet. Exemplis ad eumdem modum

plurimis

plurimis hoc probat, libro I. cap. 7. quæ breuitatis cauſa non repeto. In editionibus Ciceronis id exemplum, vt plura id genus, ſecundum Grammaticam regulam & hodiernam conſuetudinem correctum eſt, & *futuram* legitur iam pro *futurum:* quod ægre fert Orthographia Schurzfleiſchiana, vel eius editor, ita pag. 28. conquerens: *Hic curſim obſeruari debet, Latinos futura modi infinitiui, ſine discrimine, omnibus numeris generibusque accommodare, idque facere ſpeciatim in futuris,* FACTVRVM & FVTVRVM, *quod Cicero etiam ſecutus eſt, ſine ſequendi regula, in Verrina quarta:* REM PRAESIDIO SPERANT FVTVRVM. *Ita legit ſeculo ſecundo Gellius. Inde recte ita habet vetus editio, nec probo editionum recentiorum correctionem, quæ habent* FVTVRAM, *quia & Gellius alteram adſerit.* Sane quidem ſic habeo, melius fore, ſi conſeruetur ita, vti traditum ab antiquitate eſt, atque notæ tantum de hoc, quod antiquitatum ſit, addantur. Sed & olim, quod melius putarunt eſſe, id inſerebant, demto, quod ſcriptum erat, vti Gellius exemplo genitiui *facies* oſtendit.

§. XXXI. Plura, quæ in vetuſtis Ciceronis codicibus reperta ſunt, nunc deſita & oblitterata, apud Auſonium Popmam legas, libro de Antiquatæ locutionis vſu, aliosque, qui de Orthographia ſcripſerunt: vt *omneis*, *forteis*, *optumus*, *maxumus*, *baca* pro *bacca*, *gerundus*, *memordi*, *ſpepondi*, *volimus*, *abe* pro *aue*, *em* pro *en*, cet. Sciendum vero eſt, Ciceronem & ſimiles, aurium ſenſum ſecutos, Grammaticas leges ſubinde neglexiſſe: de quo rurſus Gellium adi libro XIII. cap. 19. Scilicet propter antecedentes voces, aut ſequentes, hic ſonus aut alius fuit gratior, quod his verbis laudatus Gellius docet: *Marco Ciceroni mollius teretiusque viſum eſt in quinta in Verrem, fretu ſcribere, quam freto. Peranguſto, inquit, fretu diuiſa. Erat enim craſſius vaſtiusque, per anguſto freto dicere. Itidem in ſecunda ſimili vſus modolamine, manifeſto, inquit, peccatu, non peccato. hoc enim vno atque in altero antiquiſſimæ fidei libro Tironiano reperi.*

§. XXXII. Verum is ſonus qui fuerit, quoniam ignoramus nos, ſatius eſt, communiorem regulam ſequi, quam Ciceronem. Neque dixeris, non minus

imi-

imitandas eſſe exceptiones, quam regulas: id enim, ſi omnino valet in aliis exemplis, in iis certe non valet, quæ ſono reguntur, hodie ignoto, & quæ timide a cultioribus ingeniis, aut plane non refinguntur. Quod ſi quis putet, in vitiis talia numeranda eſſe, nec volente Cicerone, ſed vel ipſo errante ſic ſcripta, vel aliis prave deſcribentibus; oportet intelligi, iſti coniecturæ tunc locum dari, quum nec iteratum exemplum inuenitur, nec ſimile, nec teſtimonium antiquæ auctoritatis, cuiusmodi ſunt illa Quintiliani & Gellii, quæ cognouimus.

§. XXXIII. Verum de Archaismis Ciceronis hæc hactenus dicta ſunto: quorum imitatio non ad quoſuis pertinet, nec in orationibus æque, atque in alio ſermonis genere probatur. Aliud ſeni decorum eſt, & in argumento conſimili, hoc eſt, de rebus aut moribus valde antiquis, aliud iuueni, cui mores veterum adfectanti turpes ſunt, niſi forte ſub eorum perſonis effingenti. Ita Cornelius Tacitus, vbi Tiberium loquentem introducit, his vtitur archaismis: *Fungi munera*, Annali III. cap. 2. n. I. *Fungi officia*,

IV. 38. 1. *Duint*, ibid. n. 4. Erat quippe Tiberius amator antiquæ locutionis, quod apud Suetonium (cap. 86.) Auguſtus notat, vti his verbis hiſtoricus refert: *Sed nec Tiberio* (Auguſtus) *parcit, & exoletas interdum & reconditas voces aucupanti.* Poteſt autem, vt breuiter complectar, archaismus varie adhiberi: primum in carmine antiqui argumenti, deinde in quocunque ſermone, vbi loquendi partes traduntur de diis, aut ſenibus, qui retinentiores fere antiqui ſermonis ſunt; tum, quando aliquis ex antiquis hominibus, vel qui antique loqui ſolitus eſt, inducitur: præterea quum aſperi aliquid horridique interuenit: tandem quum ſermo ad eos dirigitur, qui archaiſtice loqui delectantur. Quæ pleraque Buchnerus etiam docet, aureo de commutata ratione dicendi libro, cap. 20. Adde, quem is ſecutus eſt, Voſſium in Oratoriis inſtitutionibus libro IV. cap. 7. quod eſt de Obſoletis. p. 15.

§. XXXIV. Archaismis oppoſita ſunt Novata, ſeu Nova, quæ & facta dicuntur a Cicerone, apud quem nonnulla invenies. De his itidem Voſſius, Buch-

Buchnerus, & alii diſputarunt, ſed, vt mihi quidem videtur, minus diſtincte. Num enim *nouata* hodieque recte dicemus, *quæ non cum ipſa Latina lingua ſtatim nata ſunt, ſed ſequentibus temporibus adinuenta?* Ita nouata erunt non pauca Ciceronis, Cæſaris, & quos plures aureo ſæculo recenſemus. An forte hoc, cum ipſa latina lingua natum eſſe, Buchnero idem eſt, ac aureo ſæculo natum eſſe? vel auctoribus Latinis inuentum? Sequetur ergo, vt apud Ciceronem *nouata* nulla ſint; id quod aliter tamen Buchnerus docet. Voſſio diuerſa ſunt nouata, ſiue *facta*, & *noua:* illa, *quæ a dicente primum gignantur, eiusque ſint ſola;* hæc, *quæ ab omnibus, vel multis, vel ſaltim plerisque magni nominis recipiantur, at veteribus tamen incognita.* Sed quæ *noua* illa? certe talia, quæ iam nullus negauerit, eſſe antiquæ fidei, & vtique imitanda. Quæ vero ſunt imitationi noſtræ conceſſa, noua illa dicere, noua ſane dicendi licentia erit.

§. XXXV. Equidem nolo is eſſe, vel haberi, qui Voſſium & Buchnerum, tantos philologos reprehendat: dicam

tamen libere ſententiam meam. *Nouata*, *noua*, & *facta*, diuerſa non ſunt, ſed idem. Ita vero non debent appellari omnia, quæ vel Cicero, vel quicunque veterum, noue excogitauit, antea inaudita, vt Latinam linguam augeret; ſed quæ nemo poſt primum inuentorem, aut rarius quispiam, & cum timore, vel per iocum; imitatus eſt. Permulta enim, quæ tum, quum naſcebantur, *nouata* vel *noua* dici poterant, parce, timide, atque cum aliqua veniæ præfatione adhibita, poſtquam crebriorem ad vſum transducta ſunt, nouitatis cenſu exierunt.

§. XXXVI. Noua alioqui dicenda etiamnum eſſent hæc vocabula: *Nouiſſimus*, *obſequium*, *fauor*, *vrbanus*, *qualitas*, *beatitas*, & *beatitudo*, *ceruix*, *reatus*, *ens*, *eſſentia*, aliaque. Ac *nouiſſimus* æuo Ciceronis ortum eſt, Varroni, Cæſari, aliisque vſurpatum. *Obſequium* itidem Ciceronis eſt, honeſto ſignificatu a Terentio primum adhibitum, quum antea malam in partem valeret. Vbi notandus eſt error Quintiliani, (Inſtit. Or. VIII. cap. 3.) Terentium huius vocabuli auctorem Ciceroni viſum, quum is (Cicero)

in

in dialogo de Amicitia ſcribat: *In obſequio autem, (quoniam Terentiano verbo libenter vtimur) comitas adſit.* Terentianum verbum Ciceroni nihil aliud eſt, quam Terentiana verbi notio. Voſſ. Inſtit. Orat. IV. p. 18. *Fauor* Ciceronis æuo nouum erat vocabulum, quo is tamen vtitur pro Roſcio Comœdo, (cap. 10.) & cum aliqua excuſatione in fragmentis apud Quintilianum. (libro VIII. cap. 3.) Idem de adiectiuo *vrbanus* videtur. Etſi enim id legitur apud Terentium, exſtant tamen hæc Ciceronis ad Appium Pulchrum: *Te hominem non ſolum ſapientem, verum etiam, vt nunc loquimur, vrbanum.* libro III. ep. 8. De ſubſtantiuo *qualitas* ita Tullius noſter: *Quod ex vtroque compoſitum eſt,* (ſc. ex materia & forma) *id iam corpus & quaſi qualitatem quamdam nominabant: dabitis enim profecto, vt in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, a quibus hæc iam diu tractantur, vtamur verbis interdum inauditis.* libro I. Acad. Quæſt. cap. 6. & breui poſt: *Qualitas igitur appellaui, quas* ποιότητας *Græci vocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum.* Et paucis interiectis:

iectis: *Faciamus enim tractando vſitatius* hoc verbum. Nomen *beatitas* & *beatitudo* coniunctim habes libro I. de Nat. Deor. cap. 34. *At iſta ſiue beatitas ſiue beatitudo dicenda ſit: vtrumque omnino durum, ſed vſu nobis verba mollienda ſunt.* In ſingulari *ceruix* primus dixit Hortenſius, Varrone teſte, de L. L. VII. cap. 9. *Reatus* Auguſti tempore inuentum a Meſſala. Quintil. VIII. cap. 3. *Ens* & *eſſentia*, idem Rhetor eodem loco: *Multa ex Graeco formata noua, quorum dura quaedam admodum videntur, vt ens & eſſentia: quae cur tantopere adſpernemur, nihil video, niſi quod iniqui iudices aduerſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus.*

§. XXXVII. Hæc ſane omnia iam vſu trita ſunt, nec nouitatis appellationem ſuſtinent, etſi noua olim fuerunt. Horreſcenda igitur non ſunt, ſed imitanda, quamquam ita imitanda, vt, quæ frequentius audiuntur, frequentius eadem refingantur, cetera rarius, & in argumentis parum diſſimilibus, vt *qualitas*, & *eſſentia*, quæ voces in philoſophicis diſputationibus magis conueniunt, quam in epiſtola & oratione. Illæ vero voces & locu-

locutiones elegantiorum hominum, quarum eiuſmodi facies eſt, vt appareat, duranti vſui, & imitationi aliorum, ab inuentoribus excogitatas non eſſe, quominus nouæ hodieque appellentur, nihil eſt quod impediat, quia nemo imitatur, niſi per iocum, & adfectandi voluntate non occultata. Talia ſunt apud Ciceronem: *Sullaturire* & *proſcripturire*, libro IX. ep. 12. *Appietas* & *Lentulitas*, libro VII. ep. 12. *noctuabundus*, ad Att. XII. ep. 1. (quod cur Voſſius ad archaiſmos referat, non video.) & multa, quæ ob translationem effícta ſunt. Dico, *multa*, non autem omnia: nam quædam huius generis, rara initio, poſtmodum vſu evaluerunt, vt *aer*, qua Græca voce ſic vſus eſt Cicero, vt qui timeret, etſi iam antea Plauti ingenio reperta. *Aer*, inquit, (*vtimur enim pro Latino.*) *ignis*, & *aqua*, & *terra*, *prima ſunt.* De Nat. Deor. II. cap. 36. Ex multis autem illis hæc pauca ſunt: *infinitio*, *mundanus*, *mulieroſitas*. *Infinitio ipſa*, *quam* ἀπειρίαν *vocant.* de Fin. Lib. I. Cap. 6. *Socrates quum rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret, mundanum reſpondit.* Tuſc. quæſt. V. cap. 3. vbi vox Socratis κοσμο-

πολιτης *mundanus* vertitur. *Mulieroſitas, vt ita appellem eam, quæ Græce* Φιλογυνεια *dicitur* ibid. Lib. IV. cap. XI. Quæ, vti *noua* & olim erant, & nunc ſunt, ſi quis *facta* ſiue *ficta* peculiari nomine velit appellare, nemo forſan obſtiterit.

§. XXXIIX. Videmus autem, quam cauti nouis in vocibus auctores ſint, quoniam has excuſandi formulas addunt: *vt ita appellem, ſic enim nunc loquuntur*, & ſimilem in modum. Id noſtrum eſt ita ſequi, vt, cum noua ſcribendi neceſſitas incidat, excuſatione aliqua vtamur, donec, quæ noua iam ſunt, eſſe deſinant, crebriore vſu accedente, quo etiam, quæ dura viſa ſunt, molliuntur. Nemo id ſibi poſtulet, iuuenis præſertim, vt, quæ a ſe noue dicta ſunt, publice adprobentur: id enim ſummi & illuſtres viri aut auſi non ſunt, aut non conſecuti.

§. XXXIX. Ciceronis aliqua videmus vſu confirmata eſſe, ſed non omnia. Iulium Cæſarem quisnam in eo ſecutus eſt, quod in libris de Analogia ſtatuit, nomina quartæ Declinationis in datiuo per *u*, non per *ui* formanda eſſe, teſtante Gellio IV. Cap. 16. Et idem

idem tamen Cæſar obtinuit, vt *optimus* & *maximus* pro *optumus* & *maxumus* diceretur, quod ante ipſum nemo audiuerat. Quint. I. cap. 7. Varronem alioſque eruditos cognouimus genitiuum quartæ Declinationis per *uis* formaſſe, nunquam aliter; ſed vſus obſtitit eruditorum. Ipſe Auguſtus, potentiſſimus licet Princeps, imbecillior erat & minore auctoritate, quam vt genitiuum *domos*, quo vtebatur, & alia ad communem vſum transferret. Suet. in vita eius cap. 87. Sigismundus Cæſar, vt recentis hiſtoriæ quemdam adiungam, ſchisma cupiebat primæ declinationis fieri, & femininum, contra quam nata vox erat. Sed riſus ſequebatur, non adprobatio. Verum noua tum fugere, quum antiqua melioraque non habentur, ſtupidioris ingenii eſt & illiberale. *Fabricemur* (vtor conſilio M. Tullii, in philoſophicis libris dato) *ſi opus erit, verba & in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, vtamur verbis interdum inauditis. Faciamus, tractando vſitatius verbum & tritius.*

§. XL. De antiquatis nouisque, quantum ſatis eſt, diſſerui, niſi hoc reſtat adden-

addendum, quod ad orthographiam Ciceronis pertinet, vſui hodierno ſæpe disſimilem. In editionibus operum Ciceronis ita ſcripta ſunt pleraque, vti fert ſæculi noſtri conſuetudo; & recte. Sic enim habendum eſt, vt ait Quintilianus: *Orthographia conſuetudini ſeruit*, ideoque *ſæpe mutata eſt*. Lib. I. Cap. 7. Ergo moleſte ſeduli ſunt, ſi qui hoc agunt, vt iisdem vbique litteris voces exhibeant, quibus Tullius ſcripſit: quamuis reprehendi non poſſit, in editionibus librorum id, quoad fieri poteſt, obſeruari, adiectis notis, quibus auctoris vſus ab hodierno discernatur. Sicubi vero principibus elegantioris doctrinæ viris placet, ad antiquitatem regredi, &, quod diu fuerat intermiſſum, vſui reſtituere; quo hi præeunt, ſequendum puto. Sic Ciceronem ſcripſiſſe *cauſſa, caſſus, diuiſſio*, Quintilianus teſtis eſt. Lib. I. Cap. 7. ex quibus *cauſſa* pro *cauſa* hodiernis criticis placet, *caſſus* & *diuiſſio* non item. Quæ vero ſint illa, quibus oblectentur clari philologi, quæue omittant, ex libris eorum diſcendum eſt, ſed ita diſcendum, vt a puero vel adoleſcente non ſtatim, quod vni placet aut alteri,

alteri, vſurpetur, ſed quod compluribus. Viris autem doctrina conſpicuis, quorum ſtudium philologiæ late enotuit, ideo plus licet, quod creduntur, quæ faciunt, docte facere, neque ab rebus eorum vel minutiſſimis conſilium abeſſe.

§. XLI. Sic vſus politiorum hominum eſto pro regula, a qua non temere recedatur, licet aliud & antiquitas ferat, & ipſa ratio Grammaticorum. *Triumphus* annon ex Græco θρίαμβος eſt? at nusquam thriambus vel triumbus ſcribitur, ſed *triumphus*, olim etiam *triumpus*, Cicerone teſte, quod eſt aurium conuicio in *ph* mutatum. Orat. cap. 48. Talium ingens eſt numerus, ab erudito Voſſio & aliis obſeruatus. Placet hoc loco Giſanii docta ſententia, quam præfatione ad Lucretium explicat: *De Græcis verbis, iisque omnibus, quæ græca ſunt origine, ſed Romana prorſus iam facta, recte exarandis, longe alia mihi, quam quæ vulgo eſt ſententia. Puto ea, quæ in vetuſtis codicibus vno conſenſu, licet Græca, Romano more ſunt exſcripta, itidem a nobis ſcribi debere, vt ſua cuique relinquatur & vindicetur conſuetudo. Quæ autem Romana iam ſunt vocabula, licet*

Græciæ

Græciæ originem debeant ſuam, non ideo tamen ſcripturam ſequi debent. Eadem libertas & maior, in vocabulis pure latinis vſui adſeritur, hoc vel illo modo ſcribendis declinandis, coniugandis: ſciteque, Priſcianus cenſet, vſum validiorem eſſe Probo, Chariſio, Celſo, Grammaticis omnibus. pag. 870. edit. Putſch. Oportet autem hoc de vſu accipere, non vulgi, ſed eruditorum, eorum inquam, qui clarum nomen ex hac philologia meruere.

§. XLII. Dicerem nunc de *idiotiſſmo* Ciceronis, qui duplex eſt, primum locutio, in qua nihil inſolens atque inauditum, niſi iuſto crebrior vſurpatio, deinde quæ aliquid per ſe habet, quod ſingulare. Verum hæc aptiore loco ſupra vidimus, vbi ſimul de vitiis diſputari poterat, ac de iis, quæ vitia per ſe nulla ſunt. Mihi vero iam differendum niſi de iis non eſt, quæ Cicero recte adhibuit, ab aliis eodem iure non retractanda. Proximus itaque nunc locus ſit GERMANISMORVM apparentium, ſiue conſtructionum & formularum, quas Latini videntur a Germanis accepiſſe, quum hi potius ab illis acceperint. Dabo quædam ex orationibus

nibus Tullii, cetera huius auctoris, & reliquorum coniunctim, peculiari libro reſervaturus. *Si tibi fortuna non dedit, ut. wenn dir das Glück es nicht gegeben hat, das.* pro Sexto Roſcio cap. 16. *Ad quem morte eius diuitiæ veniunt, an welchen durch ſeinen Tod der Reichthum kömmt* cap. 31. *Habeo dicere, ich habe zu ſagen* cap. 35. *Quum venit calamitas, wenn eine Plage kömmt.* pro Lege Manilia. *Hic Romæ, hier zu Rom.* Pro Archia cap. 3. *Vitam ab aliquo habere, das Leben von einem haben. Philipp. 2. cap. 24. Hoc eſt dicere, das iſt zu ſagen, das iſt ſo viel geſagt als.* Cap. 28. *Quid eſt aliud Antonius? was iſt er anders?* ibid. Ab his, & quæ huiusmodi ſunt, in gratiam puerorum eruditi ſibi temperant; ſupereſt, vt ipſa ſcholaſtica iuventus intelligat minus ſibi, quam viris, circa talium vſum permiſſum eſſe.

§. XLIII. Sed & in illis decet conſuetudini ſervire, quæ quidem nec *Archaismos* dixeris, nec *nouata*, nec *idiotismos*, nec *Germanismi* ſpeciem habentia, ſed RARA ac SINGVLARIA, & quæ integro ſæculo ſemel fere aut iterum audiuntur, vt *legum datio, igneſco, inſuauis,* *infan-*

infantes pueri inquo, ideoque, proque, munito, nauitas, tactio, tenebricus, vicanus. Nemo hoc oſtentet & præ ſe ferat, ſed vt ſingularia tantum obſeruet: quod contra fieri Gellius dicit, hisque verbis accuſat: *Plerique noſtrum, quæ remotiora verba inuenimus, dicere ea properamus non diſcere.* Lib. XVI. cap. 9. Quam in ſententiam hæc ab Iulio Cæſare Scaligero dicta ſunt: *Maxima igitur pars noſtrum, vt aliquid egregie dicere videretur, ſumtis dicendi formulis quibusdam e Cicerone ad eas animos noſtros, etiam importunis arceſſitisque temere argumentis applicamus. Sed & illud longe miſerius contingit, vt, quo eruditiores videamur, quod ſemel excidiſſet Ciceroni, ni noſtras orationes transferamus. Id quod, quum multi ambiant eamdem gloriam,* eodem periculo multis evenire neceſſe eſt, quo ex *vitio maximis incommodis ſæpe adfectus ſum.* In Hypercritico pag. 738. profecto illud iudicio Scaliger; tametſi nec ipſe, quantum ad latinam dictionem attinet, ſuæ regulæ & criticorum ſatis reſpondet, ſublimis magis atque argutus, quam accuratus.

§. XLIV. Sed his intellectis, ter-

tiam

tiam nunc ad claſſem progredior, hoc eſt eorum, quæ ex Ciceronis libris petita, alieno loco applicantur. Græcas voces ſententiasque quanta copia inſeruerit, nemo ignorat. Fecit autem hoc non vsquequaque, ſed vel docendi cauſſa, vt in libris philoſophicis, vel vbi ad aliquem ſcriberet Græce doctum, atque his litteris fauentem, vel vt Græcis verbis ſententiam redderet explicatiorem. In orationibus certe, quantum potuit, hæc fugit, & exempla vix duo, ſi numeraueris, aut ſi plurima, tria oſtenduntur, quæ Buchnerus libro de commutata dictione adnotauit, addito hoc: *vix Ciceronem aliter potuiſſe*. cap. 8. n. 3. Licitum ergo eſt, Græca ſubinde adiungere, idque vel cum interpretatione Latina, vel hac omiſſa, prout locus fert; id enim ſimpliciter damnari non poteſt, etiam Græcis, Germanis, atque aliis conceſſum. Si qui vero promiſcue talia locauerint, nullo ſermonis diſcrimine expenſo, næ illi Ciceronis imitationem haud adſequuntur.

§. XLV. Admonet præſens locus, vt quæratur, de iis quid exiſtimandum

 ſit,

ſit, quorum ingenium Græca omnia in Latinis ſermonibus reiectat, etiam illa, quæ pro Latinis vſurpantur, Græcæ tantum originis: qualis fuit, qui *Petri* nomine relicto *Pomponius* vocari maluit cognomento Lætus, vir minime obſcurus, & Sebaſtianus Caſtellio, poſtmodum dictus Caſtalio, is qui vocabulis, *angelus*, *eccleſia*, *propheta* & ſimilibus vti timuit, ſubdiditque in locum eorum, *Iouis genius*, *reſpublica*, *Iouis fatidicus*, de quo genere adfectationis Voſſium cognoſce, libro IV. Inſtit. Orat. p. 6. Magno id argumento eſt, etiam inter Latinitatis cultores eſſe, qui ſubinde ineptiant, riſu, quam laude, hac quidem in re, digniores; quos tamen, ſi quis miſerabitur potius, quam ridebit, beneficium adflictis tribuet.

§. XLVI. De Poeticis vocabulis idem exiſtimandum eſt, idemque de Philosophicis: quæ quidem ſuo loco decora ſunt, non autem quocunque. *Incidit ſane in orationem poeticæ quoque deſcriptionis neceſſitas:* (Plin. VII. ep. 9.) Sed ne crebro incidat, oratori cauendum eſt; quum autem incidit, non tam voces poeticæ requiruntur, quam poetæ ingenium

nium & inuentiones. Sequitur ergo, vt in proſa nihil *flammiferum, igniferum, ſpiniferum* admixtum ſit, aut *obſtippum* caput, hoc eſt ad alteram partem inflexum, aut *incinctum*, quod eſt, igni accenſum, aut quidquam ex horum ſimilibus: quæ quidem Cicero paſſim inſeruit, ſed vel in ſuis aliorumque carminibus, vel in philoſophicis diſputationibus, vel in hiſtoria; rarius in epiſtolis & orationibus. Compar eſt ratio SCHOLASTICAE Latinitatis, ſiue illarum vocum & locutionum, quas Grammatica, Rhetorica, Dialectica, ceteræque partes, peculiares, & quaſi proprias habent; vt, *nominatiuus, genitiuus, datiuus; coniecturalis ſtatus, definitiuus, eſſentia, moralis, qualitas;* quæ apud Ciceronem inter alia reperies. Tuto hæc imitaberis, ſed quod iterum admonuiſſe ſufficiat, ſuo loco.

§. XLVII. Sunt vero non nulla etiam ſecundum errantem Philoſophiam dicta, vt *Hercule, Medius Fidius, Iuppiter,* cet. quibus quidem non nulli quoque Chriſtianorum vſi ſunt, omiſſa ſuperſtitione, vt idem ſint hæ voces, ac *certe, mihi crede, Deus:* ſed rectius, mea quidem

ſententia, paganis ingeniis etiam hæc relinques. Etenim magni intereſt ad orationis commendationem, vel certe oratoris, aurium cauſſa nihil, quod poſſit moleſte audiri, ex paganis formulis adferre. Quæ autem eiusmodi ſunt, vt nullius animum offendant, licet ex ſuperſtitione alioue errore nata ſint, poſſunt ea citra reprehenſionem admitti: vt, *augurium*, de qualibet animi diuinatione, *auſpicium*, de quocunque incepto: in quibus vſus dudum effecit, vt auditis iis, origini nemo attendat.

§. XLIIX. Neque offendunt animum ea ſolum, quæ cum errore dicta ſunt, ſed quædam ex iis etiam, quæ, quum ſint honeſtæ originis, ſequiorem ad notam deſciuerunt: Ex hoc ordine ſe offerunt *ſecta* & *hæreſis*, quibus bonam in partem vti Theologi recte addubitant, quia nomini vitium ex diutina conſuetudine adhæreſcit. Quæri viciſſim poteſt, quæ malæ olim notæ fuerunt, poſtea bonum in cenſum ſuſcepta, cuinam conſuetudini morigerentur, antiquæ, an quæ nunc obtinet? Sic *infucatum* a Cicerone dicitur, quod eſt fuco infectum, valde fucatum;

catum; *humile*, quod humi iacet, quod demiſſum, abiectum, tenue, vile, nulla virtute praeditum. Quid alii probent, ipſi viderint: ego vero his etiam vocibus, & quae praeterea dubie accipiuntur, publico ſermone nolim vti, niſi ſic, vt ex coniunctis ſynonymis, aliisue verbis, mea ſententia ſatis eluceat. Priuatim verba facturus, vel ſcripturus epiſtolam, aliis alia loquor, & ab reliquis eos diſtinguo, qui & me norunt, & antiquam latinitatem. Quae in ſacris negotiis aliter, quam ex vſu veterum, uſurpantur, communiter a Theologis recepta, vti non reprehendo, ita nec imitor, ſed media via ingrediens, vtor quadam per ſynonyma cautione. Sunt in eccleſiaſticis his aliqua, quae per aliud vocabulum aeque plene reddi vix poſſunt, vt *humilitas*, eximia Chriſtianorum virtus, cui Romani, vt ignotae rei, nomen haud inuenerunt: haec autem vel circumſcribo, vel, ſi ſubito loquenti excidunt, aut neceſſaria etiam videntur, addo perſpicuitatis cauſſa, non autem contemtus: *vt loquuntur Theologi*, aut ſimilem in modum.

§. XLIX. Sed plura reſtant ex

genere illorum, quæ alieno loco applicantur. Stilo vſus eſt Marcus Tullius vtplurimum Attico, interdum Aſiatico quoque & Laconico. Ad Aſiaticam dictionem quædam orationes excedunt, inprimis quas iuuenis dixit: de quo Quintilianus in Dialogo cap. 22. *Primus excoluit orationem, primus & verbis delectum adhibuit, & compoſitioni artem, locosque latiores attentauit, & quasdam ſententias inuenit: vtique in his orationibus, quas ſenior iam, & iuxta finem vitæ compoſuit, id eſt, poſtquam magis profecerat, vſuque & experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus eſt. Nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis. Lentus eſt in principiis, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus, tarde commouetur, raro incaleſcit: pauci ſenſus optimi, & cum quodam lumine terminantur.* cet. Habeo quidem, quæ in hoc teſte non adprobem: quod autem de longis narrationibus dicit, otioſisque exceſſibus, nihil in eo mutandum puto. Vt itaque pueris & adoleſcentibus licet, Aſiatice ſcribere, quo verborum copiam addiſcant, rebus ipſis excutiendis nondum maturi, ita vitio ſene-

ſenectuti vertitur, aut virili ætati, hoc adoleſcentiæ ſtudium æmulari. (Cic. in Bruto cap. 95.) Quæ ſenex Cicero elaborauit, ſi quid in iis inuenies, quod ab Aſiatico ſtilo prope abeſſe videatur, ſcias, Aſiaticum confeſtim dici haud oportere, quod eſt copioſum & amplificatum, ſed quod ſine rerum ponderibus tale eſt, verbis tantum inani compoſitione aceruatis. Interim nec Atticum illud genus, quod longioribus periodis incedit, nimiumque elaboratum ac floridum eſt, alibi, quam in orationibus, facile commendauerim, niſi in iis ſermonibus, & nominatim in epiſtolis, quæ ſimilitudinem aliquam orationum habent, vti ſunt, quæ ad magnos & illuſtres viros ſcribuntur. Laconismus inter amicos conuenit, aut in rebus ad hiſtoriam & philoſophiam pertinentibus, quamquam & hic Attice licebit. Qui vero ſine vllo diſcrimine Ciceronem ſectantur, quem cognouimus pro ætate & re diuerſe locutum, videant illi, ne longe abſint ab ea regula, ad quam ſe conformare imitatio debebat.

§. L. Eſt quoddam artificium, pro magnificis verbis ſimpliciora interdum

eligere, iis præſertim locis, vbi dubium nemini eſt, potuiſſe nos altius adſurgere. Etenim *vt in pictura lumen non alia res magis, quum vmbra commendat, ita orationem tam ſubmittere, quam attollere decet.* Plin. III. ep. 13. *Licebit* itaque *interdum notiſſima eligere & certare cum electis.* idem IX. ep. 9. n. 3. *quia vim rebus aliquando ipſa verborum humilitas adfert.* Quintil. VIII. cap. 3. & Dionyſ. Longinus περὶ ὕψους Sect. 31. pr. Atque diligentem hanc negligentiam in Cicerone pluribus locis obſeruo, quam tu, quisquis ſtudes Ciceronianus eſſe, ad imitationem tibi proponas, quia plus in eo artis atque iudicii eſt, quam oſtentationis.

§. LI. Poſſunt etiam ad ſtili diuerſitatem iſtæ formulæ referri, quibus in adloquendo vtimur, ſiue proſphoneſes orationum, & epiſtolarum inſcriptiones atque clauſulæ: in quibus Ciceronem ſequi non obligamur; immo neceſſe interdum eſt, non ſequi. In orationibus vno fere vocabulo contentus, *Auditores*, dicit, aut *Patres conſcripti;* idque non initio, ſeu primo vocabulo, ſed poſt vnam aut alteram vocem collocat, aut commate aliquo,

quo, vel pluribus etiam finitis. A qua conſuetudine qui abeunt, pluresque adloquendi formulas adducunt, etiam in fronte orationis poſitas, non eſt, quod eos magnopere corrigamus, iuuenes præſertim, quos breuior proſphoneſis minus decet, quam graues oratores. Pari cautione in epiſtolis opus eſt, ne, quod inter æquales & familiares licito fit, idem & alii adfectent, vt: *M. T. Cicero C. Caſſio S. P. D.* Scio, ſic inferiores olim ad ſuperiores etiam ſcripſiſſe, & ad ſummos Principes, vt ex Plinii ad Traianum epiſtolis conſtat: verum id hodie in vitiis ponitur, quia non minus familiare habetur, quam verbum VALE Romanis erat, in fine epiſtolarum additum: quod vocabulum obſeruaui, Plinium in omnibus epiſtolis adieciſſe, exceptis, quæ decimo libro exhibentur, ad Imperatorem Traianum ſcriptæ. Familiaritatem autem, an id verbum indicaret, quum dubie cogitaſſem, confirmauit hanc mihi coniecturam Macrobius, de Auguſto Cæſare hæc tradens. *Exceptus eſt a quodam cœna ſatis parca & quaſi quotidiana: nam pene nulli ſe inuitanti nega-*

bat. Poſt epulum igitur inops ac ſine vllo apparatu diſcedens, Vale *dicenti hoc tantum inſuſurrauit:* Non Pvtabam, Me Tibi Tam Familiarem. Saturn. II. cap. 4.

§. LII. Vbi de ſtili diuerſitate cœpi dicere, iiſque formulis, quæ pro ſæculi vſu mutari poſſunt, addam de Vocabvlis Honorvm ac Dignitatvm, variorumque Ordinvm: vt *nobiliſſimus, clariſſimus, ampliſſimus, magnificus, excellentiſſimus, illuſtris:* in quibus uſurpandis decet ſæculi morem intueri, & quem *curiæ ſtilum* appellant. Valent ea, vt nummi, nec oportet appellationes easdem ad eamdem rationem exigere, easdemque poſcere conditiones, quas olim requirebant. Etenim ſi hoc vrges, ceſſabunt per multa nomina, variis muneribus tam ſacris quam Ciuilibus indicata, vt *ſacerdos, conſul, vir conſularis ;* multa etiam, quæ indigne feruntur vocabula, inſtaurari ex antiquo vſu debebunt, vti eſt *pueri* appellatio, quam hodie vix quisquam ſuſtinet, qui vndeuiginti annos aut duodeuiginti natus eſt, multo minus tenior aliquis, aut ſeruus. At nemo hoc

Roma-

Romanorum indignabatur, Cæſarque Octauianus XIX. annos habens, *egregius puer* Ciceroni vocatur. libr. X. ep. 28. adde libro XI. ep. 7. In his, quæ dixi, & quæ ſunt eiusdem generis, ita nos inſtituere debemus, vt, qui alibi, quam Romæ, alioque ſæculo viuimus, de antiqua conſuetudine tantum mutemus, quantum politior cœtus mutandum exiſtimat.

§. LIII. Sed in illa claſſe, in qua nunc occupor, aliud ex alio ſe offert, quod, quum recte a Cicerone ſit collocatum, ab imitaturis corrumpitur. Atque iam aliquid proferam, quod a Philologis fere neglectum ſentio, nominatim a Lexicorum conditoribus, & qui indices varios ad claſſicos auctores dederunt. Multa ſane reperio, vt apud alios, ſic apud Ciceronem etiam, quæ aliter cenſenda ſunt, ſi contexta leguntur oratione, quam ſi diuulſa. Tale eſt: *ex flammis ac ferro eripere*. Catil. III. pr. Sola hæc, *ex ferro eripere*, dubito an dicatur. Alibi *Domi militiæque cognitus* dicit; *militiæ cognitus* non dixiſſet. *Minatio*; ſeorſum vox poſita, non eſt perinde grata, ac in illa compoſitione: *exſecrationes, admira-*

mirationes, minuationes. de Orat. II. cap. 71. Ita oratione Philipp. III. extr. *His auctoribus & ducibus, diis iuuantibus, nobis vigilantibus, & multum in poſterum prouidentibus, populo Romano conſentiente, erimus profecto liberi breui tempore.* Poteſt ne ergo ſic dici: *Nobis vigilantibus erimus liberi?* Adducuntur a nonnullis Grammaticis id genus exempla, vt euincatur, duos ablatiuos, quos abſolutos vocant, poſſe ad perſonam ſequentis verbi referri, vt: *me veniente, vidi rem omnem*, pro *ego veniens vidi.* Et in Nova Methodo Doctorum Pariſienſium ipſe Tullius aduocatur, qui dixerit: *nobis vigilantibus erimus liberi.* Sint ſane quædam exempla talia reperta, quæ tamen erunt pauciſſima; certe illud, quod e Cicerone producunt, e contextu diiudicandum eſt, extra quem Cicero non attuliſſet. Hac vi conjunctæ orationis non intellecta, multi multa confundunt, & phraſes fingunt, auctore nullo.

§. LIV. Eius coniunctionis exempla, quæ perperam diuidas, apud ſcriptores etiam alios multo numero reperiuntur, (ne vnius Ciceronis licentiam appel-

ꝺelles,) quibus equidem recenſendis ꞁunc locum non deſtinaui; proferam ꞁamen ad illuſtrandum aliqua. *In ſanguine, ferro, ac fuga verſari,* Salluſt. Iug. cap. 14. Hinc *in ferro verſari* male coniungitur. Et ibid. cap. 46. *Pacem an bellum gerens.* Ex quo *pacem gerere* non conſtruitur. *Iuuenis, genere, forma, celſitudine corporis,* optimis ſtudiis, *optimoque ingenio inſtructiſſimus.* Velleius Paterc. 2. Cap. 94. Sed minus latine dixeris: *Genere inſtructum eſſe.* Sic illud: *Quis noſtrum idem cura, idem ſudoris ſumit?* Plinius paneg. Cap. 77. Sed *aliquid ſudoris ſumere*, vbi legitur? *Præoptabat, immerito, quam iure violari.* Curt. libro V. cap. 12. 5. Num recte dicatur, *iure violare*, dubito. Idem auctor Lib. IV. Cap. 1. 8. *Iam Suſa, iam cetera ornamenta belli, victor occupaturus eſt. Sed cauſſam belli occupare* Curtius non dixiſſet. Sed quæ hactenus exempla vidimus, talia ſunt, quæ per ellipſin haud expediueris, quia non video locum, quo vocem aliquam inſeras: addam itaque, quæ rationem ellipticam admittant. Annibal apud Liuium libro 35. cap. 19. *Odi, odioque ſum Romanis.* Poſt *odi* ſubaudi-

auditur *Romanos.* Cic. 13. ep. 4. ad diuerſos: *Hæc eo ſpectant, vt te horter & ſuadeam,* hoc eſt, *ſuadeam tibi.* Cæſar libro 6. de B. G. *Neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Supple: *cum iis,* nam *communicare alicui* non dices: quod quidem Cæſari libro 3. cap. 18, de B. C. ſed falſo tribuitur. Vid. Gronouius libro 2. obſeruat. 6. & Cellar. not. ad h. l. Cæſaris. Seneca de Tranq. cap. 11. *Gladiatores inuiſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt; fauemus* (ſcil. ipſis) *ſi contemtum eius præ ſe ferunt.* Auſonius panegyrico, quem Gratiano dixit, ineunte: *Ago tibi gratias; ſi poſſem, etiam referrem.* Num quis hæc ita diuidat, vt *gratias referre* dicat? Fit igitur id propter communitatem iuncti ſermonis, (ἀπὸ κοινοῦ) quod in exemplis iſtis & ſimilibus obſeruamus, nec ſeparatim Latina ſunt, quæ ſunt connexo & indiuiduo ſermone. Plura de hoc diuidendi vitio cognoſces infra, quum ad ea venero, quæ falſo & ab re Tullio tribuuntur.

§. LV. Exſiſtunt inde quoque (qui contrarius fingendi modus eſt) falſæ vocabulorum differentiæ, de quibus Auctor

non

non cogitauerat. Sic libro III. Tuſc. Quæſt. legitur: *Tantalo prognatus, Pelope natus.* Differuntne *natus & prognatus?* omnino differunt, non autem vbique, ſed hoc Ciceronis loco & vſu; eſtque alia differentia vniuerſalis, alia ſingularis, ſiue, quæ tantum ibi valet, vbi ſtudium diſtinguendi perſpicitur: Quibus itaque locis nihil diſtinguis, *natus* & *prognatus* promiſcue ponas licet, quæ idem ſignificant, niſi quod vſitatius prius eſt. Tale eſt etiam hoc exemplum ex libro 9. ep. 14. *Tantum acceſſit, vt mihi denique nunc amare videar, antea dilexiſſe.* Hac vtique compoſitione plus eſt *amare* quam *diligere:* quæ diſtinctio & aliis locis apud Ciceronem obſeruatur. Errabunt autem, nec Ciceronem imitari dicentur, qui vitioſa hæc putabunt: *parum amare, valde diligere.* Nam extra coniunctionem illam vis diſtinctionis perit, idemque eſt *amare,* quod *diligere.* Niſi forte Ciceroni vitium velis obiicere, quum hæc dicit: *Si quidquam me amas, hunc locum ama.* ad Att. V. Ep. 17. Id eſt, ſi paullulum me amas. *Tuam quidem & in agendis noſtris rebus, & in conſiliis ineun-*

cundis, & mihi dandis, in ipſis literis, quas mittis, beneuolentiam, diligentiam, prudentiam, mirifice diligo XII. Ep. 33. Num quid aliud hoc loco eſt *diligere*, quam *amare?* Auget quidem vim verbi particula *mirifice*, & quæ adduntur præterea, *valde, admodum, vehementer;* ſed non augent magis, quam quum eædem ad verbum amo accedunt, vti fit apud eumdem Ciceronem.

§. LVI. Res paucis Exemplis luculenta eſt; ſed vnum adhuc cognoſce. *Aegritudinem* & *ægrotationem* hoc modo *noſter* diſtinguit: *Vt ægrotatio in corpore, ſic ægritudo in animo nomen habet, non ſeiunctum a dolore.* Tuſc. Quæſt. III. Cap. 10. Verum qui hoc dixit, idem ille Cap. 4. ſic ſentit: *Nomen inſaniæ ſignificat mentis ægrotationem & morbum.* Vides, quod alio loco diſtinxerat, alio negligi, & ægrotationem de animo dici. Viciſſim *ægritudinis* vocem de morbo corporis, etſi non apud Ciceronem, at alibi reperimus, vti Lexica probant. Vbi tamen notandum eſt, ægrotationem ad corpus, ad animum ægritudinem, vt plurimum referri. Tenenda itaque regula eſt, inter eruditos

parum

parum adhuc obſervata, poſſe quædam, quæ ſunt aliquo loco diſtincta, alibi promiſcue poni, ita tamen, vt crebrius vſurpemus, quod vſu crebriore apud idoneos auctores inuenitur.

§. LVII. Sæpe Synonyma quoque numeri oratorii, vel emphaſeos cauſſa iuncta, legentium errore ſic accipiuntur, vt quæ diuerſe ſignificent. *Otioſum eſſe, & nihil agere.* Tullius noſter coniungit, Cæſari, inquiens, *bellum neceſſitas, faſces ſenatus dedit. Otioſo vero, nihil agenti, priuato, quando imperium ſenatus dedit?* Philipp. X. Hæc Synonyma hoc loco ſunt, ſed non omni in Oratione: nam Attilius apud Plinium cum ingenio, dicit: *Satius eſt, otioſum eſſe, quam nihil agere.* lib. I. Ep. 9. Vocatur hæc figura Paradiaſtole, qua non tantum Synonyma differunt, ſed idem vocabulum a ſe ipſo. Nam *Scipio dicere ſolebat, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam quum eſſet otioſus.* Cic. de Off. III. Cap. 1. Scilicet *otioſum eſſe* ſignificat *nihil agere*, ſeu *tempus inutiliter terere*, quotiescunque hunc ſenſum is voluerit, qui loquitur; vbi noluerit, erit idem, ac ab ordinario & moleſto

labore interquieſcere, & vel Muſis, vel aliis iucundis rebus, operam dare.

§. LVIII. Nonnunquam inter Synonyma intercedunt particulæ, *&*, *aut*, *neque*, & ſimiles, quæ non ſemper indicio ſunt, particulam, quod antecedit vocabulum, diuerſum illud natura ſua eſſe ab eo, quod ſequitur; Aliquoties apud Ciceronem hæc ſunt, *doctus & eruditus: eruditus & doctrina excultus:* Synonyma certe, &, ſi quis voluerit, perinde ſignificantia. Neque firmum eſt, quod opponitur, Ciceronem aliquo loco hæc diſtinguere: ad id enim reſponſum eſt paullo ante, & ipſe Cicero libro de Claris Orat. dicit, Piſonem Græcis *doctrinis eruditum* fuiſſe, qua vocum coniunctione quid vult aliud, quam vniuerſalem haud eſſe, ſed certo loco adſtrictam, *docti & eruditi* diſtinctionem. Nec plus eſt differentiæ in *pigritia*, *ignauia & inertia*, quamuis aliquando per particulam *aut* disiungi videantur, vt Lib. I. de officiis: *Ne aut ira exſiſtat aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut quid tale appareat.* Alibi ſine particula *aut* hoc dicit: *Quod ſi ceſſabis, laceſſam, ne tua ignauia etiam*

(mihi)

(mihi) *inertiam adferat*. Hoc loco ignauia & inertia ſunt Synonyma, noluitque Cicero vocem ignaviæ bis ponere, is, cui accidere non poterat, vt verba deeſſent.

§. LIX. Talia ſine cauſſa ſæpius diſtingui ab iis videas, qui de vocum differentiis ſcripſerunt, inter quos eſt Auſonius Popma, copioſior ceteris, addo & accuratior, in multis tamen corrigendus, vbi ſe Ciceronem ſequi putat, aliosque ſcriptores claſſicos, qui, ſi viuerent, Popmæ differentiis reclamarent. Neque is tantum illis locis deceptus eſt, quibus propter aliquam vocum coniunctionem lapſus facilior erat, vt ſunt, *feſtinare & properare*, *contemnere & ſpernere*, *fallere & decipere*, aliaque, in præcedentibus partim dicta; ſed in iis etiam, quæ nude & ſine addito ſynonymo ponuntur. Legerat apud Ciceronem, *cervices frangere*, quod eſt, ſuperbiam alicuius infringere; atque his lectis conſtituit, vocabulo *Ceruices* in plurali, ſeu multitudinis numero, ſuperbiam ſignificari, in ſingulari collum. Eumdemque errorem Servius errauit, cuius hæc ſunt ad lib. II. Æneid. v. 707. *Ceruix, quum numero ſingulari dicitur, col-*

lum ſignificat; ſi plurali vtamur, ſuperbiam oſtendimus, vt in Verrinis Cicero: Frangere Cervices. Secutus itaque eſt Popma Seruium, ſed errantem: nam veteres pluralem tantum habuerunt, vtroque ſignificatu adhibitum, & primus Hortenſius, Varrone teſte, ſingularem addidit, quem recentiore ætate, ſiue argenteo ſæculo, cum plurali promiſcue poſuerunt.

§. LX. De Synonymis autem, priusquam hoc argumentum deſeram, notandum primo eſt, quædam ſic eſſe Synonyma, vt non plane ſint idem, nec poſſint ſimpliciter conuerti, ſiue, quorum alterum altero ſignificat latius; deinde quædam eſſe prorſus eiusdem ſignificationis, ſeu, quorum vtrumque locum inuenit, vbi alterutrum congruit. Prioris ordinis quæ ſunt, cum iudicio diſtingui poſſunt ac debent, etſi certo modo ſunt eadem: poſteriorem autem ad claſſem quæ pertinent, perperam a Popma vel aliis diſtinguuntur, licet origo & etymologia diuerſa ſit. nam vſus facit Synonyma, non ſola etymologia. Idque quum ſit a multis admonitum, miror, inter

inter eruditos etiam inueniri, qui nolint in ſermone Latino, immo nec alio, vocabula tolerare, quorum natiua vis eo loco, in quo verſantur, applicari non poſſit: Rogarem hos, cur non *parricidam* dici prohibeant, qui non patrem, ſed matrem occidit, *infantem* qui fari poteſt, *candidatum*, qui atra veſte amictus: aut cur ſinant particulam *equidem* cum alia quam prima perſona conſtrui, quum ſit ex *ego* & *quidem* conflata, quam etiam compoſitionem plerumque ſequitur.

§. LXI. Atque talia longa ſerie cumularem, ſi non eſſet ſuperfluum, & ab aliis factum. Tandem & iis occurrendum puto, qui negabunt, Ciceronem duo vocabula idem plane ſignificantia, vel plura iunxiſſe, ſolo ſono diuerſa. Dicent, ſi quis tautologiam Ciceroni tribuat, iniquum iudicem aduerſus tam excellentem magiſtrum eſſe. Verum ego duobus verbis, quod res eſt, reſpondebo. Eſto, Ciceronem coniungere, quæ nihil quidquam diuerſa ſint: ſi fecit hoc propter numerum, aut emphaſin aliquam ſermonis, ecquis tautologiam dixerit? Fit enim, vt animi quadam contentione,

 ſingu-

ſingularique adfectu, eamdem rem pluribus vocibus exprimamus, etiam idem ſignificantibus: quæ cum per ſe diuerſæ non ſint, diuerſæ tamen ex mente dicentis fiunt, redditque iunctura veluti nouas, ſecundum illud Horatii A. P. v. 47.

Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit iunctura nouum.

Fingam deinde, (quod aliqui verum putant) nulla vocabula, quæ Cicero coniunxit vſpiam, eſſe perfecte Synonyma, hoc eſt, quæ non aliquid ſaltim differant. At aliud eſt, quærere, annon quædam ex his (non dico, omnia) plane Synonyma nobis ſint, quæ Ciceroni non plane fuerunt, ſed aliquo modo. Sane veriſſimum eſt, primis Latinæ linguæ magiſtris, & maxime Ciceroni, multarum vocum differentiam notam fuiſſe, quam nos ignoramus. Quorum itaque Synonymorum diſcrimen tenuius, ſubtilius, obſcuriusque eſt, quam vt adſequi noſtro poſſimus acumine, ſatius erit iis indiſcriminatim vti, quam differentiam licentiore ingenio comminiſci. Ex quibus manifeſto conſtat, quales ſint imitatores, qui hoc negligunt, ſibique aut aliis leges

leges præſcribunt, Latina in ciuitate nunquam receptas: qua pertinent multi ſcholæ magiſtri, qui diſcipulo in oratione expungunt, quod is eodem iure poſuerat, quo illi aliud reponunt, Ciceronis imitationem, neſcio quam, indocte flagitantes.

§. LXII. Hæc paullo verboſius interpretatus, ad quartam iam claſſem accedo, illa diſcuſſurus, quæ falſo vel dubie Ciceroni tribuuntur, nec idcirco ſunt imitanda, niſi auctoritate alius ſcriptoris muniantur. Breuiter autem huic rei ſatisfaciam, vt quæ copiam minus deſiderat. Quædam ad Ciceronis auctoritatem falſo dubieque referuntur, quæ apud alios ſcriptores idoneos in vſu ſunt: hæc adhibere non licet ei, qui vult vnius Ciceronis imitator eſſe, hoc eſt, mancipium, ſeruum pecus. Vitabit ergo inter cetera ſubſtantiuum *contemtus*, Cæſari & Liuio vſitatum, pro quo Cicero habet *contemtio*. Nam ſuſpectum eſt, quod ex his Senecæ verbis obiicitur: *Gladiatores, ait Cicero, inuiſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt; fauemus, ſi contemtum eius præ ſe ferunt.* De Tranq. cap. XI.

ita ex Ciceronianis fragmentis Nizolii Lexico addidit Iacobus Cellarius, qui hoc opus edidit auxitque. Putat autem cum Lipſio Chriſtophorus Cellarius in Curis ſecundis Antibarbari, Senecam non verba Ciceronis expreſſiſſe, ſed ſenſum eorum, quæ in Miloniana habentur, cap. 34. vbi *acriter ſe ipſos morti offerre* dixit, quos Seneca dixit *contemtum mortis præ ſe ferre.* Fugiet etiam iuratus Tullii ſectator (vt aliud addam exempli gratia) adiectiuum *internus*, quod eſt Senecæ, Plinii, Taciti, aliorum. Nam codices Ciceronis, qui id exhibent, ſequuntur errore aliquo Lambinum, qui minore charactere adpoſuerat, *ex ignis externi atque interni communione:* quæ, tamquam Tulliana eſſent, eodem typo, quo Tullii verba, aliæ editiones expreſſerunt, quod itidem dicto loco Cellarius adnotauit. Reſpuet etiam talis homo Ciceronianus hanc locutionem: *alicui aliquid iniungere:* ſic enim Ciceronis quidam æquales habent; ipſe non habet.

§. LXIII. Plura talia ſunt, immo plurima, a quibus ſoli Ciceronis ſimii ſtilum retrahant; ceteri tantum id vitent,

tent. quod nec apud Ciceronem eſt, nec apud alios aurei aut argentei ſæculi ſcriptores, niſi falſa vel controuerſa lectione, vel vera quidem, ſed vſu philologis minus probato. Ita Ciceronis vocabulum perhibetur *floccifacteon*, libro 1. ad Att. ep. 13. de quo quidem Nizolius in Lexico, & ex aliorum ſententia: *Vox eſt Latina, Græcorum more inflexa: alludit enim ad Φιτοφιτέον, quaſi dicat, non debemus facere flocci, & dignos exiſtimare iſtos conſulatus, in quibus adſequendis tantum ſtudii laboriſque ponamus.* Contra Voſſius libro IV. Inſtit. orat. p. 19. *Nec tamen omnia illa Ciceronem auctorem habent, quæ huic tribuuntur ab hominibus eruditiſſimis, quale eſt floccifacteon, quo modo Malaſpina & alii legendum putant. At vehementer ea mihi vox ſuſpecta eſt, cum aliis de cauſis, tum quia, ſi hac vſus foret, tam inſolentis compoſitionis meminiſſet Fabius, aut Soſipater, aut Diomedes, aut Priſcianus, aliusue eorum, qui de vocibus nouatis egerunt.* Sed hoc mitto vocabulum, ad ficta referendum, de quibus ſupra monui. Non deficiunt alia, vt *indoloria*, quod alii legunt, *indolentia*, alii *indolia*. Voſſ. d. l. *curantia*,

primæ declinationis nomen, quod habet Nizolii Lexicon; alii ſcribunt *de noſtra Vrania.* *Septemdecim* non magis Latinum videtur, quam octodecim & nouemdecim: auctor tamen in Lexicis laudatur Cicero VII. Verr. cap. 47. *Septemdecim populi Siciliæ:* & Agrar. II. cap. 7. *per tribus ſeptemdecim.* & Liuius XXXVIII. cap. 33. Septemdecim interfecti ſunt. Ita Ciceronis verba Gruterus, Liuii vero Gronouius, expreſſerunt, quod ideo ſe notare dicit Cl. Cellarius, ne quis, quia quibusdam libris numeri leguntur, XVII, hanc vocem cum eius ſimilibus octodecim & nouemdecim in dubium vocet. in Fabri Lexico ad voc. *Decem.* Mutatum certe a Grutero & Gronouio video illum numerum XVII; recte autem an ſecus, liceat mihi quidem dubitare. Priſcianus negat, minorem numerum ita maiori præponi poſſe, vt *ſeptemdecim* dicatur, quod tamen fiat vsque ad ſedecim; vnde ſic numeretur: *vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim, decem ſeptem, decem octo, (vel duodeuiginti) decem nouem* (vel vndeuiginti.) Vbi addit, etiam interpoſita

ſita coniunctione hoc modo numerari: *decem & vnum, decem & duo.* cet. p. 1351. edit. Putſchii. *Cæli*, plurali numero, in fragmentis Ciceronis vulgo legitur, ad ſententiam autem Ciceronis verba illa, in quibus ea vox conſpicitur, non pertinere, Voſſius, Cellarius, pluresque docuerunt. Quum igitur præter vnum Lucretium nemo ſic loquatur, ad proſam trahi non debet, niſi quod aliquid eccleſiaſtico ſtilo & philoſophico dandum eſt, cui plus licet, quam ciuili dictioni. *Conglaciare*, metaphorico ſenſu, ſi ſolis Lexicis contentus ſis, Ciceronianum putes: eſt autem Cœlii ad Ciceronem. *Expectorare* apud Nizolium & Ciceroni & Ennio tribuitur, quod ſuum agnoſcit ſolus Ennius. *Verſutiloquus* eumdem Ennium auctorem habet; & Fabri Theſaurus Ciceronis nomine tuetur. *Adſerere* pro adfirmare Nizolius ex tertio libro de officiis arceſſit, quod eſt argentei ſæculi, ac ne ſic quidem eruditis philologis vſitatum. *Multiſſimus* pro plurimus, Bembus putauit, ſe apud Ciceronem reperiſſe, ſed corrupto loco deceptus eſt. Voſſ. de Vitiis ſerm. & libro II. de Anal. cap. 24.

§. LXIV.

§. LXIV. Neque variis tantum lectionibus fit, vt error exſiſtat, ſed etiam culpa deſcribentium, Lexicographorvm, Grammaticorvm, aliorumque: quorum hic illius fide, illius immo fraude decipitur, ipſis auctoribus non conſultis. Sæpe traiectio vocabulorum parit vitium, vel facit, vt auctori aliquid adfingatur, quod quidem vitium dici non poteſt, neque tamen debet huic auctori, aut illo in loco tribui, qui citatur. Sæpe enim turbata diſtinctione, vel demto quodam vocabulo, aut leuiter immutato, tale quid oritur. Prioris generis eſt *ſponte ſua, crede mihi*, quod apud eos etiam inuenio, qui ſolum Ciceronem, vt aiunt, imitantur. Ciceroni vero placuit, *mihi crede, mea ſponte*, ne poetico numero locum in proſa concederet, quod quidem fecit aliquibus exemplis, ſed præter opinionem, vt principio diſſertationis monui. Etiam in Fabri Lexico, cuius accuratior editor fuit Cellarius, (quem virum, errat, ſi quis iudicat ſoli Ciceroni deuinctum fuiſſe) ſub voce *complector* ſic inuenis: *Da te homini, complectetur, crede mihi.* Cic. II. ep. 8. Euol-

uas

uas autem epiſtolarum librum, earum, quas ad familiares vulgo dicunt, & inuerſo leges ordine: complectetur, *mihi crede*. Quæ quidem verba poetico fluunt metro, auctore autem non cogitante. Cœlius ad Ciceronem libro VIII. ep. 17. *Sed crede mihi, perire ſatius eſt, quam hos videre:* dixi autem, non de Cœlio, ſed de Cicerone. Addo, frequentiſſimam eſſe pronominis præpoſitionem, quum contrarium exemplum præter vnum aut alterum non exſtet. In eodem Lexico vides, *ſponte ſua* Cornelio Nepoti tribui, qui non ita, ſed ordine habet conuerſo: *ſua ſponte profectus eſt*. Ex altero genere, quod eſt turbatæ diſtinctionis, & mutatæ alicuius vocis & conſtructionis, ſequentia ſunt: *Si dubium eſt, poſſe te illius regni potiri.* Nizolius. Ego vero dubitans, num Cicero poſt dubitationem adfirmatiuam accuſatiuum cum infinitiuo poſuerit, euolui epiſtolam a Nizolio citatam, (libro I. ep. 7.) & legi: *Nos quidem hoc ſentimus, ſi exploratum tibi ſit, poſſe te illius regni potiri, non eſſe cunctandum; ſi dubium, non eſſe conandum.* Verba hæc, *ſi dubium*, non cohærent conſtructione Gram-

Grammatica cum iſtis, *poſſe te potiri*, ſed ſenſu tantum: debet autem ellipſis ita ſuppleri, vt particula cum verbo ſubaudiatur: *ſi dubium*, an poſſis potiri, *non eſſe conandum.* In Horatii Turſellini noua editione exemplum hoc habes: *Dubito, ei eſſe nuntiatum.* Orat. pro Milone cap. 17. at ipſam orationem inſpicienti illa ſe offerunt: *ſed ſubito ei eſſe nuntiatum* (dixit.)

§. LXV. Feci ſupra illius Grammaticæ mentionem, quæ titulum ſibi præfigit: *Noua methodus doctorum Pariſienſium:* & exemplum ex ea notaui, quod erroris euidentiſſimi eſt, eorum in numero, quibus exceptionem docent ab regula de duobus ablatiuis abſolutis, ſiue conſequentiam deſignantibus. Faciam hoc loco, vt intelligatur, plerisque exemplis iſtam nouam methodum fallere, quibus exceptione illa vtitur. *Te volente, miſiſti.* Quintil. quarta declamatione. pro, *tu volens, miſiſti.* Habet autem Quintilianus: *Ibit in aciem, te volente, miſſusque fortiter faciet.* Sed hoc tranſeat, quia Quintiliani eſt. Ex Cicerone hoc adfingitur: *Se audiente, locuples au-*

ctor

ctor ſcripſit Thucydides. pro, *Thucydides audiens.* Audi vero Ciceronem: *Antiphontem Rhamuſium ſimilia quædam habuiſſe conſcripta, quo neminem vnquam melius orauiſſe capitis cauſam, quum ſe ipſe defenderet, ſe audiente, locuples auctor ſcripſit Thucydides.* Hæc ita conſtrue: Locuples auctor ſcripſit Thucydides, neminem vnquam eo (Antiphonte Rhamuſio) melius orauiſſe capitis cauſſam, quum ſe ipſe defenderet (ille Rhamuſius orator) ſe audiente, h. e. Thucydide. De Claris orat. cap. 12. Talium exemplorum, quæ ficte dicuntur Ciceronis, pleni multorum libri ſunt, quos refellere, vel exempla omnia colligere, eſt Augiæ ſtabulum purgare.

§. LXVI. Neque dimittam vero libellum eum intactum, qui Lipſiæ clↄIↄ XXXIV. excuſus eſt, ſiue dialogum de CICERONE RELEGATO ET REVOCATO, quem nactus ſum, antea non viſum, beneuolentia illuſtris cuiusdam Viri, aulæ Regiæ Miniſtro, harum deliciarum docti & intelligentis æſtimatoris. Multa hic Ciceroni obiiciuntur, partim ex morum genere, quibus non immo-

immoror, veriſſime nonnunquam iudicatis, partim quæ ad Latinitatem pertinent: dequibus ita ſentio, multa immerito deriſa eſſe, cetera mire deprauata. In his illud eſt: *Cæciliam ſaluere iubebis, & valebis a meo Cicerone.* quod inuerſis vocibus apud Ciceronem eſt: *Valere Cæciliam iubebis, & ſaluebis a meo Cicerone.* Æque commenticium video: *Saltat Demoſthenem*, pro imitatur; quod eodem modo Nizolius quoque: *Hegeſias alterum pæne Demoſthenem ſaltat, incidens particulas.* Ipſe autem Tullius in Oratore: *Hegeſias, dum imitari Lyſiam vult, alterum pæne Demoſthenem, ſaltat, incidens particulas.* Sperabam, qui eſt auctor eius Dialogi, ex animo hæc non dixiſſe, ſed vt altera parte, quæ CICERONEM ſiſtit REVOCATVM, cauſſam eius defenderet: ſed parum huiusmodi inueni, aut nihil potius, niſi generalem ſententiam, eſſe Ciceronem eloquentiſſimum, nulliusque dictionem tam mundam, tam variam, & plura in hunc modum. Alia non attingo, quum hæc ſatis ſint ad probandum, quod probaturus eram, errore Grammaticorum, Lexicographorum,

alio-

aliorumque hominum, multa Ciceroni & aliis falſo adiudicata eſſe. Atque hoc volo, non ſola Grammaticorum exempla, aut Lexica, ob oculos figenda eſſe, aut exemplaria quæcunque Ciceronianorum librorum, ſed quæ celebrium criticorum curis edita ſunt, bonorumque codicum fide caſtigata.

§. LXVII. Tantum de illis etiam, quæ quartam claſſem efficiunt. Quibus iam explicatis, credo me pleraque aut exhauſiſſe, aut attigiſſe, quæ apud Ciceronem imitanda non ſunt. Dicerem, omnia, niſi ſcirem, hoc affirmanti nihil prætermittendum eſſe; quod non auſim de hac diſſertatione polliceri. Sed nec inſcius quædam præterii, atque rationibus non deſtitutus. Poteram enim, vt reliqua non memorem, in eos ſtilum acuere, qui ſolum Tullium imitandum nuntiant, reliquos negligendos: memor autem propoſiti, contentus ſum ea recenſuiſſe, aut claſſes eorum, quæ, quum auctoritatem Tullii præ ſe ferant, tamen vel vitanda ſunt, vel moderatius adhibenda.

§. LXVIII. Verum quid impedit, quominus, qui iam in hanc mentionem incidi, breuiter meam quoque

exponam ſententiam. Si quis Ciceronem ante alios imitari velit, imitetur, ſi poſſit: nec vero crimini det, ſi alii aliorum quoque ſtilum effingant, itidem elegantem, etſi paullo inferiorem. Ingenia enim eodem omnia non feruntur, nec debet negari, magna etiam eſſe, quæ ſunt optimis proxima. Diſcatur autem, ſtilum nequaquam dici voces aliquas, aut locutiones, e Cicerone excerptas, aut ſententias confertim poſitas, nec Ciceronianum illud eſſe deſinere, quod ad Lexica Ciceroniana referri nequit; ſed ad meliora reſpici oportere, periodorum conſtructionem, numerum, ordinem, epithetorum vſum, rationem argumentandi, ceteramque inuentionem. Quibus igitur hominibus omne fœtet vocabulum, omnis phraſis, omnis loquendi conſtruendique ratio, cuius non exſtat apud Ciceronem exemplum, næ illos eſſe nimium delicatos iudico: quales fuere, Petrus Bembus, Marius Nizolius, Paullus Manutius, & qui maluit cum Tullio loqui, quam eſſe Pontifex Romanus, Lazarus Bonamicus, homo maximi honoris contemtor, vt minore frueretur.

§. LXIX.

§. LXIX. Omitto iam, ſuperſtitioſos hos adſectatores, quos dixi, a Ciceronis eloquentia multis locis abeſſe, quod exemplis clariſſimum eſt; & cauſas tantum requiro, cur nihil, quod alius auctoris ſit, ad imitationem admitti debeat. Credo, has cauſſas ipſis Tullii mancipiis nondum innotuiſſe: nullusque dubito, vere dici, quod aliqui iudicarunt, multa non tantum ab auctore hoc ſcripta eſſe, quæ perierint, ſed etiam non ſcripta, quæ data occaſione protuliſſet. Ergone Tullii reprehendo imitatores? non omnes reprehendendos exiſtimo, ſed qui volunt imitari, quum id non poſſint, & qui poſſunt, nolunt autem alios in ſocietatem admittere, licet non minus caſtos ac elegantes, nec magis erubeſcendos, ſed hunc ſolum commendatione dignum dictitant. Sunt hi, quorum me vehementer piget pudetque, febriculoſi Ciceroniani, vel vt accuratius dicam, Ciceronianiſtri, a liberiore indole alieni.

§. LXX. Quod ſi me tales, qui ſim ego, rogauerint, Ciceronianus, an aliud nomen, ſiue alius ſectæ homo; ego quidem, quod faſſus initio ſum, Ciceronem præter ceteros probo, præter ceteros etiam

ſequor, excellentium Latinorum principem: ſed nihil me quidquam locuturum, niſi quod apud huic legerim, præſertim ſi locus & argumentum poſcat, nemini ſponſor ſum, ne, quum liberum eſſe aliorum pace & conſenſu liceat, ſeruus fiam errore atque vitio meo. Sit autem huius iam diſſertationis modus, & quæ de imitatione Ciceronis attuli, rectene & accurate an falſo diſputauerim, quum non poſſit ab ingeniis plebeiis ſervisque definiri, ex omnibus pauci illi inueniant, quorum animus præiudicatis opinionibus infectus non eſt, ſed ſoli addictus rerum omnium veritati.

Digitized by Google

CICERO RELEGATVS ET CICERO REVOCATVS,

Dialogi feſtiviſſimi.

POMPONIO TRIVVLTIO H. A. S. D.

POſteaquam mihi nunciatum eſt, amplitudinem tuam morbo implicitam eſſe, exiſtimaui pro mea in te, Triuultiumque nomen ſingulari obſeruantia non alienum me facturum, ſi de alleuando iſto tuo morbo cogitarem. Mitto itaque haſce facetas narrationes, quas ſi verborum ſplendore non exornauimus (vt par erat) pro tua incredibili facilitate ignoſci peruelim.

Vale.

DIALOGVS LEPIDISSIMVS, CVI TITVLVS: CICERO RELEGATVS: adiecta in calce eius Reuocatione.

Ad excellentiſſ. Virum

POMPONIVM TRIVVLTIVM.

BEllinzonam conceſſeramus ego & Iulius Quercens, a cuius latere, ob excellens ingenium eximiamque doctrinam, ne latum quidem culmum æquo animo diſcedere poſſum: Cum ſubito allatæ ſunt a Philocalo literæ, quibus ſignificabat Philoponum clariſſimum ſplendidiſſimumque noſtræ vrbis ciuem totius corporis doloribus oppreſſum, miſere ſpiritum ducere. Quo nuncio ita acerbe perculſi ſumus, vt parum abfuerit, quin a mente deſtitueremur: ſtatimque repudiato conſilio, quod prius intenderamus, illic in amœniſſimis hortis, quos defendente Lucio ſuperiore anno recupera-

vi-

vimus, æſtiua tempora traducendi: Tanta animos noſtros inceſſit vrbis cupiditas, vt nulli neque remi, neque venti ſatisfacere poſſe viderentur: oborta loci, in quo eramus, infinita non dicam ſatietate (leuius enim eſt quam dolor noſter depoſcat) ſed maleuolentia, ſed odio, ita vt diſturbatum, ac multis locis conueſtitum locum illum videre cuperemus. Sic enim nobis (neſcio qua ratione) perſuaſeramus, non tam grauiter Philoponum ægrotaturum, ſi illi frequentes adfuiſſemus, vt nobis in more poſitum erat. Nullum enim prætermittebamus diem cum in vrbe eſſemus, quin ad illum familiariſſime ventitaremus, horaſque multas ſuauiſſimo ſermone conſumeremus. Ea eſt mehercle hominis ſuauitas, ii mores, vt illius conſuetudinem omnibus præfecturis facile anteponam, malimque cum illo eſſe, quam in beatas inſulas deportari. In vrbem itaque venimus: cumque nihil nobis potius aut antiquius eſſet, quam vt illum conueniremus, recta ad eius ædes, quas magnifice ædificauit, proficiſcimur. Sed forte nobis illius pueri occurrunt, herumque ſuum apud Archintum eſſe nuntiant: ita medicos quos ſi-

bi accerſuerat,conſuluiſſe:tum quod ea pars vrbis multo ſalubrior ſit,tum quod hortum domus illa habeat,qui nulla parte celebratiſſimis cedat. Illo mox iter conuertimus; cumque fores occluſas offendiſſemus, valideque dudum pultauiſſemus, cœpimus iis, qui intus erant de via clamare. Tandem in ædes intromiſſi,ad eiusque cubiculum, quod in interiori ædium parte erat,deducti, viſi ſumus in Elyſios campos perueniſſe. Nulla ſolitudo,nullæ ſordes,nulla mœroris, aut triſtitiæ indicia: cedros incenderant, ſuauiſſimisque odoribus omnia aſperſerant, flores vndique: Cælati argenti,ſignorum, ſtragulæ veſtis, Corinthiorumque vaſorum ornatum conſpeximus cubiculum,totaque domus ſymphoniæ cantu percrepabat. Circum vero lectum corona lectiſſimorum,doctiſſimorumque hominum,qui de variis rebus colloquebantur. Aderat in primis Hieronymus Seripandus, vna cum amantiſſimo fratre Antonio Seripando: in quibus omnia ſunt, quæ aut Fortuna hominibus,aut natura largitur. Prope illos ſedebat M. Antonius Caimus,iuuenis & domi nobilis, & apud Gallos, propter virtutem ſplendidus & gratioſus: ab illius dextera aſſi-

aſſidebat Hieremias Landus, omnibus rebus ornatisſimus, ſuique Eremitani ſodalitii ſplendor ac decus. Ab altera parte ſedebat Cæſar Caſatus, homo diſertus, & omni doctrina ac virtute ornatus: non longe aberat Gaudentius Merula, omni lepôre affluens & gratia: ab illius dextra, ſi recte commemini, erat Hieronymus Garbagnanus, vir grauisſimus atque honeſtisſimus: hunc ſequebatur Basſianus Landus, omnium quos vnquam viderim ingenioſisſimus ac eloquentisſimus; deinde P. Antonius Chioccha, vir ad pericula fortis, ad vſum ac diſciplinam peritus, ad conſilia prudens, ad caſum fortunamque felix; dein Franciſcus Piochetus, homo frugi, & in omnibus vitæ partibus moderatus, ac temperans, plenus pudoris, plenus officii, plenus religionis. Ab illius dextro latere Octauianus Voſaſcus, cùm Aphricano Boetho, qui & cæteris ornamentis, & exiſtimatione innocentiæ maxime florent. His medius (niſi me animus fallit) interiectus erat Gulielmus Sæua, vir admodum honeſtus, Gallicæque probitatis plurimum in ſe habens. Aderat etiam Auguſtinus Mainardus, pietate & doctrina clarus, Galeacius Gropellus, iuris

peritus, Claudius Figonus, Laura Barbatus, viri clariſſimi, & in omni doctrinæ genere excellentes. Hi omnes illum inuiſerant, vt ſua officia, ſtudia, cogitationes, voluntatem denique omnem deferrent, & morbum facetis narrationibus, aut lepidis fabellis alleuarent: tantumque iam effecerant, vt altera quartana decesſiſſet, articulorumque dolores, quos intenſisſimos pertulerat, facti ſint remisſiores. Vbi nos aduenisſe conſpexerunt, ilico magna facta eſt conſurrectio: nemo fuit, qui nobis caput non aperuerit, amantisſimeque diſſuauiatus ſit: nemo non dextram iunxit: quisque rogabat, magnopere contendebat, vt prope illos ſederemus. Quid quæris? Si Deus aliquis e cœlo in terras illapſus fuiſſet, non plus honoris habiturus erat. Aſſedimus inter Caimum & Hieremiam, tum quod illos nobis voluntate, animo, ſententiaque coniunctiores exiſtimaremus: tum quod diſertos ac facetos iamdudum cognouiſſemus. Philoponus vero, qui noſtro aduentu plane recreatus uidebatur, in me os ſuum obuertens, gratulor, inquit, quod Dei Opt. Maximi benignitate ad nos, tui amantisſimos, cupidisſimosque, ſaluus & incolumis

mis redieris: eram mehercle (vt nihil diſſimulem, nihilque obtegam) in magno tui deſiderio: neque ſolus ego, ſed familiares omnes, vt pro aliis etiam affirmem, quod mihi non temere videor facere, cum illorum omnes ſenſus teneam. Equidem facile nunc in animum induco meum, poſſe nullo negotio ſic morbum iſtum, qui me hoc triduum acriter torſit, depellere, vt nullæ reliquiæ, nullaque veſtigia appareant. Sed quæſo te, quid mihi noui affers ex ea regione, quæ rerum nouarum pleniſſima eſſe ſolet? Cui ego, poſtquam ingentes & mirificas egi gratias, de illa ſua, quam in me ornatiſſimis verbis declarauerat voluntate, nihil me noui afferre dixi, præter Ciceronis libros de Gloria, & ſelectiores aliquot orationes caſtigatiſſimas. Quo nuncio exiſtimabam omnes præ nimia lætitia mentis parum compotes futuros. Sed me ſpes mea egregie fruſtrata eſt: tantum abeſt, vt illorum quiſquam, præter duos, aut ad ſummum tres, lætaretur, vt omnino viderer magnam aliquam futuram cladem, aut ſupremum aliquod exitium nunciauiſſe. Augebat admirationem meam, quod illic Ciceronis ſtatuam, adfabre factam

ere-

erectam viderem, viſerenturque paſſim in eo cubiculo Ciceronis opera variis typis excuſa. Ipſe vero Philoponus in manus haberet Ciceronis officia, quæ Gryphius, librariorum impreſſorum Magiſter diligentiſſ. excuderat. Ob id ſtomachi plenus, ad Eremitanum me conuerto, quem Ciceronianiſſimum exiſtimabam, petoque cur mihi non gratuletur, laudetque fortunas meas: curque ſe ad gratiarum actionem non comparet, qui tam amplum theſaurum attuliſſem. Tum ille ſubridens, Gratularer, inquit, totusque in gratiarum actione eſſem, ſi Theologum aliquem attuliſſes, qui diuinæ philoſophiæ ſubobſcura mihi elucidaret, qui me ad diuina inflammaret, & rerum mundanarum curam ac ſolicitudinem e pectore amoueret, qui animi faſtum & tumorem abſtergeret. Ego certe, vt quod ſentio ingenue ac libere dicam, nihil poſſe peſtilentius legi arbitror. Neque me ſolum in hac hæreſi eſſe exiſtimes: ita ſentiunt plerique omnes, qui ſani ſunt. Cum nos videret Philoponus altercationibus incaluiſſe, veritus ne res ad conuitia perueniret, a quibus non procul aberat, conſtituit vt ſuam quisque efferret ſententiam, pla-

planumque omnibus faceret, quam animo de Cicerone conceptam haberet opinionem. Itaque prior rogatus eſt Aphricanus, ſuam vt diceret ſententiam: ſicque ſermones (quanquam id ægre facere videretur) auſpicatus eſt. APHRICANVS. Niſi veſtra autoritas, quæ grauisſima eſt, tantum haberet apud me ponderis, quantum par eſt vt habeat, nunquam adduci potuiſſem, vt in tam celebri conſeſſu meam afferrem opinionem. Vereor enim clariſſimi viri, ne ſi quod ſentiam aperte dixero, multorum animi offendantur, à meque abalienentur. Sin vero aliter atque ſentio dicam, conſcientia, quæ pro mille teſtibus eſſe ſolet, me perpetuo vrgebit, & diuexabit. Itaque dum in dubio ſum, ſentio me huc atque illuc rapi. Veſter tamen iucundiſſimus conſpectus facit, vt minus perturbato ſim animo, ſperemque vos æqui bonique conſulturos quicquid à me in præſentia dicetur. Iniecta eſt etiam ſpes ex omnium mirifica indole, ut ſi vlla fiat oratione mea in animis veſtris offenſio, facile tamen poſſit illorum abalienata voluntas recolligi. Fatebor primum me priusquam ex ephebis

ex-

excederem,multam operam dediſſe,multumque induſtriæ in eo legendo poſuiſſe, multa ſelegiſſe, plurima obſeruaſſe, idque factum non mea ſponte, non meo iudicio, ſed patris mei, cui ſemper obſequentiſſ. eſſe ſtudui, imperio & voluntate. Sed poſtquam licitum mihi fuit meo viuere modo, neque patris imperium, aut magiſtri metus prohiberet, cœpi angue peius illum odiſſe, dictionem non probare, vitam illius deteſtari, vererique, ne aſſidua lectione, ita, vt ſæpe fit, contaminarer, laborandumque & mihi aliquando eo morbo eſſet, quo illum plus cæteris laboraſſe videor mihi ſæpius animaduertiſſe, nempe gloriæ nimia cupiditate: nihil etiam eſt quod tantopere ab autoribus noſtræ perſuaſionis deteſtetur. Citabo aliquot Ciceronis loca, vnde id colligo, oſtendamque neminem vnquam fuiſſe gloriæ tam cupidum, tam ſitientem honorum, tam ambitioſum, tam cupide populares auras captantem, efficiamque vt ſuo ipſius teſtimonio ſe iugulet, ſuiſque ſe conficiat decretis. Itaque legite epiſtolam, vel potius alias lectam in memoriam reuocate, quam Dolobellæ ſcribit, vbi ſe magno fatetur cumulari gau-

gaudio, quod vulgo hominum opinio illum ſuis laudibus ſocium adſcriberet, neminemque dubita e, quin eius præceptis atque conſiliis præſtantisſimum ciuem, ſingularemque ſe præberet Conſulem. Satis eſſe poſſet hic locus ad oſtendendum, quanta gloriæ cupiditate efferatur. Sed hoc non contentus, ad reliqua pergam. In eadem epiſtola de ſeipſo loquens, ſum enim, inquit, auidior quam ſatis eſt gloriæ. In epiſtola ad Atticum purgat ſe ambitionis ſuæ, quod diuina res ſit honor. Legite epiſtolam, quam XV. Familiarium Luceio ſcriptam reliquit: ibi illam ſuam gloriæ nimiam appetentiam intelligetis: cum tot tantisque verbis contendit in eius ſcripta referri; & quos ille diſſipauerat rumuſculos resque à ſe parum præclare geſtas illius monumentis conſignari. XV. Familiar. quam inaniter exultat, quod a Catone laudatisſimo viro laudatus fuiſſet: quam putide iactitabat ſe ab Octauio patrem appellatum. Præter hæc, nonne Attico mandat, vt liber quem de ſuis temporibus ſcripſerat, & Athenis, & in cæteris Græciæ oppidis adſeruaretur, quo ſui nominis memoria prorogaretur. Neque velim vos exiſti-

ſtimare, me primum ita cæpiſſe ſentire: Brutus vir ſapientisſimus de eodem crimine illum accuſauit. Sed quid vnum aut alterum locum cito? pleni ſunt illius libri. Sed quantum ego exiſtimo, laudi ſibi ducebat, videri gloriæ cupidum. Nam pro lege Manilia Romanos laudaturus, hinc laudum initium facit, qui plus quam cæteræ nationes gloriæ appetentes, laudisque auidi eſſent. Si quæ citaui loca, vobis non ſatis planum id fecerint, legite initium ſecundi libri de Diuinatione, vbi a ſe editos libros recenſet: legite epiſtolam, quam VI. Famil. ad Leptam ſcribit. Audet tamen os impudens primo Tuſculan. philoſophos nimia gloriæ cupiditate perſtringere: Si quisquam fuit vnquam remotus & natura, & magis etiam, vt mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina, ab inani laude, & ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum. Cum tamen nihil aliud venetur, atque omnibus veſtigiis perſequatur. Riſi, mehercle, cum primum eum locum legi, & ſolutius riſi, quam eſſet fortaſſe e dignitate mea. Sed quis tam agelaſtus, qui rem ſic ridiculam non rideat, ſimul & hominis incredibilem audaciam flagris dignam non cen-

cenſeat ? Hic cum dicendi finem feciſſet Aphricanus, Seripandus, qui ſolitus erat Ciceronem ſemper in ſinu geſtare, illumque paſſim pleno ore dilaudare, viſus eſt grauiter commotus, totusque rubore perfuſus : Næ tu, inquit, Aphricane facis vt gratum hominem, officiique in ſe collati memorem decet, qui ita illum diſcerpas, quo magiſtro tam plane & pure loqui, ſic grauiter & copioſe didiciſti. Quid ſi ii, quos tu optimis diſciplinis, ſanctiſſimisque præceptionibus inſtruxiſti, parem tibi gratiam referrent? Nonne tu illos ſceleſtiſſimos diceres? Nonne flagitioſisſimos vbique prædicares? Cui Aphricanus reſpondit, ſe nihil Ciceroni acceptum referre, ſuæ (qualiscunque eſſet) eruditionis, neque quicquam ſolidæ doctrinæ in eo autore deprehendiſſe. Iſtuc ipſum cœpit affirmare Merula, ſeque non legiſſe dicebat autorem tam inconſtantem, tam ieiunum, ſic languidum & diſſolutum, qui ſibi ipſi tantopere aduerſaretur, & pugnantia loqueretur. Bone Deus, quot ille citabat teſtimonia, ea promptitudine & linguæ celeritate, ac ſi

g de

de ſcripto pronunciauiſſet. An non, dicebat Merula, hæc eſt inconſtantia non ferenda, quando primo de Finibus Latinam linguam non modo non inopem eſſe, ſed Græca locupletiorem? Ad Quintum fratrem diuerſum ſentit, Græcisque accepta fert omnia. In oratione pro A. Cecinna Latinam prædicat inopem. II. Tuſcul. Græcam verborum penuria laborare ſcripſit. Diuinationem modo tollit, modo confirmat. Peccata nunc paria dicit, nunc imparia. Primo de natura Deorum, Deos inuiſibiles: in libro de Vniuerſitate viſibiles contendit. Pro A. Cecinna exilium non ſupplicium, ſed profugium, ſuppliciique portum vocat: In Paradoxis ſcelerum pœnam appellat. Quinto de Finibus Platonis & Pythagoræ peregrinationes magnificis quibusdam verbis videtur vehementer probare: In epiſtola ad Cælium, peregrinationem ſordidam vocat, eleuat, & damnat. XIIII. Famil. Terentiam laudibus in cœlum ferre videtur: ad Atticum & vituperat, & ſcelerate feciſſe cum Attico expoſtulat. Famil. XII. ad Caſſium ſcribens, Cæſarem impurum

rum appellat, multiſque modis in Officiis, & aliis locis conſcindit: eundem laudat, ſcribens ad Q. Ligarium, ad Atticum, in oratione pro M. Marcello, pro Deiotaro, in eo mirificam indolem, multaque a Cæſare in eum profecta ſtudia & officia commemorat. Sic etiam inquit in epiſtola quadam, Nihil vnquam mihi venit in mentem optare quod Cæſar vltro non detulerit. Lepidum & laudat, & vituperat. III de Oratore multus eſt in laudando Socrate: Quinto Tuſcul. multus in vituperando. III. de Oratore Hortenſium multis ornat laudibus: idem facit in Verrinis, pro Roſcio. Eundem ſæpenumero lacerat. Pro A. Cluentio Verrem prætorem vrbanum, ſanctisſimum & diligentisſimum appellitat: quem ſuis turbulentis actionibus exagitauerat. Primo de natura Deorum vituperiis poëtas afficit, quos & laudat & defendit; eorumque teſtimonio ad ſua confirmanda ac ſtabilienda uſus eſt. III. de natura Deorum fabulas oppugnat, cum tamen ſæpe ad illas confugiat. Nam in Verrinis ad fabulas confugit. III. Tuſcul. narrat ſatis fuſe, cur Niobe lapidea, cur Hecuba in canem conuerſa. Primo de

Officiis Peripateticos vexat: eosdem celebrat pro Aulo Cecinna. Iuriſprudentiam euehit,quam interdum irridet. Longum eſſet omnia percenſere. Hæc in præſentia ſuccurrerunt,quæ vt illum de manibus poſuerim,interdixerimque,ne meum poſt hac tectum ſubire audeat, effecerunt. Quid enim mihi lucri eſſe posſit cum Eurippo? Cur enim Eurippum non appellem, hominem inconſtantem, qui nunquam eundem vitæ tenorem ſeruet, qui modo harum, modo illarum partium ſit, qui pro ſua libidine & laudet, & ignominia afficiat? Da veniam Caime, ſi te offendo, ſi in tuum Ciceronem ſim tam acerbus. Scio te a puero concupiuiſſe ſemper Ciceronianum & eſſe, & videri. Ego quoque olim, priusquam in familiaritatem M. Guarini mei venirem, & laudaſſem & vehementisſime comprobaſſem, nunc & ſi maxime velim, non posſim. Quin tu quoque, ſi ſapis, abiice nebulonem illum litigioſum, omnium ſcelerum maculis notatisſimum. Plus (quod mihi velim adfirmanti credas) & fructus & voluptatis e quouis alio autore (quamuis obſcu-

ſcuro) percipies. Attende quæſo animum ingenioſisſime Caime,& vide quotquot Ciceronem ſibi imitandum propoſuerunt, ſi non omnes ſunt aridi, ieiuni, ſquallidi, meticuloſi, exangues, ſine neruis, ſine coloribus,aut ſteriles, aut imbecillum partum edentes. Vis incipiam ab illo præſtantiſſimo ciue noſtro Gualterio Corbetta ? quid ille nobis profuit ſuo Cicerone, quem in ſuccum & ſanguinem vertit ? Quid illi duo pontificii collegæ ? nonne fere ſteriles ſunt ? Conſenuerunt tamen in Cicerone. Quid excellentiſſimus Iulius Camillus, vir plane candidus, cum totus in Ciceronis lectione conquieſcat ? Quid Romulus Amaſæus præceptor colendiſſimus ? Quid Flaminius ? Quid Nicol. Beraldus ? Quid ille rhetor Maclinienſis ? Quid Nicolaus Regius, iuuenis fœliciſſimo ingenio, expromptaque memoria, de quo præclara ſperarem, niſi in Ciceronianorum caſtra non explorator, ſed transfuga ſe receipiſſet ? Quid ?(admoue mihi aurem,ne illis rubores eiiciam)Quid Seripandi ſummi Ciceroniani afferunt, quod noſtra ſtudia

iuuare, & promouere poſſit? Ab alia parte illos ſtatue, qui Ciceroniani nec ſunt nec videri volunt. Incipe, ſi placet, ab inſigni theologo, ſanctiſſimoque viro Iacobo Fabro, quantum ſuis laboribus, quantum ſua induſtria profuit? Non minus ſtudioſorum rationibus conduxit boni Eraſmi virtus, ac ſolertia, qui ingenii ſui monumentis omnium bibliothecas auxit, vel potius referſit, ornauit, illuſtravit. Quantum rem literariam promovit Budæus, vir honeſtiſſimus, totoque orbe clarus? Vt nos iuuit Alciatus? quanquam de illo nondum habeo conſtitutum, in qua claſſe reponam. Cum illius epiſtolas lego, nihil tam Ciceronianum videtur. Reliqua quæ diuinitus ſcripta reliquit, non ita mihi videntur Ciceronem redolere. Hoc mihi ſaltem perſuaſiſſimum eſt, inter illos numerandum, qui parentibus lætitiam, ſibi opes & gratiam, patriæ noſtræ & poſteris gloriam afferre poſſunt. Quantas nobis attulit commoditates conſumatiſſimus Cælius Rhodiginus, Baptiſta Pius, Leonicus, Stephanus Niger ciuis noſter, & in Græcis li-

literis præceptor non pœnitendus? Petrus Grauina ſummo ingenio prudentiaque præditus, Auguſtinus Eugubinus, doctrina, integritate, virtute, conſtantiaque ſingulari, Ægidius Vanninius, Ambroſius Caballus, viri ornatiſſimi. Vides Caime, plures eſſe, qui a Cicerone diſſentiant, quam qui ſectentur, & ambiant. Certe, inquit ridens, nam ſi mihi Ciceroniaui recenſendi ſint, amplior fortaſſe numerus fuerit. Per me quidem liceat, inquit Merula. Tum Caimus ſic ordiri cœpit: Ego primum Franciſcum Caſſanum, qui medicinam Latinis literis illuſtrat, & profitetur in Ticinenſi noſtra academia, inter Ciceronianos colloco. Poſt illum Albutium ciuem noſtrum: deinde Hieremiam, quanquam nunc Ciceroni infenſum eſſe ſimulet. Riſimus hic omnes, amiceque & peramanter Caimum monuimus, ne hominem dialecticum in certamen prouocaret. Videbant omnes haud obſcure illi bilem in naſum concitam. Timens itaque Philoponus, ne dies altercatione conſumeretur, rogat Caimum a texendo catalogo, quem inſtituerat, deſiſtat,

ſinatque alios ſuam ſententiam afferre: niſi ipſe quippiam haberet, quod ad rem faceret. Viſum eſt Caimo, non ſatis oportunum eo tempore Ciceronem ornare, aut tueri, tot viris præſentibus, nec obſcure iniquis, nec diſſimulanter infenſis. Barbato mandatum eſt, vt quid de Cicerone exiſtimaret, palam faceret.

BARBATVS. Si me de Baldo aut Bartolo, quos aſſidue verſo, rogauiſſetis, non omnino deſperarem, quin ſi non ex omni, aliqua ſaltem ex parte vobis ſatisfacere poſſem: neque id mihi arroganter aſſumere videor, quando in iis ſtudiis meliores annos conſumpſerim. Dicam tamen quid de viris clariſſimis audiuerim. Cum eſſem pene puer, delectabar plurimum conſuetudine Alexii Beneſiæ, & Dominici Landi, quos inter ſe hac de re colloquentes ſæpius audiui. Illi (niſi me fallit memoriæ ſenſus) bipedum omnium nequiſſimum fuiſſe exiſtimabant, ſeditionum omnium & eſcam, & flabellum: Pacis, legum, iudiciorum, ocii, bonorumque omnium hoſtem. Cum iræ eſſent inter ipſum & Antonium, facile rediſſent in gra-

gratiam, ſi Cicero voluiſſet. Sic enim ille in ſeptima actione: Pacem cum M. Antonio eſſe nolo. Addebant præter hæc rei æquitatem gratiæ poſtponere ſolitum, & animo fuiſſe ita ſimulato, ut cum cuperet plura verbis, quam re ipſa præſtare, vteretur nota quapiam, qua intelligeretur ex animo id petere. Hæc dicebant ſe colligere ex epiſtola, quam XIII. Famil. ad Valerium ſcribit. Cum hæc ego attente colligerem, ſenſi me inflammatum cupiditate legendi. Non enim facile mihi (quanquam illorum autoritatem grauiſſimam, teſtimoniumque religioſiſſimum exiſtimarem) perſuadere poteram, ita eſſe, quem admodum illi prædicabant. Legi itaque,& vtinam non legiſſem, ſtatim ex illius oratione, quæ plus loquentiæ, quam eloquentiæ videbatur habere, deprehendi in eo multa eſſe, quæ noſtræ perſuaſioni aduerſarentur: vt in libris de Diuinatione, de Fato. III. Officiorum, in oratione pro A. Cluentio, cognoui etiam illum ſolitum fuiſſe amicitias ex vtilitate metiri: quanquam II. de Finibus diuerſum præceperit. Cognoui

præterea in eo malam mentem, malumque animum. Epiſtola quam ad Lentulum ſcribit, illam dico, quæ eſt voluminis inſtar, ſuæ iniquæ. ac peruerſæ voluntatis indicium non obſcurum mihi exhibuit. Omitto quod exilii pœna mulctatus ſit, quod grauisſimis criminibus fuerit ab hominibus ſpectatæ fidei accuſatus. Ego illum exiſtimo periniquum, & vltorem crudelisſimum fuiſſe, inſigni turpitudine notatum, dedecore atque infamia adopertum, præpoſterum, ac peruerſum, qui ad omnem malitiam & fraudem mentem verſaret: & vitia, quæ a natura haberet plurima, etiam ſtudio atque artificio quodam malitiæ condiret. In iudiciis corrumpendis exercitatisſimum, immani, importuna, acerbaque natura, totum ex fraude, & mendacio factum: impudentisſimum, auarum, petulantem, & improbum ſcurram: a quo omnis fraus, omnes inſidiæ, omneſque naſcerentur circumſcriptiones: perdita nequitia, libidine effrenata, ac indomita. Criminoſum, turbulentum, veteratorem, periculoſum, nec minus nigrum, nec minus confidentem

tem Phormione Terentiano fuiſſe puto. Adde iuris imperitum, ſummæ improbitatis: neque animi, neque conſilii ſatis habentem: aſſentatorem, concitum ad rixas, ineptum, ac ſtultum, minacem, & arrogantem, contumacem, inſolentem, ſuperbum, ad fallendum paratisſimum: Reipubl. ruinam, & tempeſtatem: furem, ſacrilegum, ad ciuile latrocinium natum. Duo Ciceronis loca præſertim me mouerunt, effeceruntque, ut illum crederem flagitiorum vitiorumque omnium principem: Epiſtola VII. ſecundi libri ad Atticum, in qua præter alia, ſe mira ad litigandum alacritate dicit: & quando commemorat, cupere ſe ciuium ſuorum, quos aliquando charisſimos habuiſſet, quique de eo optime meriti fuiſſent, naufragia ex terra intueri, & maris turbulentos fluctus audire quietus. Non potuerunt iſtæc efficere, vt illum crudelem, perfidum, iuris, pudoris, ac officii neſcium exiſtimem? Nondum videbatur conuiciandi finem facturus, niſi Voſaſcus, & Hieremias, qui ſemper intentisſimis oculis illum inſpexerant, leui capitis nutu ſignificaſſent, vt a conuitiis de-

deſiſteret. Qui cum deſtitiſſet, tum Cæva gratulabundus, Archimedes non potuiſſet, inquit, melius deſcribere: næ tu mi Barbate egregius es artifex, qui ſuis coloribus illum tam belle depinxeris? Tum Barbatus ad illos conuerſus, quos Ciceronianos ſciebat: Ignoſcite, inquit, ſi in veſtro Cicerone laudando, nimium parcus fui, non eſt commiſſum inuidia, aut maleuolentia, ſed certa quadam pigritia, quam Brigheraſii vna cum Io. Baptiſta Ripano contraxi. Suſtulerunt omnes cachinnum. Ego quoque ita prolixe riſi, vt nunc etiam oculi, genæ, & latera condoleant. Hieremias qui plus aliis ægre tuliſſe videbatur, quod tam effuſus conuitiator fuiſſet, quantum potuit blande his verbis Barbatum compellauit. HIEREMIAS. Vbi quæſo te Barbate didiciſti tam docte convitiari, tamque maledicum eſſe, qui ſanctisſimæ illius heroinæ perpetua conſuetudine fruaris, quæ nemini maledicit, quæ de omnibus perhonorifice & ſentit & loquitur, quæ ſe totam Chriſto tradidit, de illi-

illiusque erga nos beneficiis nunquam non loquitur? Prehendit illum pallio ad alia feſtinantem Caſatus, rogatque nomen mulieris dicat, id vehementer contendebant Seripandi: iſtuc ipſum rogabat Piochetus. Tum ille: Non poſſum non vehementer admirari, hanc vobis illuſtrem fœminam incognitam eſſe, cum nulla iam ſit tam deſerta regio, quo illius ſanctitatis fama non peruaſerit. Cui non cognita & perſpecta eſt Margaritæ Cacheranæ religio? quæ Ioanni Cacherano Voſaſchi regulo nupſit, quæ Hieronymam Boëtam, fœminam lectiſſimam, & pudiciſſimam, a Petrarchæ ſtudiis, ad ſacras traduxit literas: cuius exemplo Angela Becharia, Franciſca Lactuata, Clara Maggiolina, Fauſtina Stampa, Margarita Archinta, ad Euangelicam philoſophiam ſe contulerunt: quæ nobis Octauianum, quem hic præſentem conſpicis, peperit. Erubuit Barbatus, ingenui ſui pudoris non oblitus, veniamque deprecatus, quod in maledicentiam tam effuſus fuiſſet. Cui Philoponus ea lege atque gratia condonari voluit, ſi plures reperirentur illius ſenten-

tentiæ, alioqui interminatus eſt haud procul abfuturum infortunium. Rogatus eſt Voſaſcus ſuam ſententiam : qui non gravate, ſed vt eſt ingenio eleganti, tenaciſſimaque memoria, nulla præfatione ſic cœpit : Ego illum hominem fuiſſe elatum, ſuperciliosſum, & ſupra mortales omnes iactabundum exiſtimo, idque primum ex ea Epiſtola colligo, quam ad Atticum ſcripſit, vbi narrat, quæ facta fuerit conſurrectio, vt illum circumſteterint iudices, & aperte iugula pro ſui capitis ſalute Clodio oſtentarint. Item oratio pro lege Manilia, XVI. Familiarium, & XIII. Liber de claris oratoribus, Primus officiorum, Oratio pro A. Cæcinna, contra Rullum, contra Catilinam, Item epiſtola ad Lentulum confirmat me magis in mea opinione. Sed cum tertio Officiorum video ſuum ocium Aphricano ocio præferre, ita fio in hac ſententia obſtinatus, vt ab ea nulla ratione depelli poſſim. Taceo cum Bruto ſcribit, nullo præſidio Antonium quateſeciſſe. Item cum ad Atticum ſuo adventu reuiuiſcere iuſtitiam, abſtinentiam. Item VII. actione contra Verrem, vbi ma-

magiſtratus ſuos commemorat. Item quando ad Appium ſcribit, Quod diſertum non fuerit, ne meum dixeris. Præter hæc IX. Famil. ad Papirium Pætum, huc accedit: Sedebamus in puppi, clavumque tenebamus. Quis vero illud ſine ſtomacho audiat, cum dicit, ſuum librum totum Iſocratis μυρεϑήκιον, atque omnes eius diſcipulorum arculas conſumpſiſſe. Item, ſuo exemplo non modo alios ad ſcribendum excitatos, ſed plane deterritos. Quis æquis auribus illud audiat, ſe Græcam nationem conturbaſſe, & in ſuis Philippicis Demoſthenem entuiſſe? Item, Nam mihi ſcito a regibus vltimis allatas eſſe literas, quibus mihi gratias agant, quod reges mea ſententia appellauerim. Item cum dicit, Non erunt ſatis eruditi, quibus noſtra cognita non fuerint. Sed ſtultus ego, qui id vobis oſtendere coner, quod vel cæco perſpicuum eſt, quaſi illum poſſitis in manus ſumere, quin vel altera pagella non ſe prodat. Neque ſatis diſpicere poſſum, ſi vera ſunt quæ modo Barbatus dicebat (vt omnino vera eſſe credo) quanquam viſus ſit

ſit; modeſtiæ fines excedere, vnde ille ſibi tam altos ſumeret ſpiritus. Stupebant omnes Voſaſchi eloquentiam: videbatur enim aureum orationis flumen fundere. Mainardus vero, qui e regione illius ſedebat, ſæpe præ magna admiratione manus tollebat, verisſima affirmans, quæ ille dixerat: ſeque animaduertiſſe Ciceronianis omnibus id vitii inſitum eſſe dicebat. His auditis, omnium oculi in eos coniecti ſunt, qui Ciceroniani habebantur: qui cum ſe nihil commotos aut perturbatos indicaſſent, viſique potius fuiſſent aſſentiri, & in aliorum ſententiam deſcendere, magna eſt orta lætitia. Nam prius formidoloſi nimium erant, diffidenterque quod in animo habebant efferebant, quod in eo conſeſſu Ciceronianos eſſe certo ſcirent. Erant autem, qui maxime iudicarentur Ciceroniani, illi duo Seripandi, & Caimus. Itaque poſteaquam ille timor ſublatus eſt, quiſque cœpit illum maledictis flagellare, exquiſitiſſimiſque ſuppliciis dignum iudicare. Dum hæc aguntur, ecce Placitus Sangrius & Marius Galeottus præſtanti ingenio, ſplendidoque apud

ſuos

ſuos loco nati. Nemo non illorum inſperato aduentu magnam præ ſe tulit lætitiam, omniumque conſenſu decretum eſt, vt quidquid illi de Cicerone ſenſiſſent, id ratum haberetur, perinde ac ſi de Tripode profectum eſſet. Tum Sangrius: Vtinam mihi quiduis potius aliud imperauiſſetis: verebatur enim, ne Seripandos, quos vnice amabat, & quorum conſiliis intimus erat, offenderet. Sed vbi reſciuit illos in ſententiam noſtram pertractos, quo eſſet, fuiſſetque ſemper in Ciceronem animo, paucis declarauit. Qualis vero illi videretur prolixiori oratione proſecutus eſt, periniquum & maledicentiſſimum vbique appellans, cui ſumma voluptas eſſet, præclara omnia maledictis proſequi, totisq; voluminibus conſcindere. Cui pepercit illa procax lingua? in quem non euomuit ſuum virus? quem non in certamen prouocauit? Taxauit primo libro de Finibus Epicurum cum gregalibus ſuis, illius opinionem non intelligens, ex ſuo ingenio, vt inquit poëta neſcio quis, alienos mores fingebat. Credebat Epicureos de ea voluptate loqui, qua ſenſus titillantur, & iucunde

ac dulciter permouentur,quam ſtolide pecudes ſectantur,cui ſe totum ipſe dedicarat, & conſtringendum tradiderat. Sed deceptus eſt,vt in plerisque omnibus. II. libro de Finibus damnat Gorgiam,virum peritisſimum, iisque artibus excultum & perpolitum,quas qui habent, eruditi appellantur. Quinto Tuſculan. Socratem virum ſanctisſimum,qui philoſophiam e cœlo in terram deuocauit,qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus eſt,damnat. Theophraſtum qui rerum cauſas tam diligenter, tantisque ſudoribus perquiſiuit,& inuentas nobis tradidit: quem Ariſtoteles tanti faciebat,vt neminem pluris. Perſtringit Ægyptios religioſiſſimos, quos Plato perdiſcendi gratia adiuit,ad quos Dei familiariſſime diuertebant, & conuiuia libere cum illis agitare conſueuerant. Audet hic ſycophanta II. de Diuinatione Chaldæos gentem tam ſanctam,tam piam exagitare. Eodem loco in Aſtrologos petulantiſſime inuehitur: primo de Legibus in Herodotum, hiſtoricorum omnium mea,doctorumque ſententia diligentisſimum acerbisſimus eſt, in Theopompum,omnibus ingenuis artibus inſtructum,

ctum,in Gracchos nobiliſſimos & eloquentiſſimos. Primo officiorum Cynicos philoſophos præſtantiſſimos. II. Offic. Panetium,virum apprime doctum. III. Romulum,quem ob vitæ, morumque innocentiam,in numerum deorum relatum credidit antiquitas. Quot modis lacerat Antonium ciuem præſtantiſſimum,imperatorem ſtrenuum,& qui de Reipubl. ornamentis magis quam de ſua ſalute ſolicitus eſſet. Ad Quintum fratrem Græcam nationem,a quibus leges, doctrinæque ornamenta habuimus,cui optimo quidem iure ingenii acumen, & optimarum artium cognitionem tribuimus,grauiſſimis afficit conuitiis. Pro M. Fonteio Gallorum teſtimonia eleuat, impietatis accuſat, atque miris modis inſectatur. Et ſunt Galli tam diſſoluti,tam ſuæ exiſtimationis parum amantes,vt illius ſcripta imprimant, legant, circumferant, & quod non minimæ inſaniæ argumentum eſt,ad verbum ediſcant. Longum eſſet, ſi velim omnes percenſere, qui illius linguæ ictus pertulerunt, & quorum exiſtimationem ille conatus eſt labefactare. Quis neſcit Catilinam, quo nec melior, nec clarior

quiſquam fuit,ab eo acerbisſime laceratum? Pari furore Cæſarem & palam,& clanculum mordebat. Sic & Salluſtium, cuius ſplendorem longe lateque ſe protendentem ferre non poterat. Sic in Rullum ciuem cum primis grauem,Sic in Tuberonem,Panſam, C. Memmium, Clodium, Piſonem,Vatinium, Verrem, viros clarisſimos ſe geſsit. Equidem niſi vobis mea prolixitate moleſtus eſſe timerem,facerem vt nihil liquidius esſet,quam nullum vnquam in lucem editum ſic flagitioſum,& rapacem,alienæque dignitatis hoſtem tam crudelem. Sed ſpero Galeottum meum id vobis commonſtraturum apertius, idque paucioribus comprehenſurum. Cui Galeottus, Facile, inquit, tibi omnia aſſentior,nec mihi hoc pro meo pudore aſſumam,vt melius & breuius Ciceronis vitia tanquam in tabula ſpectanda proponere posſim: Aliquid tamen & ipſe dicam,tum vt vobis morem geram,qui me id rogatis,quod pro veſtro in me iure imperare poteratis: tum ne plane mutus inter tot facundos videar. Si cuiusquam ſcripta poſſunt de hominum ingenio teſtificari. credo illum fuiſſe hominem effœminatum, for-

ſormidoloſum, ingratum, & intemperantem: quod ſi quis mihi vel aram tenens iuraſſet, nunquam adduci potuiſſem, vt ei fidem haberem. Sed poſtquam ex eius ſcriptis id colligo, credam neceſſum eſt. Si quis poſteriores epiſtolas, quas ad Atticum ſcripſit, legerit, is profecto perſpicue videbit illius molliciem. Quoties conqueritur ſe totum in luctu, & mœrore conſumi, nihilque eſſe mali, quod non in illius fortunam incurrere videretur, vbique luget: hominum frequentias reformidat, amicorum conſpectum fugitat, celebritates odit, lucem aſpicecere vix poteſt, mauultque ruri agere, vbi fluctus numeret, & lacertas captet, quam in vrbe aut amicis operam nauare, aut in aliquo ocio cum dignitate coniuncto vitam traducere. Illa vero inculcatio Tulliola delitiæ meæ, & paruus Cicero, nonne effœminati animi indices ſunt nec dubii nec obſcuri? Vultis illius effœminatum animum magis habere perſpectum, & cognitum? illam legite epiſtolam, quæ Seruio Sulpitio inſcripta eſt, nihil videbitis mollius, nihil putidius. In 14 Famil. magis ſe prodit. Quam vero fuerit in honeſtis rebus, quæ illi facile

æternam famam conciliare potuiſſent, timidi atque abiecti animi, declarant oratorii libri, declarant epiſtolæ ſuæ, declarat oratio, quam pro A. Cluentio habuit. Subiiciam illius verba, quo res teſtatior ſit: Semper equidem magno cum metu incipio dicere: quotieſcunque dico, toties in iudicium videor venire. In prima actione contra Verrem: Cum illius temporis in mentem venit, quo citato reo dicendum eſt, non ſolum commoueor animo, ſed toto corpore perhorreſco. Auſus eſt tamen homo amentiſſimus XI. Famil. Brutum magni & excelſi animi virum timiditatis incuſare. De ſua ingratitudine ſatis liquet, ex abalienato Q. fratris, Terentiæ, multorumque aliorum animo. De ſua vero intemperantia fecit me certiorem δυσεντερικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη καὶ διαῤῥοια: de quibus in epiſtola ad Gallum conqueritur, quæ certe, vt Ipſe videtur fateri, non aliunde proueniunt. At illam lippitudinem qua ſe infeſtari, & cum Attico, & cum Quinto fratre grauiter conqueritur, putatis nimia inedia natam? Erratis, ſi alia cauſa obortam putatis, quam ex ingluuie & bibacitate: ita doctiſſimus Hip-

Hippocrates ſenſit. Rem ſatis notam, magis etiam cognitam facit Epiſtola, quam Papirio Pæto ſcripſit, in qua ſe dicit cruditate malle perire, quam fame. Cum tamen in epiſtola ad Atticum ſenatores quoſdam irrideat, quos fames magis, quam fama commouiſſet. Nonne ſolitus erat ſæpe inuocatus ad conuiuia accedere? Nonne quaſi mus eſſet, alienum ſemper edebat cibum? Cur putatis aperuiſſe ludum, docuiſſeque declamitare, niſi vt haberet, qua ratione crapulam exhalaret? Sunt multæ aliæ familiares epiſtolæ, quæ helluonem fuiſſe aperte demonſtrent. Nolo nunc omnia ad viuum reſecare, ne me id odio, aut maleuolentia adductum facere exiſtimetis. Erat ille oculis inflammatis, buccisque fluentibus præ magna indignatione, cum peroraſſet. Caſatus uero ad illum conuerſus, Dic mihi quæſo Galeotte, quid faceres, ſi ille impurus tibi obuiam veniret? certe, quantum coniectura auguror (niſi hæc iracundia, quam præ te fers, deferbuiſſet) omnes illi dentes labefactares, raperes, contunderes, ac cerebrum diſpergeres, nullam habens ſui conſulatus rationem. Multa huiusmodi vltro

citroque iactata fuerunt, priusquam Baſſianus aſſurgeret, quo πολητικώτερον adhuc vidi neminem, voce quidem ſuauiſſima, ſed exigua, ita cœpit; Sane miror clariſſimi viri, quod cum huius ornamenta commemorare conſtitueritis, illius reconditas virtutes nemo adhuc denarrarit; permittite quæſo, vt perpetua oratione illius & naturæ & doctrinæ ornamenta, quæ me puto bene cognita habere, iis nota faciam, qui non adhuc ſatis nouerunt. Libenter omnes aſſenſerunt; nouerant illum eſſe cum facetum, tum diſertum, & in Ciceroniana lectione vsque a paruulo exercitatum. Qui cum omnes attentos vidiſſet, in hunc modum loqui cœpit; Non poſſent (ſi quid iudico) illa quæ dicta ſunt, veriora eſſe; miror tamen nonnulla prætermiſſa, quæ illi magis peculiaria eſſe, nemo negauerit. Illud itaque in primis dicam, deinde ad alia veniam, quæ Ciceronianos noſtros prorſus exulcerabunt. Non arbitror in hanc lucem veniſſe quenquam, ingenio ad aſſentationem tam appoſito, vt in aliis rebus, quæ libero homine dignæ ſunt, ab omnibus ſuperatur, ita in adulando facile omnes

omnes ſuperat; quanquam in XIII. lib. epiſtolarum ad Atticum turpem dicat aſſentationem eſſe. Sed ſi cupitis noſſe loca, vbi egregie magis aduletur, legite amabo vos in IX. Famil. epiſtolam, quam ad Dolobellam ſcribit, cum dicit, Libentius omnes meas laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauſerim ex tuis. VII. vero Famil. ad Volumnium; Opus eſt mihi limatulo & polito iudicio, interioribusque tuis literis. Orationem, quam pro domo ſua habuit, præterea ad Curionem. Si illic ſingulari ſua adulatione non ſatis facit, illam adite quam ad M. Cælium proconſulem. Si ibi non cumulate ſatisfactum fuerit, illam legite, quam ad Cælium Curulem. Si neque hic, neque illic ſatis aperte putidas eius adulationes deprehendere poteritis, multæ ex iis, quas ad Atticum ſcriptas reliquit, conteſtabuntur fuiſſe ad adulationes natum; neque quicquam ab eo tam vehementer ac diligenter curatum. Pollicitus ſum vobis, me paucis meam dicturum ſententiam, alioqui citaſſem plus quam ſexcenta loca, vbi ſuarum adulationum impreſſa ſunt veſtigia, ſane quam illuſtria. Ad grauiora nunc mea

feſtinat oratio,neque ſinit longiorem eſſe: ſatis mihi ſit quaſi digito commonſtraſſe fontes,vnde illa vberius peti poſſint,quemadmodum & ab aliis factitatum video: alioqui ſi velim omnia,quæ poſſim, in medium adferre, & non liceret hinc ad multam vsque noctem diſcedere,& fortaſſe Philopono morbum augeremus, quo leuatum cupimus. Ego ſæpius admirari ſoleo, qui fit, vt Cicero tanti fiat, pasſimque pater eloquentiæ appelletur. Illum multi bonarum artium ſtudioſi, tum carmine, tum ſoluta oratione celebrant: nulli non eſt in ore, pueri circumferunt,iuuenes in ſinu geſtant, ſenes amplectuntur,exoſculantur, in oculis ferunt,dilaudant,electisſimis verbis, grauisſimisque ſententiis refertum prædicant. Admirantur in eo dicendi vehementiam,& vt ſolitus eſt dicere Alluuiſius Vopiſcus, tonitrua ac fulmina. Taceo prudens alias ineptias,vt eſt illa noſtri Hieremiæ,qui cum legiſſet in epiſtola Ciceronis: Accumbebam hora nona: Statuerat nolle accumbere,niſi hora nona. Ego primum in eo doctrinam nec noſco, nec probo: ſed potius, vt ipſe ad Atticum ſcribens, de ſe ipſo dicit,

nihil

nihil eſt illo inertius, retuſiorique ingenio. Cum oblatus illi fuiſſet Serapionis liber, quo nullus apertior aut candidior, ne milleſimam quidem partem intellexit, vt ipſe ad Atticum fatetur. Sic enim inquit: Et quod inter nos dicere liceat, vix milleſimam partem intelligo: nullæ tamen illic tractabantur materiæ graues. Stilus erat pellucidus, nullis ſcatebat mendis. Præter hæc pollicitus fuerat Attico, ſe de Geographia aliquid ſcripturum. Sed ſtatim perterrefactus, nihil amplius, inquit, confirmo. Sic enim complexus ocium ſum, vt ab eo diuelli non queam. Scripſit Topica quædam, & imperfecte ſcripſit, neque plene tractauit: vix tamen dici poteſt, quanta difficultate id præſtiterit. Nulla erat in eo antiquitatis notitia, nulla rerum geſtarum peritia. Cœpit ætate iam deuexa & tradere ſe Hiſtoriæ, & ſigna conquirere: neque id tantum, vt vllam rerum antiquarum cognitionem haberet, quam vt domum ornaret, quam libidinibus ſemper patere voluit. Legite quæſo illas ſuas quæſtiones, & paulo accuratius rem attendite: nihil languidius, nihil ſpinoſius. In ſuis argumentationibus nun-

nunquam non peccat, vt dialectici loquuntur, in petitione principii: interdum cauillos quosdam habet, ſophiſta indignos, (ne quid grauius dicam) Facetias vero quas improbisſimus ſcurra negligeret. Poſſet mihi aliquis (nec immerito) obiicere : Si tanta eſt hominis & imperitia & infantia, qui factum eſt, vt tam præclara ingenii ſui monimenta reliquerit? Quibus ita breuiter reſponſum volo: Primum nihil me in eo præclarum animaduertiſſe: ſed eſto multa ſint præclara; illud vobis perſuaſisſimum ſit, ab eo aut erepta, aut ſurrepta fuiſſe. Vtebatur familiariter doctis & diſertis hominibus, non quod illi id cuperent, vel ab aliquo ille inſinuaretur, ſed ſeipſum (vt erat temerarius, & nullo pudore) ingerebat. Habebat præterea Pomponium Atticum, a quo puto pleraque omnia illa, quæ ſibi adſcribit, edita fuiſſe. Erat Pomponius vir ſane bonus, ſed hujus conſuetudine, conuictu, conſiliis ita deprauatus eſt, vt illo nullus eſſet deterior: ſemper tamen Ciceronem excipio. Hic in huius gratiam Græcorum bibliothecas expilabat, vndique aut furto, aut precibus, aut vi, aut largitionibus libros

libros eruebant. Ita factum eſt, vt Antii mirificam haberet librorum copiam. Habuit præterea Attici libros, vniuerſamque fratris Pæti bibliothecam, qua nulla fuit vnquam inſtructior, nec ea quidem, quam Ptolomæus extruxit. De illis ſumebat, & ex bonis faciebat peſſima. Hinc illæ mendæ, quæ in eius libris viſuntur, hinc tot deſiderantur ſuorum librariorum indiligentia. Si fuiſſet in ſtudiis tam inflammatus, in iisque tantos habuiſſet progreſſus, nunquam fieri potuiſſet, vt ſenex literas odiſſet, quemadmodum Valerius teſtatur, quem autorem libentiſſime ſequor. Ego certo ſcio, nulla poſſe in literarum ſtudiis peccata committi, quæ ille turpiſſime non admiſerit: nulla eſt in orationibus vehementia, nulli aculei, nulla ſentio ſpicula. Multæ ſunt in eo cacophoniæ, multa male coherentia, verba ſordida, obſoleta, incompta, horrida, inculta, ſtridula: Solœciſmi multi, infinita improprie dicta, abſurdæ metaphoræ, multa nimium longe petita. Damnat ipſe tamen in Pomponio quædam nimium horride dicta. Dic mihi Cicero an non horride dictum? impatibilem, nigror, opi-

pinatio,beatitas,paſtio,rotundare,tornare, vietum,hillara vita,adulat,peteſſunt,Appietas,& lentulitas,abſtergebo,hillarus,Terminalia,compromiſſum: non modo,pro,non modo non: nummatio, indolere, ſemigrare,ſequeſtrium,latinienſes,debitio, reliquas dies,albatus,fuluiaſter,domo me tenui, inante diem,illudere exiſtimationi,deſperare ſaluti,in diſcrimen eſſe,in poteſtatem eſſe, in frontem inſcriptum: ſciſcere,pro ſancire: latere mihi, Quidem certe, facere admirabilitatem : poſſunt oculi, pro valent oculi: potiri pacem,quod ſi (vt es) ceſſabis, laceſſam, pro,vt facis: vt eſſem, pro qualis eſſem : exaggerare rem familiarem, pro amplificare: exarſerit,pro exorta ſit: extrahere rem,pro,in longum ducere: creui hæreditatem, multiſſimis. Illæ cacophoniæ nonne in mentem veniebant? citabo aliquot : illam in primis, Cecilliam ſaluere noſtris iubebis literis, & valebis a meo Cicerone. Item, actionemque queramus, opus eſſe neceſſe non eſſe ſe, quoniam, vt ais is,ſis is,lutulentus ſus, nos inter nos, re recenti: quam aſpere & plane ſtoice dicta ſunt illa,ſaltare,id eſt imitari: ſaltat De-

mo-

molthenem,ſcindere, pro participem facere: verum,id eſt,iuſtum: infici artibus,pro inſtrui,clam vos, Robora pop. Rom. Legite epiſtolam,quam XIII. Famil. Tironi ſcribit, multa improprie dicta offendetis: non mihi poſſunt ex tempore ita in mentem venire. Certe quotiescunque illum lego (lego autem ſæpiſſime,quo nonnullorum inſaniæ ſatisfaciam) ita me Deus bene amet, ſi non grammaticulum videor legere, præſertim cum ille mihi ſatis quidem inepte conetur explicare quæ differentia ſit inter pugnare & repugnare: vnde dicta ſit fides: quid peierare: amicitiam ab amore dictam, quæ ſit inter fateri & profiteri differentia, quid deiectus,quid detrudi,cum dat armati diffinitionem, Quid ſit diſcriminis inter amare & diligere,vnde oſtenta, portenta, monſtra,prodigiaque dicta ſint,cum declarat virtutem a viro dictam: cum docet,quid callidus,quid verſutus: cum differentiam aſſignat inuidiæ & inuidentiæ, ægritudinis & ægrotationis: item, inter gaudere & lætari. Nonne ſunt hæc digna,quæ a tanto philoſopho, & a tam facundo oratore tractentur? Diſperеam,niſi pædagogi noſtri

ſtri iſtæc melius tractaſſent. Quot rudiuſculæ locutiones in eo ſunt autore, a quibus ruſtici abhorrerent? vt illa ad Curionem, Opus eſt nobis dux & autor: Putare pro nihilo: Peſtilentia abiit de loco, Interfectus eſt ab vno de illis, Pecuniam numerauit de ſuo, De viuo trahit, Sum totus veſter, & eſſe debeo, Bene mane venit ad me, Addo de meo, De principio ſtuduit animus occurrere, Emit de Rupilio. Totus eſt his floſculis reſperſus. Cum tamen dicat III. de oratore, Me maior in verbis, quam in ſententiis eligendis labor & cura torquet. Ad Quintum fratrem ſcribit, quid poëma exigat: ipſe pangendis carminibus tam aptus, ac aſinus ad lyram: Pudet in iis diutius eſſe. Dicant mihi Ciceroniani, ſi piaculum putant a Cicerone diſſentire, vtpote ab homine, qui nec falli, nec fallere poſſet, cur metuebat Pomponii miniatulas cerulas? Cur Brutus, & Atticus tot illius errata corrigebant? Cur Aſinius & Licinius in eo tanta obſeruarunt animaduerſione digna? Cur ſe toties purgat memoriæ peccatum fuiſſe? Cur Voluminii elimatum requirit judicium? Omitto illud, inhibere remos, & Piræum. Sunt enim

illa

illa lippis & tonſoribus nota, & a mediocriter doctis animaduerſa. Excuſabunt illum fortaſſe Ciceroniani, Græcarum literarum ſtudio adductum, non potuiſſe Latinis literis tam diligentem operam nauare. Sed ſi oſtendero illum in Græcis parum promouiſſe, quid tum dicent? e ſtultitia vt opinor illos ad inſaniam redigam. Dicam qua ducar coniectura. Primum cum in officiis Cyrſili hiſtoriam narrat imperfectam, mancam & mutilatam, cum dicit Demoſthenem illi non ſatisfacere, nec ſuas implere aures. Item cum ſæpe in Epiſtolis multa Græce dicat, quæ melius & expreſſius latine dicuntur, ita vt ad oſtentationem id omnino facere videatur. Cum Græcos dicit non habere quomodo dicant ineptum: ita & faciem. Concurrunt alia, quæ hanc meam coniecturam exaugeant: vt Endelechiæ vocabulum ab eo non intellectum. Cum Aiacem loco Hectoris loquentem facit: Cum Agamemnonis nomen pro Vlyſſis nomine ponit. Item cum dicit Vlyſſem ſuorum neminem cognouiſſe, & alia perſimilia. Mouet etiam me Argiropili Bizantii autoritas, qui ita ſenſit: mouent

me,quæ perperam vertit. Non eſt igitur Cicero nec Latine nec Græce doctus. Infinita dat in oratoriis præceptionibus documenta,quæ ipſe in ſuis libris ne in ſomnis quidem ſeruat. Adulator eſt, maledicus, effœminatus,natus abdomini & ventri, iactabundus, gloriæ nimium cupidus, fundi noſtri calamitas,per quem tot incommoda in Romanam rempub. importata fuerunt: cuius ſcelere Romanæ vires conciderunt,& tam ſtulti,tam negligentes erimus,vt illum a nobis non abiiciamus? & vt Romani illum exilio mulctarunt,ne ad illius vitia conniuere videretur,nos erimus ſegniores? Enimvero ſi nobis noſtra chara eſt exiſtimatio, nihil loci in re tanta eſſe debet ſegnitiæ aut ſocordiæ,quin de illo ſumatur ſupplicium: quod ſi fecerimus laudabunt omnes conſilium noſtrum,recte factum dicent. Si vero negligemus,culpabunt plurimi,noſque eorum vitiis aſſentiri exiſtimabunt, niſi male mulctetur. Ne vnus quidem fuit, qui non huic rei aſſentiretur, Baſſianumque infinitis laudibus in cœlum tolleret. Cœpta eſt iniri ratio,quo potiſſimum ſupplicio afficiendus eſſet hic ſceleſtus. Alii in eculeum

leum inſuendum dicebant,alii fumo extinguendum, qui tota vita fumos vendidiſſet, tenebraſque iudicibus offudiſſet : alii tollendum in crucem,alii ex editiore loco deturbandum,quod tot de ſuo deturbaſſet loco,ſuiſque euertiſſet fortunis: alii laqueo eſſe illi frangendam gulam. Sed Cæuameus humani ingenii manſuetique animi, vt potius in exilium mitteretur,perſuadebat, cuius ſententia non admodum diſplicuit. Sed vnus reſtabat ſcrupulus, qui nos male haberet,quo terrarum relegandus eſſet, vt magis,aſperiuſque affligeretur. Hic rurſus variatum eſt ſententiis, Caſatus in Paphlagoniæ tenebras,Boëtus in Cappadotiæ ſolitudinem,alii ad Indos, alii in Bithiniam,alii in Numidiam,alii in vltimas terras amandandum : Hieremias contendebat relegandum in Iulii Camilli theatrum:id autem dicebat,quo indulgentius tractaretur: ſciebat enim illum eſſe Ciceroni adeo addictum, vt pro illius commodis ac ornamentis nihil non facturus eſſet. Huius ſententiæ vehementer ab omnibus reclamatum eſt : videbatur enim aut parum prudenter, aut callide nimis excogitata. In Galliam

non videbatur relegandus, tum quod illic auditum eſſet, nonnullos eſſe Ciceronianos, tum quod Galli nimium humani ſint. Verebamur præterea, ne ſi ad Claudium Fornerium, aut alium e ſuis fratribus perueniſſet, mitius multo & honorificentius tractaretur, quam domi a ſua Terentia, aut ab eleganti Tulliola. Nemini placuit illum ad Britannos mittere, partim propter Reginaldum Polum, partim quod Bononiæ noviſſemus legatum quendam Britanum hominem, qui poſtea ex Italia in Hiſpaniam cum Cæſare profectus eſt, qui ſic Ciceronis lectione delectaretur, vt omnem vocem exhorreret, quam apud illum non legiſſet. In Germania & Polonia ſignificatum fuerat, vndique Ciceronianos exoriri. Hiſpani videbantur in externos nimium officioſi. Tandem ſummo animorum conſenſu in Scythiam relegatus eſt: factumque Decretum, vt ſi quis vnquam vel de reuocando illum ab exilio cogitaſſet, pari plecteretur pœna: hic etiam aſſenſerunt. Si quis præterea illius libros legiſſet, aut alios legere ſuaſiſſet, aut penes ſe retinuiſſet, eandem incurreret pœnam. Recitatum eſt

pu-

publice,& clara voce decretum, quod adſcribere placuit, ne quid te cælatum eſſet, poſſiſque & aliis, quo ordine res geſta ſiet, commodius narrare.

DECRETVM.

M. T. CICERONEM OB EIVS PESSIMA FLAGITIA, ET ANIMADVERTENDA FACINORA, LIBERALIVMQVE DISCIPLINARVM IMPERITIAM, PERPETVO MVLCTAMVS EXILIO: SIMILI POENA ILLOS OMNES, QVI VEL VNVM VERBVM DE EO REVOCANDO FECERINT, AVT ILLIVS SCRIPTA LEGERINT.

Decreto recitato, Statuam ſummo factam artificio, quæ autore & conſuaſore nobili viro Ioan. Franciſco Stampa erecta fuerat, deturbant, frangunt, diſſipant, & comminuunt. His peractis non ſine magna omnium lætitia Philoponus, quemadmodum præſcripſerant medici cœnæ ſe dedit: nos vero quanquam ita inuitaremur, vt fere penulas ſcinderent, in noſtra tecta exultantes ac ſerio triumphantes perinde ac ſi Turcam in vincula con-

iectum Romam perduxiſſemus, diſceſſimus.

CICERO REVOCATVS.

POſteaquam omnibus innotuit,Ciceronem vtriusque linguæ imperitia, grauiſſimisque criminibus conuictum, & ad extremum in exilium actum fuiſſe: magni in vrbe ac foro toto inter ſtudioſos excitati ſunt tumultus, & vehementes ac iracundæ expoſtulationes. Querelis, lamentationibusque complebantur omnia, ſcelerate factum deteſtabantur. Lugebat equeſter ordo, mœrebant ciues, ſquallebant quotquot bonarum artium profeſſores erant, demiſſi adflictique videbantur boni omnes: quid plura? Ipſæ,ipſæ mulierculæ & manus in cœlum tendere, & pro illius reſtitutione vota facere,imagines ſuſpendere non deſinebant. Decretæ ſunt communi conſilio ſupplicationes. Coactus eſt ſtudioſorum omnium ſenatus. E villis (quo ſe animi gratia diſertiſſimi patroni contulerant) mox

mox accerſiti ſunt,disquirique cœptum eſt, num iuſtis ac legitimis de cauſis ex vrbe, tam eximia virtus, tamque excellens induſtria indicta cauſa pulſa fuiſſet. Illius ſcripta diligenter excutiuntur, quæ ab aduerſariis inuidioſe potius,quam vere obiecta fuerant, non minus accurate expenduntur: cumque purgatum illum, a calumniis vindicatum & in vrbem reſtitutum cuperent, non omnino inter ſe conſentiebant, quanam ratione id fieri commodius poſſet,ne temere quippiam ab eis factum calumniarentur aduerſarii,& aliorſum atque factum eſſet acciperent. Hermes Stampa, & Ioannes Moronus officiis,vſu, conſuetudine coniunctiſſimi, & antiſtites vigilantiſſimi ſuadebant, vt alicui diſerto & prudenti patrono Ciceronis tuendi ac ornandi prouincia daretur: qui & ſi multa,ob egregias animi dotes gratia, & autoritate eſſent, omnibus tamen ſuffragiis præteriti ſunt: magiſque placuit, vt idem tenor ſeruaretur in defendendo, qui in calumniando ſeruatus fuiſſet. Quod cum omnibus placuiſſet, illis ipſis etiam qui prius aliter ſenſerant, cœptum eſt agi de reſtituendo:

nonnihil tamen immutata ratione: datæque ſunt priores defenſionis partes Stampæ,& Morono; Secundæ Gabrieli Florentiæ, & Gabrio Panegarolæ; Tertiæ vero Hieronymo Pecchio, & Antonio Franciſco Creſpo,qui & paſſis velis ad eloquentiam contendebant, & propter ſua in Rempubl. merita omnibus gratioſi erant; ſicque Moronus (vt narrationem hanc in compendium quam maxime poſſim conferam) aggreſſus eſt; Non poſſum non vehementer admirari viri clariſſimi, quæ inſania, aut quæ Furiæ illos agitarint, vt in hunc diuinum hominem tam petulanter & contumelioſe debaccharentur, eumque mulctarent exilio, qui dignus fuiſſet totius terræ orbis imperio,& per quem ab exilio tot in patriam reuocati ſunt. Multa me hercules illi obiecta fuerunt, quæ facile ſi velim non ſolum infirmare, ac debilitare, ſed plane delere,& abſtergere posſim. Sed quia placuit hanc defenſionem in tres partes diſtribuere, ita meum dicendi ardorem attemperabo, vt aliis etiam magis diſertis magisque in hac dicendi facultate exercitatis ſit defendendi locus. Criminabantur ad-

aduerſarii nihil poſſe illo autore peſtilentius legi: eorum nomen ſilentio inuoluam, ne exulceratum animum, vel leuiter pungam. Multi calumniantur imperitiam & iniquam religionem. Interdicunt maxime lectionem libri de Fato, de Diuinatione, & III. Offic. quod dixerit, non eſſe inferendam iniuriam, niſi prior laceſſitus fueris: neque animaduertunt in hac parte, Ciceronem ſe ſe ad animorum imbecillitatem demittere, quemadmodum in Bibliorum libris a Deo Opt. Max. factum legimus, cum obſtinatis Iudæis repudii libellum concederet. Nouerat prudentiſſimus Cicero, non poſſe facile affectus euelli; ob id (ne illos quos ſuis præceptionibus inſtituendos acceperat, nimium acerbe exaſperare videretur) eam adiecit particulam. Parem animaduerto prudentiam in Paulo Tarſenſi, quando Corinthiis multa ſecundum indulgentiam, (ſic enim ipſe loquitur) & non ſecundum imperium concedit. Quod ad alia loca pertinet, Meminerint Ciceronem academicum in vtramque partem diſputare, rei tamen veritatem mordicus tenere, & pro ea ſolitum decertare non minore eloquentia,

ſtudio,& contentione,ac ſi pro aris & focis decertaret. Ego certe quotieſcunque illum lego,non iuris conſultum, non rhetorem aliquem, ſed Chriſtianiſſimum hominem,ſed eximium quendam euangelii preconem videor mihi legere: tot tantaque in eo autore comperio,quæ cum Chriſtiana religione faciant: vt illud, Ad inferos parricidii pœnas luent: Animum æternum eſſe: Animaduertenda peccata: Bonum ſemper beatum: Cum explicat quanta ſit conſcientiæ vis. Item cum dicit, Errare cuiusvis hominis eſſe,at in errore perſeuerare,inſipientis. Cum vero irridet Iudæorum ſuperſtitionem,Quem prophetam aut apoſtolum non contemno? Cum Ambitum damnat,ipſeque de Ambitu fert legem. Cum monet non minus ocii,quam negocii rationem extare debere. Parentum ferendas iniurias, Parentes chariſſimos habendos,Pacis nomen dulce. Sed cum dicit,pietatem omnium virtutum eſſe fundamentum, nonne plane cum Paulo concordat? Cum meminit vitæ perpetuæ: cum dolorem peccati æternum adfirmat, cum aſſentationem turpem: cum dicit bellum

eſſe

eſſe ſua vitia noſſe: Blaſphemias mittendas. Quando vero ad Atticum ſcribens dicit, Noſtris peccatis incidimus in has ærumnas, Vacare culpa, magnum eſt ſolatium: Humana ferenda. Cum vero dicit, In vno ſalutem periclitandam, nonne ad euangelicum illud alludere voluit? Expedit vnum hominem mori, ne tota gens pereat. Ad quod etiam poëta alludens, cecinit, Vnum pro multis dabitur caput. Cum ad Brutum ſcribens dicit, Liberos patrum ſcelera luere, nonne originis peccatum ſignificat? Nonne cum eo facit, Patres commederunt vuam acerbam, & dentes filiorum facti ſunt ſtupidi? Cum ad eundem dicit, Animos hominum incertos, cum eo concordat, Vanum & imperſcrutabile cor hominis. Cum dicit, Peccati medicinam eſſe confeſſionem, nonne cum diuinis literis, pontificumque placitis conſentit? Item, Salutem deſperandam eius, qui veritatem audire nolit. Cum mentionem facit Philippica prima de ſupplicationibus mortuorum. Cum dicit peccata paria, nonne facit cum illo? Qui peccauerit in vno, factus eſt omnium reus? Cum dicit vitam mortalium mortem: Mor-

tem

tem non eſſe accelerandam: Mortem omnibus incertam: Moriendum non eſſe citra dei iuſſum, qui vitam dedit: Mori non eſſe miſerum. Item ex VI. de repub. Mortem eſſe præſentem vitam: Hominem non eſſe qui videtur, ſed mens: Cum aſſerit mundum per diuinam prouidentiam adminiſtrari; Cum nos dicit natos ad agendum: nonne cum Iob concordare videtur, qui hominem ad laborem natum prædicat? Cum dicit neminem ſe odiſſe, Item cum III. de natura deorum, peccatum conſcientiæ pondus appellat. Cum Tuſculanarum quæſtionum V. paupertatem commendat. Dum tollit ſuperſtitionem, atque a religione ſeiungit. Nonne fatetur Auguſtinus, illius Hortenſium mutaſſe ſuos omnes affectus, atque in deum conuertiſſe? An non Cicero ſæpiſſime turbulentis illis temporibus Reipub. pacem peperit? Si cum M. Antonio pacem recuſauit, prudenter fecit: nam ſimulata pace omnia fuiſſet depopulatus: diuina humanaque omnia peruertiſſet ille nepharius. Itaque ſic ſtatuo, vt quam paucisſimis complectar, non poſſe melius ſuas horas collocare ſtu-

ſtudioſum iuuenem, quam ſi illas Cicerone legendo impenderit. Hic finem loquendi fecit, omniumque animi viſi ſunt recreati. Tum Hermes Stampa, qui plus cæteris omnibus illius condemnationem inique tulerat, ſingularibus primum verbis Morono gratias egit, quod tam facundum, tamque ſtrenuum defenſorem egiſſet: deinde nonnulla aduerſariorum crimina diluere cœpit. Obiecerant enim, illum eſſe nimium gloriæ cupidum. Quis enim, inquit ille, qui non laudis cupiditate trahatur? Vertetis vos illi vitio, quod excelſi animi, quod generoſi ſpiritus ſemper habitum eſt? Nonne Apoſtolus Tarſenſis gloriatur, plus cæteris laborauiſſe: Non aliunde, quam a Deo patre Optimo Max. Euangelium ſuum accepiſſe: Non manducauiſſe gratis panem: Reſtitiſſe in faciem Petro. Quam ſæpiſſime Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius indicauerunt ſe gloriæ cupidos? Sed quod Philoſophos gloriæ cupidos præſtrinxerit, propterea factum arbitror, quod illi de contemnenda gloria iam libris editis præcepiſſent. Turpe omnino eſt, de eodem crimine alios accuſare, quo ipſe non vaces. Sed hæc friuola

vola ſunt,& indigna,de quibus verba prolixius fiant. Ad alia venio, Illum elatum,& iactabundum adfirmant. Facile videri poſſit elatus homo, penes quem ſit Reip. ſumma,necis & vitæ poteſtas,qui ius diceret,qui fori rex eſſet, qui ſceleratorum hominum nefarios conatus reprimeret, qui coniurationes patefaceret,qui vaſtitatem ab vrbe, cædem a ciuium ſuorum capite, vel cum ipſius vitæ diſcrimine depelleret, qui Remp. a ſumma miſeria, ad ſummam traduceret lætitiam. Non eſt iactabundus Cicero, fallitur quiſquis illum iactabundum exiſtimat,ſed ſi quæ commemorat, quæ ad illius laudem facere videantur, ob id factum ſuſpicor,vt inde ſibi poſteri exempla præclare factorum ſumerent: niſi enim clariſſima illius geſta fuiſſent,non tantum ei tribuiſſet Atticus,quantum vbique tribuit, neque ſolus eſt, qui illi plurimum tribuat. Quantum quæſo Seruius Sulpitius?Quantum Dolobella? quantum Papirius? quantum Plancus? quantum Cæſar? quantum Pompeius? quantum Brutus? Cupit Luceii ſcriptis res ſuas conſignari, non vt virtutis præmium, aut inſigne honoris,aut monimentum laudis

dis habeat: tantum ne earum rerum memoria intermoreretur. Commemorant loca quædam, vbi ſua narrat facinora, & res a ſe geſtas. Ridiculi ſunt, & ſe ridendos præbent tam frigidis calumniis. Ad quem igitur ſpectabat illa narrare? Quis illa melius nouerat? Ego iſtam in homine tam præclaro nimiam iactantiam nec video, nec agnoſco. Sentio potius in eo incredibilem modeſtiam, ita vt Lucullum amicum intimum malit debito teſtimonio priuare, quam id cum ſua laude communicare. O incredibilem, & prope diuinam modeſtiam. Nonne modeſtiſſimus eſt, cum nihil ſe dicit inertius? Infinita ſunt, vnde ſui pudoris ſuæque modeſtiæ exempla ſumi potuiſſent, præſertim in ſuis concionibus. Sed maligni ſemper exquirunt, quod detrahant, quod calumnientur. Poſtquam imitari non poſſunt, ad calumnias, ad quas facilis eſt transmiſſio, confugiunt. Dum hæc agit, nimium fortaſſe vehementer condoluit illi latus (eſt enim valetudine imbecilla, laterumque exigua firmitate) quo factum eſt, vt in medio ſuæ orationis curſu vela contrahere, ac opinione noſtra celerius perorare

com-

compulſus ſit. Huic alii defenſores ſuccedunt. Negant primum illum mollem, aut effœminatum, ſed ingenio miti & placido: Illoſque barbaros, Timones, humanitatis & communis ſenſus expertes vocant, qui vitio dederint vxoris & filiorum charitatem. Quod certe non feciſſent, ſi liberorum conceptam dulcedinem animo incluſam conticerent. Si luget, ſi ſe in ſquallore prædicat, quis tam ferreus, qui non doleat, qui non ingemiſcat, qui non frontem feriat, ſi ſe ab eo deſertum viderit, quem ipſe omni officio, ac potius pietate aliquando ſit complexus, de quo ſit quam optime meritus, & in quem omnia profecta ſint, quæ ab amiciſſimo animo proficiſci ſolent? Rus profectus eſt, non vt lepuſculis inſidias ſtrueret, aut auibus tendiculas poneret, aut lacertas captaret: ſed vt ſe totum ſtudiis philoſophiæ traderet, Nam cum in vrbe erat ob magnam ſalutatorum frequentiam non ita ſe in literarum ſtudiis abdere poterat. Videte quæſo, quanto calumniandi ſtudio flagrent, qui neque pati poſſint, vt libere reſpiret, ruſque, vt ſeſe honeſte oblectet, concedat. Si ſuum ocium Aphricani ocio præfert, iure quidem opti-

optimo id facit: nam Cicero ſui ocii fructum nec leuem, neque contemnendum nobis exhibuit. Taxarunt illum, quod adulator eſſet. Bone Deus,quam ſunt iniqui. Si minus honorifice de quopiam loquatur, aut non iis ornet laudibus, quibus ipſi cuperent,continuo maledicum clamitant. Alienæ gloriæ inuidum vociferantur, mirasque excitant tragœdias. Si laudet, adulatorem dicunt. Quis poſſit horum dura ingenia perferre ac pati? Ego certe malim quiduis potius perpeti,quam cum hoc hominum genere vel paucorum dierum conſuetudinem inſtitutam habere, Præter hæc perfidum, impoſtorem, rapacem vocitant,cum miræ fuerit ſanctitatis & continentiæ. Si tam rapax fuiſſet, vt illi falſo criminantur,ſuperaſſet Craſſum diuitiis,facileque omnium vicos & prata contempſiſſet. Sed ne dubita,ne vereare Cicero, illuſtrabit amplitudinem tuam inſignis hæc contumelia,nec minus honorifica tibi erunt horum hominum, quos in hoc conſeſſu video, præclara de te iudicia,quam fuerit illa iudicum conſurrectio, quæ pro tua ſalute facta eſt. Et ſi venenatis horum

k lin-

linguis percutiare, quanquam te contundant, florebis tu magis atque magis: & quemadmodum fœnogræcum, quo plus conculcatur, ac pedibus protrahitur, eo nitidius & floridius aſſurgit, ita tu magis ſplendidus ac conſpectior fies, licet peſſimi homines omnem dent operam, & toto pectore connitantur, nihilque (quantum in ſe eſt) prætermittant, quod ad infuſcandum iſtum tuum ſplendorem faciat, quem multa doctrina, plurimo tractandæ Reipub. vſu, vitæ innocentia, & rectitudine tibi comparaſti. Dabunt illi omnino pœnas tantæ iniquitatis. Videor mihi P. C. exaudire ipſam Ciceronis vocem queribundam, quod cum de eo condemnando ageretur, nemo patrocinium ſuſceperit, nemo vel exiguam amoris ſignificationem dederit. Cum tamen & prudentia & facundia belliſſime inſtructi eſſent, eoque dicendi ac intelligendi magiſtro vſi fuiſſent. Verum quid facias mi Cicero, ſi in hanc temporũ iniquitatem incidimus, ſi non grati animi amplius conſpicimus, ſi non eſt in iis fides, in quibus ſumma eſſe deberet, fer quæſo bono ac forti animo, quemadmodum & alias Fortunæ iniu-

iu-

iurias perferre ſolitus es, noli cuiusquam iniuria animi tui magnitudinem inflectere, oſtende nunc etiam illum tuum animum fortem, Conſtantem & intrepidum, quem tantopere nefarii, & voluntate perditi homines extimeſcebant, quo nitebatur resp. Cuius fauore ac beneuolentia libere reſpirabant calamitoſi: in quem proſpiciebant municipia noſtra, quo recreabantur populi Romani amici: Quo conſternebantur atque animis cadebant hoſtes noſtri: ne putes nunc illam tuam virtutem, illos tuos neruos, illos aculeos, qui reconditi ſunt ab aduerſariis tuis, eorum petulanti & procaci lingua excuſos fuiſſe. Eadem nunc ſunt de te bonorum iudicia, quæ alias fuerunt, eandem tibi ſeruant voluntatem, eandem præſtant pietatem, nihil deceſſit de illo priſtino amore, quin potius (quantum ego perſpicio) tanta facta eſt acceſſio, vt nunc quidem amare, antea dilexiſſe videantur. Disrumpantur licet tui aduerſarii. Nunc raræ & eximiæ tuæ virtutes ab omnibus collaudantur, libri tui omnibus vigent, non modo Italis, ſed & transalpinis qui alias abhorrere videbantur. Omnibus perſpecta eſt animi

tui pietas,& gratitudo,nulli non cognitum eſt Ciceronem prudentia, acumine,venuſtate & ſubtilitate, tum vero eloquentia,varietate,copia,facile omnium principem eſſe: per te Romanæ linguæ fines amplificati ſunt, tu adflictam ſemper protexiſti eloquentiam. Tu ſcriptis tuis, quæ ob elegantiam & puritatem ab omnibus & adamantur, & cupidiſſime leguntur,quæ Latinæ linguæ vox eſſet indicaſti: a te omnia præclara, grata & iucunda nobis accidunt: nihil ex te prodit non ſanctum,emunctum, perpolitum, & numeris omnibus abſolutum. Ob id conuertor ego medius fidius in ſtuporem,fioque Niobe ſtupidior, cur illi tanto mentis errore adficiantur, vt iſtam tuam virtutem, iſtam tuam prudentiam, ſanctitatem & religionem non agnoſcant, ſed te potius conuitiis onerent. Equidem ſæpiſſime de hac re cogitanti,non poteſt in mentem venire,qua ratione perſuaſi, ſic te male accipiant. O ſtolidos homines, quis vos faſcinauit? Quis occæcauit? Quis mentem abſtulit? Cur Ciceronem,quo non fuit vnquam neque noſtra, neque patrum memoria ſanctior tot contumeliis adficitis,

&

& tam ſtrenue ad illius perniciem incumbitis? Equidem, P. quantum ego exiſtimo, ſed fortaſſe faticinor, male peribunt, quotquot in huius ſanctiſſimi viri damnum & exitium coniurarunt. Non poſſunt felices exitus habere, quæ mala habuerunt initia. Vexabat illos tum aliquis *κακοδαίμων* cum hanc ſuſciperent mentem ac voluntatem. Dicunt præterea, fuiſſe Italiæ ruinam & calamitatem, quam ex bello & vaſtitate toties cum fortunarum capitisque ſui periculo eripuerat. Nullæ impendebant procellæ, quas ille non antea proſpiceret, proſpectas ſenatui nunciaret, ac ſe mox ne in Reipublicæ (quæ ſua vita ſemper illi charior fuit) damnum ac exitium erumperet, compararet. Nulli excitabantur fluctus, quos ille ſua prudentia non coërceret ac mitigaret, ita vt e media morte reſeruatus exiſtimaretur, ne penitus Roma concideret. Non enim poterat occumbere Cicero, quin eodem motu labefactata rueret etiam reſpublica. Cum illo boni omnes & reipublicæ amantes, voluntate, mente, ſtudio, ac voce conſentiebant. Perditi vero & ſceleſti ab illius conſuetudine refugiebant: illius genium re-

 for-

formidabant,conſpectum fugitabant. Erat in eius vultu ſeueritas quædam comitati aſperſa, cum incredibili morum ſuauitate: Scurram appellarunt,quod facetiis & iis quidem honeſtis ſcateret. Nunquam tantus mœror cuiusque animum occupare potuit, quin vna ambulatiuncula omnem mœrorem pelleret & exhauriret. Ingratitudinis etiam condemnarunt,idque ſtolide,ex abalienato Terentiæ & Quinti fratris animo colligunt. Primum,Quis neſcit fœminas leues & lubricæ fidei eſſe? Cupiebat illa nouos amores, vt faciunt pleræque omnes inconſtantes,rapaces,perfidæ, ob id a Cicerone deſciuit. Non poterat bonus ille Cicero & ſtudiis tantam operam nauare,miſeros omnique præſidio deſtitutos, inopes a pecunia,& ab amicis, ſubleuare, & illius nephariæ mulieris libidinem ſaturare, quam ſexcenti ſalaciſſimi homines non ſaturent. De Quinto fratre,ſi apud illum plus poterant iniquorum hominum calumniæ,quam ſua erga illum beneficia,quid faceret? In vllos ingratum fuiſſe video, quin potius illius animum & ingratum & memorem exoſculor,ac ſuſpicio. Ea erat animi ingratitudine

vt

vt cæteris omnibus ſatisfaceret, ſibi ipſi nunquam, vitamque exiſtimaret acerbam, ſi in aliorum cauſa non idem feciſſet, quod alios in ſua cauſa feciſſe cognouiſſet. Obiectant inconſtantiam, quod modo rem affirmet, modo neget: quod Ariſtoteles, quod Plato etiam, diuino vir ingenio, ſæpe facit. Dum aliorum opinionem recitat, aliter ſentit, atque cum ſuam ſententiam declarat. Interdum de mente ſapientum loquitur, interdum vulgi opinionem recitat. Si multos laudat, & eosdem vituperat, non ſine cauſa id fit. Nam quæſo dicite mihi, quis tam perfectus ac plane beatus, vt perpetuo ſit laudandus? At vos nimium propenſi eſtis ad calumnias. Illius laudes tacite præteritis: quæ vero ad ignominiam (veſtro quidem iudicio) rapere poteſtis, verboſe & loquaciter illa dilatatis, & quantum poteſtis exaggeratis. Sed (quantum ego opinione auguror) breui fiet, vt facti pœnitentes, commeritam pœnam totidem verbis deprecemini, & turpiter a veſtra decedatis ſententia. Latrant in eum, quod intemperans, quod nimium bibax: afferunt morbos quosdam, quibus afflictaretur:

tur : afferunt cruditatem & lippitudinem ; citant doctiſſimum Hippocratem. Primum ego affirmo, non ſemper crapula illos morbos aduenire, ſed nimia laſſitudine, nullaque ciborum facta concoctione : vel lectioni, vel ſcriptioni ſe dabat ſtatim poſt aſſumptos cibós. Ita erat ſtudiis incenſus, vt nullum remitteret tempus, neque ſe reſpiceret. Hinc ortæ ſunt illæ ægritudines, & non aliunde. Præter hæc lippitudo morbus eſt, qui conuictu alios inficit ; itaque fieri potuit, vt alicuius conſuetudine eo ſit morbo contaminatus. Multa alia blatterant, ſed indigna ſunt, quæ vel recenſeantur. Per illum dicunt plurima fuiſſe in Rempub. mala importata, & ſplendide mentiuntur. Quot claris viris maleuolentiſſimorum hominum nequitia orbata fuiſſet respub. niſi ille obſtitiſſet ? Quot innocentes viri, ſplendido & ſummo loco nati illo defendente abſóluti ſunt ? Niſi illius grauiſſima autoritas intercediſſet, iudicia refrixiſſent, leges abolitæ, oppreſſi boni, perditi veró rerum potiti fuiſſent. Nemo vnquam fuit tanta temperantia, nemo illo

illo abſtinentior; quis præterea illo fuit aut probitate, aut innocentia, aut optimarum artium ſtudio, aut vllo genere laudis præſtantior? Nullius tantum fuit flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tantaque copia: Nullus vnquam officioſior: declarant tot epiſtolæ commendatitiæ, tot conſolatoriæ, obiurgatoriæ. Quis vnquam placabilior? Nam communis concordiæ cauſa grauiſſimas quasque iniurias voluntaria obliuione conterere ſolebat. Quis tam facilis ad deponendam offenſionem? Cui vnquam ſuam operam denegauit? vel cui ipſe eam vltro non detulit? Quot per illum defenſi cum miſeri, tum opibus & gratia potentiſſimi? Quis non ſummopere concupiuit in illius amicitiam inſinuari, propter multas ſuauitates ingenii, officii, & humanitatis ſuæ? Nonne miſeri, & inuidorum hominum calumnia oppreſſi, ad illius patrocinium, tanquam in tutiſſimum portum confugiebant? Infinitum eſſet, illius omnes virtutes narrare, in tanta præſertim temporis anguſtia. Illud ſemper omnibus perſuaſisſimum

 fuit,

fuit, grauiſſimum fuiſſe virum, fidei plenum, ſumma animi moderatione & æquitate, conſtantem, eximia comitate gratioſum & amandum, ingenio acri & vehementi, doctrina recondita, & qui omnes excelluerit cum ſcriptionis elegantia & candore ſtili, tum plane diligentia & fide, nullius philoſophiæ partis ignarum. Quid reliquam vitæ conſtantiam commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in priuatis rebus, ſplendorem in publicis: vt ſemel finiam, nemo vnquam animo aut ſpe maiora ſuſcepit, qui ſibi illius memoriam & imaginem proponendam non putarit. Quo fit, vt magis demirer, inueniri poſſe homines tam puſilli animi & maleuolentia ieiuni, ac inanis, qui tantam virtutem extinctam cupiant, exterminandam curent. O deplorandam amentiam, o facinus animaduertendum. Da quæſo pater optime Maxime iis omnibus reſipiſcentiam: fac bone Deus ſuum agnoſcant erratum. Fac videant, quam turpiter delirarint, qui tot calumnias ſanctiſſimo Ciceroni ſtruxerunt, atque vi & impreſſio-

ſione euertere conati ſunt, qui tot in illum maledicta euomuerit, atra bile perciti: quæ cadere non poſſunt in hos mores, in hunc pudorem, in hanc vitam, in hunc hominem, qui nihil vnquam deliquerit: qui patriam non læſerit, ſed potius eximia ſua virtute hoſtilem ciuium mentem vindicauit, perniṫioſumque reſtrinxit furorem, qui improbe non vixerit: qui non audaciæ, ſed virtutis reus citatur. Qui ob honeſtiſſime laudatiſſimeque actam vitam: qui ob præſtantiam in ſtudiis ingenuarum artium, nunc a nonnullis in exilium mittitur. Sed non potuiſſet illius animi magnitudo inflecti, etiamſi duriore pœna adflictus fuiſſet. Nullo malo adfectus eſt Cicero, nullum ipſe hoc exilio ſenſit incommodum. Nos incommoda, nos mala omnia pertulimus, qui illius ſanctiſſima & iucundiſſima conſuetudine caruimus: quantum præterea de noſtra exiſtimatione imminutum ac detractum exiſtimatis, qui tam eximiæ virtutis nullam habuimus rationem? Ipſi Barbari agreſti duroque ingenio præditi nos irri-

dent,

dent, ſubſannant, & multis modis deſpicatui habent. Sperantque breui futurum, vt illis barbariores ſimus, niſi actutum reuocetur Cicero, a quo lingua noſtra expoliri, pectus ſanctisſimis moribus, optimisque diſciplinis excoli posſit. Quid igitur ceſſamus? Cur tam pigri ſumus? Quorſum erat opus defendere innocentiam, pietatem, clementiam, iuſtitiam? Pari ratione defendendus erit ille DEVS Opt. Max. cuius ſapientiam, prolixam, beneficamque naturam nulla cogitatione comprehendere poſſumus, ſi quotiescunque iniqui ſuæ iniquitatis & malæ conſuetudinis bene memores volent in bonos viros impresſionem facere: cogendus erit ſenatus, parandæ defenſiones, nunquam libere reſpirare licebit, nunquam non faceſſent negotium, non deſiſtent moleſtiam exhibere. Nam hic ipſi petunt omnem voluptatem, omnem lætitiam, hinc omnia ſua gaudia deriuant, hac eſca enutriuntur, fouentur, hic ſuas habent delitias: ſublato calumniandi ſtudio, vitam acerbam ducunt, viuere pœnitet, nullo certo loco conſiſtunt, non

non homines, ſed laruæ videntur. Sed redeo ad calumnias, redeo ad ea quæ obiecerunt. Non conor in præſentia refutare, quæ turbulentisſimus ille Sceluſtius verius, quam Saluſtius, obiecit: nam ſeipſum ita egregie defendit, vt illum ſuſcepti oneris valde pœnituerit. Hucusque ſunt progresſi ſecundi defenſores, qui poſtquam perorarunt, quotquot illic aderant, omnibus exultarunt lætitiis, ita vt præ gaudio pene deſipere viderentur. Iam ſui Ciceronis reditum gratulabantur: iam complectebantur, in manibusque habere videbantur. Cum alii defenſores ſuas partes non minore eloquentia & grauitate agere cœperunt: illaque diluere, quæ ad ingenii, doctrinæque ornamenta pertinerent. Exprobrarant, quod Serapionis librum non intellexiſſet. Primum, autor erat inſulſus, de induſtria obſcurus: totum librum *ἀλληγορίαις* obſcurarat & infuſcauerat, multa etiam *ἐν αἰνίγμασι* complectebatur, & librariorum ruſtica manu deſcriptus erat: mendis præterea vndique ſcatens, integri verſus deſiderabantur. Totus erat defor-

formatus & corruptus. De Geographia vero, ſi non præſtitit, quod Attico pollicitus fuerat, ſummæ occupationes, quas pro repub. ſuſtinebat, in cauſſa fuerunt, & omnino præſtat abſtinere, quam tam fœde labi, turpiterque peccare, atque peccatum cum a Græcis, tum a Latinis animaduerto. Quoties putatis interpellatus fuiſſet amicorum ſalutationibus? quoties auocatus reipub. negotiis? itaque cum videret non poſſe eo tempore id commode fieri, maluit in tempus minus alienum differre, quam ea quæ perficere non potuiſſet, temere aggredi. Dicunt hiſtoriæ nullam habuiſſe cognitionem, cum tamen eſſet ἱϛορικώτατος. Id colligunt ex epiſtola quadam ad Pompo. Atticum, vbi dicit: Ego nunc hiſtoriæ me trado: non quod tum hiſtorias legere inciperet, vt iſti omnino intelligere videntur: ſed tum hiſtorias ſcribere inciperet: quæ ſi nunc non extant, iniquitate temporum commiſſum exiſtimo. Damnant in eo eloquentiam, qua nulla vnquam fuit magis eloquens, nullius dictio tam munda, tam ſimplex, tam va-

varia, modo aſſurgit, modo humi reptare videtur, modo ſeuera, ac plane Stoica, modo ridens & luxurians: quem non reficit? quem non recreat illa beata & diuina eloquentia? vbi tantus verborum cultus? vbi tam eximius orationis ſplendor? vbi tam præclara ornamenta? quem non rapit, afficit, ac immutat illius oratio plena ſalibus, non Atticis tantum, ſed Romanis, qui ſalſiores & magis vrbani ſunt. Hac eloquentia, quam iſti nunc nullo præditi iudicio damnant & vituperant, inimicorum impetum propulſare ac propellere potuit. Hac eloquentia ne ciues ſui occiderent, ardoreq; flammæ conflagrarent, prouidit. Hac eloquentia tot innocentes iuuit. Hac eloquentia tot ſalutaria conſilia S. P. Q. Romano dedit. Hac eloquentia nobilium clauſtra perfregit, & effecit vt excelſo & illuſtri loco ſita illius laus eſſet, fecit vt ex obſcuro clariſſimus euaderet, fecit vt omnium oculi in illum coniicerentur, illumque ſapientem, illum patrem patriæ appellarent. Calumniantur Ciceronianos nimium redundantes, elumbes, me-

meticuloſos & ſteriles eſſe. Ego vero omnem orationem ſquallidam, male cohærentem, impuram, & ſcythiciſmis reſperſam video, niſi Ciceronianam dictionem exprimere pro ſua virili conetur, & ad illius imitationem manum & artem dirigat. Pauca ſcribunt, inquiunt noſtri adverſarii: eſto, quanto ſatius eſt pauca ſcribere, quam multa perperam. Illa quæ ab eis tractantur ſunt caſtigatiora, ſunt magis limata, ſunt politiora, ſunt ἀττικώτερα, ſunt μυϛικώτερα. Legite quæ Sadoletus & Bembus, viri nunquam ſatis laudati tradiderunt, & male peream, niſi in eorum lectione conſeneſcere diſcupiatis. Legite quæ Machlinienſis orator Chriſtophorus Longolius peperit, & nulla vnquam vobis legendi oborietur ſatietas. Legite quæ P. Alcionius, nunquam medius fidius illa vos lectione defatigatos ſentietis. Quid ſi legeritis centum illas quæſtiones, quas Hieronymus Seripandus conſcripſit, diceretis omnino non ab homine quopiam, ſed ab angelica mente conſcriptas, illas mihi inſpiciundi copiam fecit Neapoli illius diſciplinæ mirificus æmu-

æmulator Hieremias Landus, quo nomine me illi perpetuo obſtrictum non ſolum confiteor, ſed etiam gaudeo. Sed cur hunc nunc capio laborem? Credite mihi, nulli Ciceronem effingere ac æmulari connituntur, qui eo non perueniant exiguo temporis ſpacio, vt inter eloquentiſſimos haberi poſſint, vnus certe Iulius Camillus fidem facere poteſt, quantum ſit diſcriminis inter Ciceronianorum ſcripta, & eorum qui ſibi Ciceronem imitandum non propoſuerunt: quanquam nulla adhuc illius ſcripta (quod ſciam) de typis in vulgus emanarunt. Legi ego tamen nonnulla, quæ clariſſimus vir Io. Voſellus montis Troterii regulus legenda dedit, ne vivam Patres, ſi quid purius aut candidius ſcribi poſſit: eſt præterea ingenio pangendis carminibus amabili, liberalibus doctrinis, ſacraque diſciplina inſtructus, in Ethruſcis literis tantos habet proceſſus, vt Ethruſcam nationem conturbarit, quo fit, vt in ſpem veniam, plura præſtaturum ſuo theatro, quam polliceatur. Non iis contenti noſtri κικερομαστίγες, dicunt Ciceronianos non

poſſe ex tempore loqui. Perfricuerunt iſti, vt credo frontem, nihil illos pudet tam ſplendide mentiri. Quouſque noſtra abutentur patientia ? Quouſque illorum nos furor eludet ? Quouſque P. C. feretis tantam petulantiam ? Feretis ne hoc impune ? nonne ſumetis ſupplicium de tam aperto & impudenti mendacio? Quis neſcit multos vbique Ciceronianos eſſe, qui tam prompte, tam celeriter loquantur, vt ad extemporalem hanc eloquentiam nati videantur ? dixi vbique, cum nouerim in Germania Philippum Melanchthonem, Symonem Grynæum, Ioannem ex Vlma, qui Græcas literas prius Taurini frequenti auditorio, nunc ſumma laude Neapoli profitetur: in Gallia Beraldum, N. Regium: in Polonia Oſium & Volfangum : in Italia Flaminium, Fondulum, Riccium Lugienſem, Thomam Riccium Veicetinum, Corbettam, Caimum, Oliuam, Flauium Capellam, & Hieremiam noſtrum, quem Ciceronianum dici pudet, cum interim nihil legat, tractet, diurnaque aut nocturna manu præter Ciceronem verſet : ſed timet

timet fortaſſe, ne cum Hieronymo vapulet. Pudeat, timeat, vt ei libitum fuerit: me certe pudet, quotiescunque aliud lego, quoties ex ore vox aliqua excidat, quam apud Ciceronem non legerim. Poſtremo condemnarunt, quod Græce peritus non eſſet. Proh fidem hominum, non eſt Græce peritus, qui tam facile Græca vtebatur lingua atque vernacula: qui Græca carmina ſcribebat, qui ex tempore Græce orauit: cuius ob os Grai ora obuertebant ſua. Iſtuc ipſum ſenſiſſe Argyropilum adfirmant. Citant me Hercules religioſum teſtem, hominem Græcum. Quis neſcit, Græcam nationem fidem, teſtimoniorumque religionem nunquam coluiſſe? Hui tanti ne eſt vnus exuriens Græculus, vt huius amplitudini vel tenuem notam inurere posſit? At dicent, Philelphum quoque taxiſſe Ciceronem, quod endelechiæ vocabulum non intellexerit. Videte quos teſtes mihi citent: nunc mendacem Græcum, nunc hominem, qui Grammaticorum canones nunquam exceſſerat. Si quid librariorum imprudentia, aut

ſciolorum inſcitia peccatum eſt, id vni Ciceroni aſcribunt in illum transferunt omne peccatum, in illum omnem reiiciunt culpam. Fuerunt poſtremi defenſores aliis qui antea orauerant, paulo prolixiores: & ita omnia diluerunt, vt ne leue quidem crimen præterierint, quod non purgarent: planeque oſtenderunt, nihil vnquam ab eo profectum, quod perfectum ingenio, ac elaboratum induſtria non eſſet, quanquam ei multa cum vitio turpitudineque coniuncta obiecerint, præter ſolœciſmos, & horrida quædam, quæ in calumniandi ſtudio, ducti collegerant, illis nempe facile videbuntur horrida, qui toti horridi & ſpinoſi ſunt. Vt enim febre laborantibus omnia amara videntur, ſic iſtis horridis & barbaris horrida atque barbara videntur omnia. Sed iis qui oculos & aures eruditas habent in delitiis erunt, & in officio, illuſtrioribusque ſententiis, cupidiſſime vſurpabuntur. Cum ii poſtremi peroraſſent, conſtitutumque fuiſſet, vt Cicero reuocaretur, magnus eſt excitatus plauſus, incredibilique gaudio elati clamitare cœperunt, ac ſi inſani-

ſanirent, o factum bene, o factum bene. Delecti fuerunt ſex ſplendidi viri, qui illum ſenatus nomine reuocarent. Fuerunt autem Thomas Tyriacus Caſſani diſcipulus, vir multa pietate & induſtria, Spiritus Monticellus acri & perpolito iudicio, Eugenius Mitus vir plane bonus & officioſus, Arnoldus Colonienſis iuuenis cum pius tum doctus, Antonius Sonerius commemorabili pietate ac virtute præditus, Vincentius Fabritius græce & latine doctiſſ. Qui omnes & ſi a facundia belliſſime parati eſſent, vix potuerunt impetrare a barbaris illius reditum, tantam iam paucorum dierum interuallo ſibi gratiam conciliarat, ita ingenii ſui facilitate, humanitate, illorum fera pectora emolliuerat: cadebant illis lachrymæ, cum diſcederet, & illius loci quem habitabat, optimates omnes ad multum itineris comitati ſunt. Cum nunciatum eſt illius aduentum appropinquare, ſignificauerant autem, mutatis ad celeritatem iumentis, rurſus ſenatus decreto alii ſex delecti ſunt, qui bombicinis veſtibus ad talos vſque demiſſis illi honoris cauſa ob-

viam procederent. Fuerunt (ſi recte memini) Nicol. Prouana, Caſſander Collimartialis cum collega ſuo Gottifredo, Ioan. Petrus Buzzius, M. Antonius Beolchus, Paulus Frumentus. Kal. Ianuarii. Anno ab orbe redempto M. D. XXXIIII. vrbem ingreſſus, honorificentiſſimeque exceptus, tantam in vrbe noſtra lætitiam excitauit, vt vrbis quoque mœnia intranti arridere viderentur. Perductus in ſenatum, orationem luculentiſſimam habuit. Sequenti die data eſt prouincia nobili viro Io. Baptiſtæ Lactuato, vt loco demolitæ ſtatuæ aliam curaret non minori artificio & impenſa extruendam, quod ille cum libenter, tum etiam diligenter præſtitit: itaque Ciceronem vt par erat, æterna triumphi laude decorarunt. Hi vero qui illum reduxerunt, donati ſunt annulo aureo, torque & patera argentea: illis qui obuiam proceſſerant, ſplendidam veſtem mira elaboratam arte dederunt. Rumpebantur inuidia aduerſarii, dum hæc agerentur, metuebantque infortunium aliquod. Subornarunt itaque viros opibus & gratia florentes, qui pro illis inter-

tercederent. Ignotum eſt, ea lege atque gratia vt ad Ciceronis genua procumbentes veniam deprecarentur. Tantum quatuor inuenti ſunt, qui ſupplices delicti veniam peterent, inter quos fuit Hieremias Eremitanus, qui diſertisſima oratione ſe purgauit, Si quid ab eo commiſſum fuiſſet, id maleuolentisſimorum hominum, quos ſibi in conſilium adhibere ſolebat, ſuaſu factum eſſe, poſt hac daturum operam, ne quicquam ab eo vnquam fieret, quod ad imminuendam Ciceronis dignitatem faceret, in conſpectu patrum promiſit. Condonatum eſt, dataque ſunt diplomata. His omnibus peractis, tubarum mirifico & ſuaui ſono deducti fuerunt in ampliſſimam arcem, quam aulæis & tapetis ex Syria aduectis, a ſummo ad imum vsque conſtrauerant. Quid poſtea acciderit neſcio: nam mihi Romam per diſpoſitos equos proficiſcendum fuit, ob nonnulla ampla nec ſatis expedita negocia. Sed puto te de omnibus, quæ poſt meum diſceſſum conſecuta ſunt, partim

ami-

amicorum literis & nunciis certiorem factum, partim etiam ipſo rumore multa ad te perlata exiſtimo.

Bene vale.

FINIS.

Digitized by Google

005646595